MATERIA MEDICA ANTIQUA & NOVA, REPURGATA & ILLUSTRATA; SIVE DE MEDICAMENTORUM...

John Rutty

MATERIA MEDICA
ANTIQUA & NOVA
Repurgata & Illustrata.

MATERIA MEDICA
ANTIQUA & NOVA,
Repurgata & Illustrata;

five

De Medicamentorum Simplicium Officinalium Facultatibus

TRACTATUS.

AUTHORE

JOHANNE RUTTY, M. D.

Exhibent

1. *SIMPLICIA NOBIS VETERIBUSQUE COMMUNIA*, de quibus fere quicquid veri aut verosimile apud Græcos Veteres & Recentiores, Latinos & Arabes reperitur, seligitur, enarratur & Notis illustratur.
2. *SIMPLICIA DUBIA & NOVITER DETECTA*, quorum Vires indagantur & Observationibus atque Experimentis Recentiorum illustrantur.

Adjectis Classibus Simplicium Secundum Qualitates & Operationes sensibiles.

Opus XL. Annorum.

LONDINI,

Apud EDWARDUM & CHARLES DILLY,

ROTTERODAMI,

Apud P. HOLSTEYN & H. BEMAN.

MDCCLXXV.

*

VIRO
NOBILISSIMO, EXPERTISSIMO,
JOHANNI RUTTY, M. D.
S. P. D.

ADRIANUS VAN ROYEN.

Desideratum hactenus novumque immensi laboris opus, quod generoso ausu susceptum, magnoque animo per tot annorum seriem continuatum perpolitum, & exactum, curæ dicam an censuræ nostræ committere libuit, non laudo tantum proboque Vir nobilissime! verum omnibus etiam veræ scientiæ Medicæ Studiosis de meliore nota commendo, &, quum justis ac idoneis rerum æstimatoribus acceptissimum fore arbitrer atque confidam, Orbi erudito Tibique gratulor.

Etenim, sive universam medicamentorum historiam densis olim tenebris involutam, Tuæ sapientis industriæ ac perspicaciæ lumine jam pulchre nitentem & spectabilem intueor: sive vires eorum & facultates, quæ Veteribus probe notæ dudumque descriptæ, vitio forte seculi, non raro pro novis venditantur hodie, suis auctoribus vindicatas video: seu Tuas denique & illustrium Virorum notas atque animadversiones, ad normam recti castigatas, considero,

utilissimasque & omni Clinico religiose observandas cautelas intenta mente revolvo ponderoque: candorem passim ingenuum praeclarae eruditioni comitem, &, quod impense laetor, Veram ubique fidem invenio.

Neque est, quod miremur, Vir Sagacissime! tantum Te temporis impendisse recensendis & conferendis priscorum aeque ac recentium scriptorum monimentis, ut rigido singulorum examine tandem erueres, quid verum aut saltim vero proximum videretur. Probe quippe memini, quot bonas olim horas perdiderim, dum solos Veterum Elleboros cum iis, qui in nostris officinis reperiuntur, comparatos determinare conatus istis vel mediocribus ausis exciderim, non alios difficilis hujus ac taediosi laboris fructus reportans, quam quod palam asseverare ac declarare ausim, omnibus hic indoctis doctisque aquam haerere, ne ipso quidem, ut alios taceam, Illustri Salmasio in Plinianis exercitationibus excepto: nulla enim nisi testibus idoneis & ratione sufficiente munitis suffulta, apud me valet auctoritas; utpote quae toties nimis credulos facilesque in communem errorem ducit.

Feras itaque, Vir Humanissime! & in partem quaeso mitiorem interpretari velis, si de Elleboris & Scilla & paucis forte aliis aliter sentiam: Ut enim Simplicia nobis & Veteribus communia declarem & agnoscam, notas & charecteres naturae rerum inscriptas, subjectumque de quo agitur, certo determinantes, sed pro dolor! Veterum

in-

negligentia oppido raras, expeto atque desidero, ne quis per me inducatur, ut vel dubiis medicorum instrumentis temere ac falso vires tribuat, vel vere Communibus injuria deneget, quas aut prorsus non, aut omnino iis competere ipsa rerum natura oculis lustranda ac detegenda, longusque rerum usus & experientia, docuerunt. Profecto parum abest, quin credam, soli huic Veterum incuriæ imputandum esse, quod ex tot tantisque Antecessorum nostrorum laboribus circa medicamentorum vires & facultates tam parum utilitatis & fructus in nos posteros redundaverit. Immo vix dubito, quin, si regiam illam, quam calcamus hodie, in determinandis subjectis viam ingressi fuissent, vel simplicissimis etiam medicamentis sua jam dudum constitisset virtus ac dignitas: neque opus fuisset tot Compositis, quorum interanea toties mirum in modum inter se pugnantia bellum intestinum minitantur, borborygmis & flatulentis ventris torminibus plus satis manifestum Quin etiam non tam frequenter forte ac temere confugerent medicorum filii ad drastica illa & heroicorum nomine indigna remedia, quæ nostro quidem arbitrio naturæ humanæ minus amica, non nisi in manu prudentis certa ac tuta sunt. Interim persuasissimum habeas, Vir Expertissime! non contradicendi studio sed amore veri me in paucis a Te dissentire, donec circa veram mentem tuam, forsan a me non satis intellectam, plenius erudiar: quando etiam lubentissime tuo de omnibus & singulis testimonio calculum meum adjiciam.

Ce-

* * * *

Ceterum, cum per singula ire, quod ne quidem ipse a me exigis, haud sinant negotia, ignoscas quaeso Vir humanissime! quod ob rerum ubertatem & temporis angustias pleraque tantum omnia obiter recensuerim ac perlustraverim: praecipua tamen & quae momentosa magis videbantur, attenta mente & cum cura expendi, candideque profiteor, me rigido etiam examine instituto, amplissimum hoc, quod sisto, testimonium debere Auctori operis hujus eximii &, quod typis mandetur dignissimi. Utinam aetate jam provectior illum adhuc thesaurum olim exosculer! Gratus interim pro honore mihi habito, laetusque amico Viri boni & sapientis commercio plurimum Te salvere jubeo.

Dabam Leidae Batavorum
ad d. xxv. Septembris
Anno CIↃIↃCCLXXIII.

PROLEGOMENA.

Vix ulla pars Medicinæ craſſioribus tenebris involvitur quam Materia Medica Antiquorum. Ex his omne conamen eruendi Veritatem videbitur forte prorſus temerarium; quum in eorum Scriptis ſæpiſſime eadem res nomine prorſus diverſo, quam in noſtris, inſignitur; quod enim, ut ex pluribus unum exemplum adferam, eorum *CINNABARIS* erat, apud nos audit *SANGUIS DRACONIS*, eorum *MINIUM* eſt noſtra *CINNABARIS*: *NITRUM* Antiquorum celebratiſſimum eſt Sal generis alcalini à noſtro, *SAL PETRÆ* dicto, prorſus diverſum. Veterum *RHEUM* eſt noſtrum *RHAPONTICUM*; circa hoc monet doctiſſimus FREIND Arabes, inter transferendum DIOSCORIDEM & medicos Græcos, confudiſſe Rhabarbarum cum Rhapontico, adſcribentes ejus vires ab Antiquis obſervatas Rhabarbaro noſtro: & ſane, valde optandum foret, multos alios authores ejusdem erroris non fuiſſe reos. Quare, ut quantum potui, hunc ſcopulum

evi-

evitarem, hoc onus in me ſuſcepi, ut, rejectis omnibus, vel ſaltem plerisque medicamentis dubiis, & poſthabitis altercationibus, quæ adhuc inter Authores ſubſiſtunt, æque ac deſcriptionibus botanicis, ab aliis abunde traditis, ea ſola retinuerim (dum Vires eorum ex Veteribus peto,) quæ univerſali fere conſenſu nobis, Veteribusque communia agnoſcuntur; & horum ſolorum, vel ſaltem talium, quæ ſine injuriâ pro ſuccedaneis admitti poſſunt, Vires, iis tributas ab HIPPOCRATE, DIOSCORIDE, CELSO GALENO & PLINIO fideliter ſeligere, & ordine paulo concinniore enumerare volui; unde manifeſtum fiet, ſcientiam Veterum de his rebus multo latius patere quam vulgo creditur, cum multæ Vires Medicamentorum, tanquam noviter inventæ, hodie cum publico communicantur, quæ jam diu Priſcis bene notæ, unde librorum copia inutiliter augetur, ſine augmentata vera Scientia.

Veterum autem teſtimonia de Viribus Simplicium, eousque detecta, experientia ſeculorum ſuffulta, neutiquam rejicienda eſſe, ſed digna conſervari, patebit in hoc Opere.

Materiæ Medicæ, Pharmacopœiæ Londinenſi præfixæ, adjeci plura revera utilia, & ſimul quædam Obſoleta; ſed quæ digna ut reviviſcant autumavi, & nonnulla ex Arte Diætetica Veteribus probe exculta, nobis nimis neglecta, inſerui,

ſerui, ſpeciatim de Lacte ejusque præparatis Experimenta nova.

Quo clarius traditæ vires medicamentorum eluceſcant, Ordo quidam in iis enarrandis mihi videbatur paulo diligentius ſervari debere, nempe ut, initium faciendo a deſcriptione qualitatum ſenſilium, & ab operationibus ſenſu perceptis, progreſſus ſeu tranſitio fieret ad operationes internas obſcuriores.

Laudanda utique venit DIOSCORIDIS & GALENI ſedulitas in deſcribendis qualitatibus & Effectibus ſenſilibus Simplicium, utpote utiliſſimo Criterio Virium, iis vulgo adſcriptarum. Eorum veſtigiis inſiſtens, & quantum potui ulterius ea perſequens, vix unum è Simplicibus Catalogi ſequentis prætermiſi, quin guſtu, odoratu, tactuque exploraverim, & analyſi ſubjecerim, non equidem violentiæ ignis, craſin naturalem deſtruentis, ſed infuſioni, coctioni & admixtioni aliorum corporum, inſtitutis experimentis plurimis a me ipſo, & adjectis aliis maximi momenti à laboribus optime impenſis Recentium illuſtrium, præcipue ETMULLERI, WEDELII, BOERHAAVII, HOFFMANNI, JUNKERI, RAII, HERMANNI, TOURNEFORTII, CHOMELII, DE KINDER, NEUMANNI, CARTHEUSERI, FLOYERI, HILLII,

LEWISII, ALSTONI, LINNÆI, CRANTZII, LIEUTAUDII, *AUTHORUMQUE EPHEMERIDUM GERMANICARUM*, ſubnexis denique viribus inſignioribus uſu externo & interno.

Hac methodo veras, & genuinas Vegetabilium vires detegi poſſe arbitratur illuſtris *FRID.* HOFFMANNUS in *MEDICINA SUA RATIONALI.*

In conſtruendo Catalogo Medicamentorum ſimplicium, nobis veteribusque Communium, mihi ſuffecit, ut, inſtitutâ Comparatione accuratâ inter deſcriptiones, qualitates ſenſiles & vires compertiores plantæ vel Medicamenti cujuscunque ſimplicis apud Veteres, & deſcriptiones, qualitates ſenſiles & vires compertiores ejusdem vel diverſæ denominationis apud recentes, pateret ambas eſſe, ſaltem ſermone botanico, Congeneres, etſi forſan aliquando diverſæ ſpeciei ejusdem generis; ſiquidem ulteriorem certitudinis gradum attingere deſcriptiones mancæ Veterum non permittunt. Eſt tamen aliquid prodire tenus, ſi non datur ultra; & quidem approximatio ſic fit longe major ad veritatem, quam ubi confundendo medicamenta, prorſus genere diverſa, confunduntur quoque Vires cum infamia artis noſtræ adhuc nimis conjecturalis, & damno ægrotantium.

Sic, dum alii laborem ſuum impenderint inveſtigandis novis

novis & inauditis viribus plantarum, &, si Deus voluerit, earum in morbis rebellibus curandis efficaciam, mihi Opus designatum videbatur, sparsa & neutiquam contemnenda testimonia Veterum ab experientia & observationibus ævorum præteritorum petita, de Viribus medicamentorum simplicium officinalium iis nobisque communium coëgisse, ab obscuritate & confusione quousque potui repurgasse & digessisse, ordine, ut spero, lectoribus magis grato, & eorum, quæ Veteres de his rebus literis mandarunt apposita hic ibi illustratione ab Experimentis Recentiorum.

Simplicia sola in hoc examen revocavi, hunc finem mihi plerumque proponens, ut, quidnam quodque per se præstare possit, clarius pateret, Compositiones ex proposito negligens, quoniam in his è diversis simplicibus, ex quibus constarent, sæpe unum vel obscuram reddit, vel minuat, vel mutet operationem alterius.

Quum tandem multiplici experientia comprobatum sit Medicamenta simplicia longe plus præstare in curandis morbis, maxime rebellibus, quam composita, procul dubio ætas præsens recte horum plurima rejecit, & facile crediderim, ipsum GALENUM ejusque asseclas, si uno conspectu contemplati fuissent Vires Simplicium, probe collectas & digestas (quod hujus operis præcipuus est scopus.) immensis

 suis

ſuis laboribus in concinnandis formulis Compoſitorum ſine artis damno pepercîſſent.

In enarrandis Viribus Simplicium, a Veteribus traditis, non phraſi moderna, ſed, ne fallacia irreperet, ſæpe ipſiſſimis eorum verbis uſus ſum; nec Gradus Caloris Galenicos hic ibi ſilentio præterire volui, quoniam Criterion Virium ſæpe præbent non ſpernendum.

Notandus tamen Error Veterum in enarrandis viribus Medicamentorum Lieni dicatis, quod dolores & paſſiones in Latere ſiniſtro Lieni perperam adſcribebant, quum potius Stomachus & Colon inteſtinum ſæpe eorum ſedes ſit, notante *FRID.* HOFFMANNO aliisque Recentibus.

Notas Salis Acidi vel Alcalini prædominantis inſerui; & Experimenta, cum vitriolo Martis inſtituta, utpote virtutis plus minus adſtringentis ſæpe obſcura indicia, ab aliis non notata, addidi, ſcil. colore atro vel purpureo in Validioribus & viridi vel fuſco in debilioribus inducto.

Monendus quoque Lector quod, dum Vires Simplicium recitaverim, maxime probabiles ex veteribus & Recentibus decerpſerim & uno conſpectu exhibuerim, vellem ut fides ſit penes auctores, neutiquam in me ſuſcipiens earum veritatem ubique vindicare; hoc tamen utilitatis Laboris mei

ſpera-

ſperare licet, quod, quum ſingulo ſimplici annexa ſint Qualitates ſenſibiles & Experimenta, eorum conſtitutionem internam aliquatenus detegentia, judicabit Lector quousque fides adhibenda ſit teſtimoniis ſive veterum ſive Recentiorum.

Denique de Viribus Medicamentorum ubique notandum, quod nunquam viribus polleant abſolutis, ſed relativis & certis circumſtantiis limitatis, varia conditione humani corporis, ætate, temperamento, doſi &c. Sic in claſſe Diureticorum vix unum reperitur quod ſemper hanc qualitatem notabilem exerat, & quod non regimine debito adhibito Diaphoreticum fiat. Hydrargyrum Salivationem certo excitaturum nemo prudens pollicebitur, quum non raro per diureſin, diaphoreſin vel & catharſin agat. Emetica & Cathartica non raro Diuretica fiunt, & Ipecacoanha parva doſi ſudorifera, quin & Adſtringentia aliquando cathartica fiunt, aliquando diuretica ut in Atonia ſeu Laxitate partium, ſic de cæteris.

Quum tandem ſimplicia ſummatim diſtribuiſſem in tres Claſſes, ſcil. 1. Nobis, Græcis, Latinis, & Arabibus Communia. 2. Dubia, de quibus dubitatur an Priſcis nota fuerint nec ne. 3. Nova, ſcil. noviter detecta, Veteribus

&

& Arabibus prorſus ignota, ut in Prolegomenis, ſatis eſſe duxi in Progreſſu Operis literas C. D. & N. ſigillatim præfigere unicuique ſimplici, indicantes ſingulum reſpective *COGNITUM* nobis & Veteribus, vel *DUBIUM* vel *NOVUM* eſſe.

CATA-

CATALOGUS SIMPLICIUM,

A Græcis Veteribus ac Recentioribus & Arabibus eodem Nomine insignitorum & de quibus proinde Horum testimonia valent.

A.

Abrotonum mas.
Absinthium vulgare.
——— marinum.
Acacia.
Acetum.
Adiantum.
Ærugo.
Alcea.
Allium.
Aloë.
Althæa.
Alumen (a).
Amygdalæ amaræ & dulces.
Ambra.
Amylum.
Anagallis flore phœniceo.
Androsæmum.
Anemone.
Anethum.
Anisum.
Aparine.
Argentum Vivum.
Aristolochia.
Artemisia.
Arum.
Asarum.
Avenæ.
Adeps Anserinus.
——— Suillus.
Axungia.

B.

Balanus Myrepsica.
Balaustia.
Balsam: Judaicum.
Berberis *Averroes.*
Beta alba.
Beta rubra.
——— nigra.
Betonica.
Bitumen.
Bolus armena.
Botrys ambrosioides.
Brassica.
Bryonia.
Butyrum.

C.

Calx viva.
——— extincta.
Camphora.
Cannabis.
Cantharides.
Capparis.
Cardamomum.
Caryophillus aromat: Arabum.
Caseus.
Cassia fistula Arabum.
Castoreum.
Cepa.
Cera alba & flava.
Cerussa.

Chamæ-

(a) Alumen Veterum nativum fuit nostrum factitium.

Chamædrys.
Chamæpytis.
Chelidonium majus.
Cicer.
Cicuta.
Citria malus.
Cochlea terræ.
Colocynthis.
Coryza.
Corallium rubrum.
Coriandrum.
Cornu cervi ustum.
Cornus.
Costus Arabicus.
Creta Terra cretica *Galeni.*
Crithmum.
Crocus.
Cucumis sylv.
Cucurbita esculenta.
Cuminum.
Cupressus.
Cyclaminus.
Cydonia vel Cotonia mala.
Cynoglossus.
Cyperus rad. rotunda.

D.

Dauci Cretici Sem.
Dictamnus Creticus.
Dipsacus.
Dracontium.

E.

Ebur.
Elaterium.
Elatine.
Elleborus albus.
Ellebotus niger.
Epithymum *Dioscoridis.*
Equisetum.
Erigeron.
Eruca.
Eryngium.
Erysimum.
Euphorbium.

F.

Faba minor nostra.
Fel.
Fermentum.
Ferrum.
Ficus.
Filix mas.
Fœniculum.
Fœnum græcum.
Fuligo.
Fumaria.
Furfur.

G.

Galanga minor.
Galbanum.
Galiopsis.
Galla.
Gallium luteum.
Gentiana.
Glycyrrhiza, sed nostra dulcior.
Gramen.
G. Ammoniacum.
—Tragacantha.

H.

Hedera.
Helenium *Dioscoridis.*
Hordeum.
Hyacinthus Anglicus *Ger.*
Hyoscyamus.
Hypericum.
Hypocistidis succus.
Hyssopus non Græcorum, nec Hebræorum, sed *Mesues.*

I.

I.

Iberis.
Ichthyocolla.
Iris.
Juniperus.

K.

Kali.
Kermes, vel Chermes Arabum.

L.

Labdanum vel Ladanum.
Lac.
Lactuca.
Lapathum.
Lapis Judaicus.
Laurus.
Lens.
Lepidium *Plin.*
Leucoium.
Lilium aut Lirium.
Linum Sativum.
Lithargyrus.
Lithospermum.
Lupinus.
Lysimachia lutea.

M.

Macis Arabum.
Malva.
Malus.
Malum.
Margaritæ Arabum.
Marrubium alb. vulg. C. B.
Marrub. & Brassicum *Dioscor.*
Mastiche.
Medulla.
Mel
Mentha Angustif. spicata C. B.
Mercurialis.
Mespilus.
Meum.
Milium Sem. luteo vel albo C. B. *Miller.*
Millepedes.
Morus & Morum.
Moschus.
Myrobalani Arabum.
Myrrha.
Myrtus comm: Italica C. B.

N.

Narcissus.
Nasturtium.
Nuces Pistachiæ.
Nymphæa alba.

O.

Oesypus vel Oesypum.
Olea.
Oleum.
Opium.
Opopanax.
Oryza.
Ostreorum testæ.
Ovum Gallinaceum

P.

Pæonia.
Papaver.
Pentaphyllum.
Persica malus.
Pinus sativa & sylv.
Piper alb. nigr. & long.
Pisum.
Pix liquida.
Polium.
Polygonatum.
Polygonum.
Polypodium.

Populus nigra
Porrum.
Portulaca.
Prunus Gallica offic.
Prunus C. B. Pruni Damascenæ *Galeni* succedaneum.
Psyllium.
Ptarmica, quæ vel pro succedaneo admitti potest.
Pulegium.
Pyrethrum.
Pyrus.

R.

Ranunculus.
Raphanus hort
Rapum.
Rosa rubra Dioscoridis, *the red Rose*
—— Damascena Arabum.
Rubus. *The Bramble.*
—— Idæus.
Ruta.

S.

Sabina.
Sagapenum.
Sal fossile.
——marinus.
Salix.
Salvia.
Sambucus.
Santalum rubrum.
Sapo.
Sarcocolla.
Satyrion.
Scammonium.
Scilla.
Scordium.
Sedum maj. vulg. C. B.
—— min. vermic. acre. C. B.
—— luteum folio acuto C. B.
Sena.
Sepiæ Os.
Seseli. Ligusticum, quod est Seseli offic, C. B. videtur esse Ligusticum *Dioscor*
Siliqua edulis C. B. *the Carob tree.*
Sinapi.
Sion, Laver latinis, sion vel Apium palustre fol. obl. C. B.
Solanum.
Sorbus.
Spongia.
Staphysagria.
Stœchas Arabica.
Styrax calam.
Succinum.
Sulphur vivum seu nativum.

T.

Tamarindi.
Terebinth. e Chio & Cypro. Resina Veterum ex arbore
Terebinthi.
Thlaspi vel quatenus succedaneum.
Thymus vel Thymum.
Tithymalus.
Tragopogon.
Trichomanes.
Tussilago.

V.

Verbascum.
Vinum.
Vini Fæx.
Viola.
Viscum. *Birdlime.*
Ulmus.
Urtica.
Uvæ passæ.

Z.

Zingiber.

HOMO-

HOMONYMA,

SALMASIO *dicta*, id est

SIMPLICIA DIVERSA,

Eodem nomine nobis Veteribusque insignita.

Arsenicum flavum, rubrum & album nostrum, ab Arsenico Veterum prorsus diversa sunt.

Calamus Aromaticus Veterum arundo erat, noster est Radix.

Calaminthæ secunda species *Dioscoridis*, Nepeta Latinis, a Nepeta majore Vulgare *Parkinsoni* diversi generis distinguenda.

Caryophyllus Aromaticus diversus a Garyophyllo *Plinii*.

Colophonia Recentiorum, a Colophonia Veterum prorsus diversa, sed respondet Resinæ frictæ Veterum.

Malabathrum, a Malabathro *Dioscoridis* diversum, vide *Catalogum Novorum*.

Mandragora nostra, a Mandragora *Dioscoridis* diversa, vide *Catal. Nov.*

Manna nostra, a Manna Græcorum antiquorum prorsus diversa, necnon a Manna Israëlitica vid. *Manna*.

Minium, nostrum *Red Lead*, a Minio *Dioscoridis* & *Plinii* diversum, quod Cinnabaris nativa nostra

Minium Serapionis & Recentiorum, a Minio *Diosc.* h. e. Cinnabari nativa nostra prorsus diversum. Vid. *Minium*.

Myrobalanus Arabum a Myrobalano antiquorum differens. Vid. *Myrobalanus*.

Nitrum Antiquorum a Nitro, *Salt petre* dicto, prorsus diversum. Vide *Nitrum*.

Pompholyx Veterum a pompholyge nostra diversa. Vide *Phompholyx* suo loco & in *Catal. Novorum*.

Quercus. Hoc nomine antiquis arbor omnis Glandifera accipitur.

Rhabarbarum officin. C. B. Rha vel Rheum Arabum, Rheum barbarum Myrepsi; Rheum palmatum *Linnæi*, *Rhubarb.* a Rha vel Rheo *Dioscoridis* diversum.

Sandaracha Arabum; Gummi Juniperi, a sandaracha Græcorum fossili, rufa & auripigmento simile probe discernenda.

Sal Ammoniacus Veterum species erat Salis fossilis nativi, a nostro Sale Ammoniaco prorsus diversus. Vide *Sal Ammon.*

Schœnanthus Arabum a schœnantho Græcorum omnino discrepans

Spodium Græcorum ab Arabum Spodio plane discernendum. Vide *Spodium.*
Thus Vulgare Officin.

Thus fœmininum (*Common Frankincense.*) a Thure, absolute dicto, seu Olibano, Veterum Libano prorsus diversum. Vide *Thus* inter *Nova.*

Triticum (*b*).

(*b*) Hoc generaliter omne Frumentum, quod ex spicis tritum ac trituratione repurgatum fuerit, significat, ut ex *Varrone* colligitur. Sed posteriores peculiari Frumenti speciei tribuunt.

SYNO-

SYNONYMA SEU SIMPLICIA EADEM,

Diversis nominibus Veteribus nobisque appellata & proinde de quibus Testimonia Veterum valent.

Acanthus, Branca ursina.

Acorum, Calamus arom. offic. & Græcorum recentiorum.

Agrimonia, Eupatorium Veterum

Alkekengi, Solani secundum genus *Dioscoridis.*

Antimonium, stibium & stimmi antiquorum.

Asa fœtida, Silphium Veterum.

Avellana fructus, Nux pontica.

Apium palustre, Elæoselinum *Dioscoridis.*

Apium Veterum, Petroselinum vulgare.

Aurantia malus, Citria malus, quippe Aurantium sub Citri nomine complexi sunt Veteres.

Adeps, Axungia, Pinguedo.

Albumen Ovi, Ovi candidum.

Balanus myrepsica, Glans unguentaria, Myrobalanum *Plinio & Ætio.*

Balsamum Judaicum, Opobalsamum.

Balsamum a Mecha vel Arabicum.

Bardana, Arctium *Dioscoridis.*

Berberis dumetorum, Ambiberis vel Amirberus *Serapionis & Avicennæ.*

Bolus Armena, Bolus Blesensis, *Bole of Blois.*

Borrago, Buglossum Veterum.

Brassica, Crambe, (Caulis) Raphanus *Theophrasti & Plinii.*

Cardiaca, Alysson *Galeni, Ætii & Pauli Ægineta.*

Carduus Benedictus, forte Cnicus Sylvestris hirsutior *Theophr.*

Carica, Ficus matura, Grossus Ficus Viridis.

Carthamus, Cnicus Græcorum, Carthamus Arabum.

Cassia Veterum, Cinnamomum Officinale.

Castaneæ sativæ Fructus, Nuces Euboicæ Veterum.

Cataputia Major, Ricinus *Dioscoridis,* Cici arbor *Plinio.*

Cataputia minor, Latyris *Dioscoridis.* Latyris major C. B. *Garden Spurge.*

Cerasa rubra & nigra, primitus Corna, postea nulla appellatione Corna Cerasa vocata.

Cha-

Chamæmelum, Leucanthemum *Dioscoridis* C. B.

1. Cinnabaris nativa, Minium *Dioscoridis & Plinii*.

2. Cinnabaris *Diosc.* & *Plinii* sanguis Draconis.

3. Minium nostrum, *Red Lead*, Sandyx Veterum.

Consolida Major, Symphytum alterum *Dioscoridis*.

Cucumis sativus vulgaris. Sub hoc nomine omnia Melonum genera, Cucumeres, Citrullos & Angurias comprehendunt Veteres.

Curcuma, Cyperus Indicus *Diosc*.

Cynosbatos, Cynorrhodon *Plinii*

Dactyli, Phœnicobalani.

Daucus offic. Pastinaca tenuifolia sylv. C. B. *Wild Carrot*; a Pastinaca sylv. Veterum diversa.

Dens leonis, Aphaca *Theophr*.

Ebulus, Chamæacte, Sambucus humilis.

Epithymum, Cuscuta recentioribus Græcis.

Fagus Latinorum, Oxya *Theophrasti*.

Ficus, Grossus, Carica. Vide *Ficus*.

Grana Cnidia, Thymelæa *Dioscor* Cneorum *Theophr.* Mezereon *Mezues*.

Granati Cortex, Malicorium, Sidion.

Gummi Juniperi, Sandaracha Arabum Vernice & Vernix.

Hordeum, Ptisana seu Hordeum cortice exutum.

Juglans, Nux Basilica seu regia *Dioscoridis & Galeni*.

Jujubæ Majores oblongæ C. B. *Galeno* serica, *Plinio* & Græcis recentioribus Zizypha.

Lamium purpureum fœtidum folio subrotundo, Galiopsis legitima *Dioscoridis*, C. B. *Hedge nettle*.

Lapathum aquaticum folio Cubitali, C. B. Hippolapathum *Dioscoridis*. *Great Water Dock*.

Lapathum acetosum vulg. Acetosa pratensis, C. B. *Common sorrel*.

Lapis Lazuli Arabum, Cyaneus *Dioscoridis* & *Galeni*, latine Cæruleus.

Laureola semper virens flore viridi, Daphnoides *Dioscoridis*.

Leucoium luteum vulg. C. B. Cheiri Arabum.

Lumbrici terrestres, Vermes terreni *Dioscoridis*.

Lupulus mas & fœmina C. B. Volubilis species apud *Mezuen*.

Majorana vulg. C. B. Maron *Diosc.*

Marrubium nigrum fœtidum Ballote *Dioscoridis*.

Matricaria vulg. vel sativa C. B. Parthenium.

Melissa, Melissophyllon & Apiastrum *Dioscoridis & Plinii*.

Melo

Melo vulg. C. B. *Musk Melon.* Melopepon *Galeni*; Melo *Palladii*, posteriorum seculorum & noster.

Mezereon Arabum, Chamelæa *Dioscoridis.*

Laureola vide *Mezereon.*

Millefolium vulg. alb. C. B. Stratiotes Millefolium *Dioscor.* Stratiotes terrestris *Galeni.*

Nardus Celtica. } Vide *Nardus.*
——— Indica. }

Nigella, Gith *Plinii* & *Columellæ.* Gith & Melanthum apud *Dioscoridem.*

Nux Moschata vel myristica Arabum, Nux Indica *Aëtio.* vide *Nux Moschata.*

Olibanum, Thus Masculum, Libanos *Dioscoridis*, Latinis Thus.

Ovi Luteum, Vitellus Ovi.

Parietaria, Helxine & Perdicium. vide *Parietaria.*

Peplus, Peplis & Peplion: Species est Tithymali. Vide suo loco.

Petroleum, Bitumen liquidum.

Petroselinum, Apium

Phyllitis, Lingua Cervina offic. C. B. *Harts tongue.*

Palimpissa, Pix arida.

Plumbum, Plumbum nigrum.

Polygonum. Sanguinaria. Sanguinalis.

Polypodium, latine Filicula.

Pompholyx Veterum, Nil vel Nihili album, Tutia Arabum.

Prunus sylv. C. B. *the Sloe or Black thorn.* Græcis κοκκυμηλα αγρια; κοκκυμηλεα αγρια.

Raphanus hortensis, Radicula offic. ραφανος *Theophrasti.*

Raphanus rusticanus, Thlaspi alterum *Dioscoridis* C. B.

Resinæ Recentium;

1. Colophonia, *Black Resin*, respondet Resinæ frictæ Veterum, ab eorum Colophonia prorsus distinctæ, quæ liquida, e Colophone advecta, optima censebatur.

2. Resina, *White Resin.* Respondet Resinæ Veterum in aqua coctæ.

3. Resina Abietina Veterum, Terebinthina Argentoratensis nostra.

4. Resina Laricea Veterum, quæ Terebinth. Veneta nostra.

5. Resina Pini vet. Terebinthina communis nostra.

6. Resina Terebinthina vet. Terebinthina e Chio nostra.

Rhaponticum, Rha & Rheum *Dioscor.* Radix Pontica *Celso.*

Rhus Obsoniorum, Rhus Græcorum, Sumach Arabum.

Ricinus *Dioscoridis*, vide inter Synonyma *Cataputia Major.*

Ros marinus, Lisanotis coronaria *Dioscoridis.*

*** Rubia

Rubia tinctorum, Erythridanum *Dioscoridis*. *Madder*.

Sanguis Draconis, Cinnabaris *Dioscoridis* & *Plinii*.

Satureia hortensis, Thymbra. *Summer savory*.

Satyrion, Testiculus alter.

Scincus offic. Crocodillus terrestris *Dioscoridis* & *Raii*. *The Scinck*.

Sebesten Arabum, Myxa Græcorum posteriorum.

Seseli offic. Ligusticum *Dioscoridis*.

Siliqua edulis, Ceratia.

Soda vel souda. vide *Kali*.

Stannum, Plumbum album Veterum.

Staphysagria, Herba pedicularis.

Stramonium, Solani manici *Dioscoridis* species. Vide *Stramonium*.

Succinum, Charabe Arabum.

Tamarindi, ὀξυφοίνιξ Græcis recentioribus.

Tamariscus, Myrica.

Terebinthina, Vide *Resina* inter *Synonyma*

Tithymalus, Esula vel Esula Arabica.

Triticum purissimum, Siligo.

Valeriana, Phu.

Verbena, Herba Sacra *Dioscoridis*.

Vinca pervinca, Clematis Daphnoides.

Vitriolum, Chalcanthum, Atramentum Sutorium.

Umbilicus Veneris, Cotyledon.

DUBIA,

DUBIA,

De quibus proinde Veterum Testimonia non alleganda.

A.

Abrotonum fœm. foliis teretibus C. B. *Lavender Cotton.*
Acetosa pratensis.
Agaricus.
Ageratum foliis serratis C. B.
Alliaria.
Alsine Media C. B.
Anchusa foliis phœniceis C. B.
Angelica sativa. C. B.
Anonis spinosa flore purpureo C. B.
Aquilegia Sylv. C. B.
Argentina, Potentilla dicta C. B.
Asclepias flore albo C. B.
Aspalathus, Lignum Rhodium quibusdam.

B.

Bdellium.
Behen album & rubrum.
Benzoinum.
Blitum album majus C. B.
Bulbocastanum majus folio Apii C. B.

C.

Calendula. Caltha vulg. C. B.
Caprifolium. *Woodbine.*
Cardamine, Grana Paradisi, Melegneta C. B.
Caryophyllata vulg. C. B.
Centaurium minus C. B.
Chærophyllum sativ. C. B.
Cichoreum.
Cinara hort. aculeata & non acul. C. B. *Garden Artichoak.*
Convolvulus major & minor.
Cotula flor. Chamæm. fœt. C. B.
Cubebæ.

D. & E.

Dens Leonis latiore folio C. B. Aphaca *Theoph.*, qui inter olera ponit; non vero Aphaca *Diosc.* aut *Galeni*. *Plinius* utramque confundit.
Dulcamara.
Endyvia, Intybus sativa latif. C. B.

F.

Filix fœmina.
Filipendula vulg.
Fragaria.
Fraxinus (*c*).

G.

Genista angulosa & scoparia C. B.
Grossularia spinosa C. B. *the Goosberry bush.*
Gummi Animæ.
——— Lacca.

H. & I.

Hæmatites lapis. *Bloodstone.*
Hedera terrestris vulg. C. B.
Hepatica,
1. Lichen, seu Hepatica vulg. *Raii Hist. Liverwort.*
2. Lichen petræus latifolius, sive Hepatica fontana C. B. *Star Liverwort* (*d*).
Hermodactylus.
Hipposelinum *Theophrasti*, vel Smyrnium *Dioscoridis* C. B. *Alexanders.*
Horminum, sclarea dict. m. C. B.
Jasminum vulgatius flore albo C. B.

L.

Lavendula angustifolia C. B.
Levisticum. Ligusticum vulgare Apii folio C. B. *Lovage.*
Lichen. vide *Hepatica.*
Lignum Rhodium.
Ligustrum germanicum C. B. *Privet.*
Lilium convall. album C. B.
Linaria vulg. lutea C. B.
Lingua cervina. Vide *Phyllitis.*
Linum sylv. Catharticum *Ger.*

M.

1. Marum sampsuchus, sive Marum, Mastichen redolens C. B.
2. Marum Syriacum *Hort. Lugd. Bat.* Majorana Syriaca vel Cretica C. B. Vide *Majorana* in *Catal. Synonymorum.*
Melilotus. Trifolium odoratum vel Melilotus vulg. J. B. *Common Melilot.*
Menthastrum offic. Mentha sylv. folio latiore C. B. *Horse mint.*

N.

(*c*) Traditur a *Dioscoride*, ligni ramenta scobemque potu perniciem afferre, & a *Plinio* Folia jumentis esse mortifera: sed ab ipso forte Taxus cum Fraxino confunditur: nam apud nos hujus Folia pro boum pabulo reponuntur.

(*d*) Non liquet, alterutrum horum esse Veterum Lichenem. *Dioscorides* enim Licheni tribuit Vim inflammationes arcendi & oris ac linguæ defluxiones inhibendi. *Aëtius*, *Paulus* ac *Oribasius*, vim exter-ornam & moderate refrigerantem: nostri vero Folia odorata sunt, saporis amaricantis, aliquantum aromatici, præsertim prima species: secunda dictis qualitatibus paulo inferior est. Hinc, bene notante *Dillenio*, patet, quid de vi refrigeratoria sit sentiendum.

N.

Napus dulcis sativus C. B. *Naven gentle.*

Nepeta. Mentha Cataria vulg. & major C. B.

Nymphæa major lutea.

O.

Origanum sylv. Cunila bubula *Plinii* C. B. *Wild Marjoram.*

Orobus Siliquis articulatis semine majore C. B. Ervum. *Bitter Vetch.*

P. & R.

Paralysis. Verbasculum Pratense odoratum C. B. *Cowslips.*

Pastinaca Sativa latifolia C. B. *Common garden Parsnip.*

Piper Indicum. Capsici Siliqua. Piper Indicum Vulgatissimum C. B. *Guiney Pepper.*

Pityusa *Dioscoridis.*

Plantago latifolia sinuata C. B. *Great Plaintain or Waybread.*

Plantago major angustifolia C. B. *Ribwort Plaintain.*

Polygala. *Milkwort* (*e*).

Primula Veris. Verbasculum sylv. majus singulari flore C. B. *Primrose.*

Prunella Major folio non dissecto C. B. *Self-heal.*

Ribes offic. C. B. Ribesia. *Red currents.*

S. & T.

Santonicum Semen. *Wormseed.*

1. Saxifraga rotunda. folia alba C. B. *White Saxifrage.*

2. Saxifraga vulg. offic. Seseli pratense. Silaus forte *Plinio* C. B. *Meadow Saxifrage.*

Scabiosa offic. Scabiosa pratensis hirsuta, quæ officinarum C. B. *Scabious.*

1. Scrophularia nodosa fœtida C. B. *Figwort.*

2. Scrophularia aquatica major C. B. *Water Betony.*

Serpyllum vulg. minus C. B. *Mother of Thyme*

Sesamum offic. & C. B. *Oily purging Grain.*

Sisarum Germanorum C. B. *Skirret.*

Spatula fœtida. *Iris*, quam Xyrin vocant. Gladiolus fœtidus C. B. *Stinking Gladwyn.*

Tanacetum vulg. luteum C. B.

Terra Lemnia.

Turpethum.

U. V Z.

(*e*) Tam paucæ ejus, tum a *Dioscoride* tum etiam a *Plinio*, traduntur Notæ, ut admodum difficile sit discernere, quæ Planta nobis hodie sese offerat, cui Polygalæ nomen recte competere possit.

U. V. Z.

1. Vaccinia nigra Ger. Hibernice *Fraghan.* Vitis Idæa foliis subrotundis, non crenatis, fructu nigricante C. B. *Black Whorts or Wortsle berries, or Bilberries.*

2. Vaccinia palustria Ger. Vitis Idæa palustris C. B. *Marsh Whortle berries, moss berries or Moor berries or Bogberries.*

Veronica mas supina & vulgatissima C. B. *Male Speedwell or Fluellin.*

Vipera officin. *The adder.*

Virga aurea angustifolia minus serrata C. B. *GoldenRod.*

Ulmaria. Barba capræ floribus compactis C. B. *Meadow Sweet.*

Zedoaria.

NOVA,

NOVA,

De quibus Recentiorum Testimonia sola alleganda.

A.

Abies.
Acetosella seu Lujula.
Alchimilla.
Alnus nigra baccifera.
Antimonium.
Argentum vivum.
Arsenicum flavum, rubrum & album nostrum (f).
Asparagus sativa.
Atriplex Fœtida. C. B.
Aurantia malus. Aurantia major C. B.
Auricula Judæ, vide *Fungus*.

B.

Balsamum Copaiva.
——— Peruvianum.
——— Tolutanum.
Basilicum sive Ocymum vulg. C. B.
Bellis Sylv. major & minor.
Borax, Tincar (g).
Bugula, consolida Media pratensis cærulea C. B.
Buxus arborescens. C. B.

C.

Calamintha aquatica sive Mentha arvensis Verticillata J. B.
Cancrorum Chelæ.
——— Oculi.
Canella alba, falso Cortex Winteranus dicta.
Caranna Gummi.
Caryophyllus ruber, Caryophyllus altilis major C. B.
Casumunar.
Cineres clavellati.
——— Russici.
Cinnabaris factitia.
Coccinella.
Cochlearia folio subrotundo C. B.
Contrajerva vel Drakena.
Corallina J. B.

Coral-

(f) Vix ultra duo secula innotuere. Cobaltum est sola minera, unde conficiuntur.

(g) Vox *Tincar* est Arabica, & dicitur significare speciem Nitri, in auro ferruminando usurpati. Verosimile est, hoc de nostro Borace intelligi, quæ externa facie, & aliter, similis est Nitro cujusque usus præcipuus est auri ferruminatio, & ab hoc ejus effectu, ab Arabibus de suo Tincar relato, Græci recentiores id confuderunt cum Chrysocolla, cum qua in nulla alia re convenit, quam ferruminatione auri. Chrysocolla enim *Dioscoridis* est minera Cupri terrea, *Terre verte* dicta, conveniens.

Corallium album.
Cortex peruvianus.
—— Wifteranus: vide *Canella alba.*
Cucurbitæ femen.
Cyanus Segetum C. B.
Cydoniorum Semen.
Cyperus Odoratus radice longa, feu Cyperus offic. C. B.

E. F.

Eleterii vel Eleutheru Cortex five Cafcarilla
Eupatorium Cannabinum.
Euphrafia offic. C. B.
Fungus membranaceus, auriculam referens, five fambucinus.

G.

Gambogia.
Geranium Robertianum C. B.
—— —— Cicutæ folio Mofchatum C. B.
Ginfeng radix & Nenzin.
Guajacum, Lignum vitæ vel Indicum.
Gum Copal.
—— Elemi.
—— Lacca, five Jujuba Indica *Raii, Hift.*

I.

Jacobæa vulg. laciniata C. B.
Jalapa radix.
Imperatoria major C. B.
Ipecacoanha.

L.

Lac ebutyratum.
Lamium album non fœtens folio oblongo C. B.
Lapis Bezoar Orientalis.
—— Calaminaris, ochra Zinci.
—— Hæmatites.
—— Hibernicus, Ardefia Hibernica, feu Tegula hibernica pharm. Paris.
Lichen cinereus terreftris *Raii.*
Lignum unctile Campechenfe.
Limonia malus. Sive malus Limonia acida C. B.
Liquidambra.
Lujula vide Acetofella.

M.

Malabathrum folium, five Folium Indicum. Folium Cinnamomi, vel Canellæ Malavaricæ & Javanenfis C. B.
Mandragora fructu rotundo.
Mechoacanna alba.
Mentha Piperis fapore, fpicis brevioribus, foliis Menthæ fufcæ, fapore fervido Piperis, *Raii Synopf.*

N. & O.

N. & O.

Nicotiana Major latifolia.

Ophioglossum vulgatum. C. B.

P.

Pareira brava pharm. Edinb. Radix Convolvuli Braziliani flore Octopetalo monococci. *Raii Hist.*

Pimpinella Saxifraga.

Piper Jamaicense. Pimenta pharm. Lond.

Pix Burgundica.

Polygala (unde Seneka;) caule simplici erecto, foliis ovato lanceolatis alternis integerrimis, racemo terminatrice erecto Floræ virginicæ, *Hill. Mat. Med.*

Pompholyx nostra.

Pruni sylv. Flores.

R. & S.

Rosa.

Saccharum.

Sal Ammoniacus vulgo dictus.

—— Catharticus amarus.

Salvia agrestis, sive scordium alterum.

Sanicula offic. C. B.

Saponaria major levis C. B.

Sarsæparillæ rad. Smilax aspera Peruviana, sive falsa parilla C. B.

Sassafras radix ejusque cortex Arboris e Florida ficulneo folio, C. B.

Scorzonera latifolia Sinuata. C. B.

Secale hybernum vel majus.

Serpentaria Virginiana offic.

Serpilium citratum *Ger. emac.*

Simaruba pharm. Edinb.

Sperma Ceti.

Spina alba. Mespilus Apii folio sylv. spinosa sive oxycantha. C. B.

Spina cervina. Rhamnus Catharticus. C. B.

Spiritus Vinosus seu Aqua Vitæ.

Succisa, Scabiosa radice succisa flore globoso *Raii* Synops.

T.

Tacamahacca.

Tartarum album & rubrum.

Terra Japonica. Catechu.

Tormentilla sylv. C. B.

Trifolium palustre C. B.

Thus vulgare offic. quibusdam Thus fœmina. Resina sicca Pini sylv. C. B.

Tea.

Tutia.

V. & Z.

Vitriolum album.

Zibethum.

MEDICAMENTA VETERUM OBSOLETA INSIGNIORA.

Hæc hodie pro parte prorsus ignota sunt; pro parte hodie parari possunt. Multorum quoque damnum a succedaneis suppleri potest, cum alia digna sint quæ in usum revocentur.

Aeris Flos apud *Hippocratem* illinebatur in tumore tonsillæ cum gurgulionis inflammatione & comburebatur pro corrodente.

Interne diu ante *Hippocratem*, ut purgans, usurpabatur. Vide ejus præparationem apud *Dioscoridem* & *Hill.* in Mat. Med.

Aeris Squamma ad purgandos hydropicos apud *Hippocratem* in usu venit. In Ulceribus dysepuloticis usurpata est ab *Asclepiade* altero, ut lenissima ex adurentibus.

Aes Ustum. Vide *Dioscoridem* & *Hill* libro allegato. Horum Medicamentorum Vicem usu externo hodie supplet Ærugo.

Amomum veterum quid fuerit latet; nostrum saltem nil cum eo commune habet.

Arsenicon. *Arrhenicon. Arsenicum*, sulphure & lapide spathoso & micaceo mineralisatum, minera flavescente. *Auripigmentum* Arsenicum fuit *Dioscoridis* & *Plinii*, vide *Walerii Mineral.* Hoc solum veteribus cognitum fuit usu tum externo, fumo ejus in os recepto in morbis pulmonum, tum interno. Inde paratur

Sandaracha, quæ fit liquefaciendo auripigmentum, donec rubrum fiat, a nostro Arsenico factitio rubro prorsus diversum, adhibita fuit a veteribus, non tantum vapore, ut Auripigmentum, sed & in pulvere & linctu.

Bulbus. Hoc nomen simpliciter apud antiquos frequentissime occurrit, nulla addita descriptione. *Celsus*, lib. 2, innuit, Bulbos vocari omnia Olera capitata, vel quorum radices esui dantur. Omnes quoque radices rotundæ & tunicatæ, ut Lilii, Croci, Squillæ, aliæque similes, apud *Dioscoridem* βολβοὶ dicuntur.

Buly-

Butyri fuligo facile paratur ut apud *Dioscoridem*. Vim possidet in morbis oculorum exsiccandi & adstringendi: fluxiones vero cohibet & ulcera celeriter ad cicatricem perducit.

Cadmia. Veterum nativa erat minera Cupri, sed hæc non erat Cadmia, cujus vires in Medicina præcipue celebrabant: hæc enim factitia erat ex ære, in officinis ærariis reperta, hujusque tres species distinguebant, scil. *Capnites*, *Botryites* & *Placites*, in nostris officinis incognitas, nec viribus æquales Tutiæ nostræ. Vide *Hill* Mat. Med. & *Tutia*, suo loco.

Chrysocolla, Authore *Dioscoride*, purgat cicatrices, excrescentem carnem coercet, adstringit, purgat, excalfacit & modice pus mordendo exedit. Inter medicamenta numeratur, quæ vomitiones concitant, ac necem inferre possunt. Convenit inter recentes, antiquorum Chrysocollam fuisse mineram Cupri, & convenire cum terra, *Terre verte* dicta, quæ Ochra viridis aliquibus nuncupatur. Cum Borace vero errore confunditur, nam cum eo in nulla alia re convenit, quam in ferruminando auro.

Chalcitis. Lapis atramentarius ruber *Walerii Mineral.*, est Minera Vitrioli & Cupri, hodie cognita. Datur a Turcis in hæmorrhagiis cum eventu felici, ut olim apud Romanos, sed non apud antiquos Græcos. *Hill* libr. cit.

Calamus Odoratus Arundo erat, non Radix, & proinde a nostro Calamo aromatico diversus.

Cimolia alba magno pretio fuit apud antiquos. *Tournefortio* videtur esse Creta alba, in Insula Cimolo, *Argentiere* dicta, reperta, cum spiritu salis fermentans. Proinde non est Argilla, *Tobacco pipeclay* nobis dicta, sed marga alba ponderosa friabilis. *Hill Hist. of Fossils.* Inservit incolis ad dealbanda lintea, cujus usus quoque meminit *Plinius*.

Cneorum *Hippocrati*, qui eo utitur ad pituitam & bilem purgandam. Est remedium e Thymelæa vel Chamælea extractum, secundum *Le Clerc*, vide *Grana Cnidia* suo loco.

Diaphryges est perfecti æris veluti fæx subsidens & cohærens imæ fornacum parti. Modice & adstringit & acris est ut æs ustum. Vehementer siccat, unde Ulceribus pertinacibus mire prodest. *Gorræus* Definit. Med.

Lycium succus est, coctione expressus ex arbore spinosa, fructu amaro, cum amaritudine adstringens, vim habens abstergendi & contrahendi.

Etsi non satis liquet, *Lycium* esse Terram Japonicam nostram, hæc tamen, sine magno errore, pro ejus succedaneo admitti potest.

Lactuca Marina est Tithymalus marinus, cujus Lactis gutta, pani commista, copiose purgabat.

Lana Succida vid. *Oesypus* suo loco.

Maza *Hippocratis* parabatur ex farina hordei tosta, humore aliquo conspersa: plebeius ac vulgaris cibus erat.

Molybdæna duplex erat, nativa & factitia; hæc est species Lithargyrii.

Melanteria. Lapis atramentarius niger *Walerii*, Minera est Vitrioli Ferri & Cupri, Ferri autem plus quam Cupri, ab antiquis in emeticis usurpata & hodie cognita.

Misy, Lapis atramentarius flavus *Walerii*, minera Vitrioli Ferri solius & hodie reperta.

Mel ærium & roscidum. De his vid. *Manna* suo loco.

Oxygala. Lac acetosum vel Lac acidum Veterum.

Peplus vel Peplium. Species Tithymali.

Polenta in genere significat quamlibet Farinam.

Sory. Rusma recentium. Lapis atramentosus gryseus *Walerii* & *Hill hist. of Fossils.*

Terra Eretria *Plinii*, *Dioscoridis*, & *Galeni*. Bolus alcalina subcinerea, quæ Terra Eretria Authorum. Vid. *Hill*, *Mendez da Costa*, & *Dale*. Effoditur in insula *Negropont*: usta albedinem insignem, duritiem & saporem acrem acquirit. Ab omnibus aliis Terris distinguitur, relinquendo colorem subcæruleum, si madefiat & trahatur super laminam Orichalci aut Cupri, quod sit a sale alcalino, cui proprium est, tincturam cæruleam a Cupro extrahere. Veteres multam operam impendebant præparandæ huic terræ in usum, ut apud *Dioscoridem* videre licet, fere ut nos, lævigando, paramus pulveres testaceos. Extergendi vim valentem possidet, sed citra morsum, maxime si lota sit.

Terra.

Terra Selenusia, Steinomarga, seu Lithomarga, Agaricus mineralis vel saxatilis. Fungus petræus & Lac Lunæ *Agricolæ* & *Gesneri*. Apud nos admodum frequens est & acidorum absorbens insigne, de qua hæc Veteres: „ Abstersoriam facultatem valde moderatam obtinet, quamobrem mulieres quædam „ pro Smegmatis defrictoriis in facie utuntur. Efficaciter stringit, sanguinis ex„ creationes sistens ulcera quoque incarnat, maxime quæ in summa cute consi„ stunt & magis igne ambusta, utpote citra morsum exsiccans, neque manifeste „ excalfaciens aut refrigerans.

MEDICAMENTA ARABIBUS VEL ET GRÆCIS RECENTIORIBUS USURPATA ET VETERIBUS INCOGNITA.

Ambra grysea.
Bezoar.
Berberis.
Camphora.
Caryophylla arom.
Cheiri.
Cassia fistula.
Galanga.
Hyssopus.
Kermes.
Lapis Lazuli.
Lavendula.
Macis.
Manna.
Trangabin.
Margaritæ.
Mezereon.
Moschus.
Myrobalani.
Nux Moschata.
Nymphæa.
Rhabarbarum.
Opium.
Saccharum.
Sandaracha Arab.
Santalum rubrum.
Sebesten.
Sena.
Tamarindi.
Volubilis vel Lupus Salictarius.
Zedoaria.

EX AMERICA VENIUNT.

Balsamum Capivi.
——— Peruvianum.
——— Tolutanum.
Canella alba vel Cortex Winteranus.
Coccinella.
Contrayerva.
Cortex peruvianus.
Eleutheriæ Cortex.
Gambogia (ab utraque India).
G. Elemi vulgare.
——— Guajacum.
Jalappa.
Ipecacoanha.
Lignum tinctile Campechiense.
Nicotiana.
Petroleum Barbadense.
Piper Jamaicense.
——— Indicum vel Capsicum.
Sarsaparilla.
Sassafras.
Serpentaria Virginiana.

MATE-

MATERIES MEDICA.

SIVE DE

MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM FACULTATIBUS.

N. 1. *ABIES* conis ſurſum ſpectantibus ſive mas. C. B. *The Silver Firr.*

2. *PICEA* major prima, ſive Abies rubra C. B. *The Pitch Tree or Common Firr.*

Nec *Galenus*, nec *Dioſcorides* hujus arboris meminerunt.

Folia ſubamara, auſtera, ſubacida, terebinthinacei odoris & ſaporis: tenera viridia magis acida.

Decoctum eorum fit coloris ſaturate viridis addendo Vitriolum viride, in altero Experimento ſubnigrum.

Lignum quoque nigrum fiebat, adſpergendo Solutionem reſidui Aquæ cujuſdam Vitriolicæ. Hinc forte Raſuræ hujus ligni non ſecus quam Guaiaci in medicinalem uſum admitti poſſunt, &, ſi *Hofmanno* fides, decoctum Summitatum omnibus decoctis, ex lignis exoticis paratis, ratione virtutis præferendum eſt in Scorbuto & Arthritide vaga.

Cortex quoque ſaporis eſt ſubamari, auſteri & terebinthinacei odoris & ſaporis, uſuſque eſt præcipue externi in ulceribus & ambuſtis.

E Conis ſeminaturis Oleum ſeu magma oleoſum viſcidum in molendinis, inſtar ſeminis Lini, exprimitur, & inde deſtillatione prodit Oleum clarum, a vulgari Spiritu Terebinthinæ nihil differens.

Nuclei debiliores faginorum more inebriant. Vide *Fagus* infra.

Conorum ſuffitus præſtantiſſimum eſt in Teneſmo remedium.

3. *PINUS*, *Scotch Firr* dicta, ſaporem ſuum impertit Lacti & Butyro vaccarum, ſummitates ejus edentium.

C. *ABROTONUM* mas anguſtifolium majus C. B. *Southernwood.*

Jucundi eſt odoris cum gravitate quadam; guſtus amari, pauciſſimæ acerbitatis particeps, ſecus quam Abſinthium, unde Abrotonum inimicum eſt Stomacho, gratum vero & amicum Abſinthium.

Si comam cum floribus contusam ulceri parvo illinias, mordax & irritans videbitur, sive Abrotono, in oleo macerato, caput voles aut ventrem perfundere, admodum calefacere reperies. Rigore prehensis ex Oleo utiliter illinitur. Efficacissimum contra ea, quorum veneno tremores & frigus accidunt, ut scorpionum & phalangiorum.

Discutit pannos si cum farinis hordeaceis crudis tritum decoctumque sit.

Decoctum potum aut per clysterem infusum lumbricos occidit melius quam Absinthium.

Usus est foliorum & seminis: major autem seminis ad excalfaciendum vis, quod fervefactum seu crudum tritum, & ex aqua potum orthopnœæ, ruptis, convulsis, ischiadicis doloribus & mensibus commorantibus, auxiliatur. In cordis strangulatione exhiberi jubet *Hippocrates*.

NOTÆ. Infusum coloris fit viridescentis nigri si Vitriolum Martis addatur

Infusum, Vino vel Cerevisiæ additum, hæc longe magis inebriantia reddit.

Recens contritum sugillationibus subvenit.

Ob vim suam anthelminticam a Veteribus *σκωληκόκτονον* & ab Hispanis hodie *Herba Lumbricorum* appellatur, & usurpatur in pueris contra vermes in sacculis abdomini impositus.

Laudatur & in cachexia, ictero, chlorosi, & in febribus intermittentibus pertinacibus, pulvere dato ad ℨj

Decoctum summitatum in Vino vel Aqua Asthmati & Tussi succurrit, lentosque humores renum, matricis & vesicæ incidit.

D. *ABROTONUM* fœmina foliis teretibus C. B. Chamæcyparissus. *Lavender cotton.*

Quænam planta sit non convenit inter antiquos.

Magis temperatum & minus acre quam mas; adstrictionis autem aliqualis particeps esse indicat color decocti fuscus post additum tantillum Vitrioli Martis.

C. *ABSINTHIUM* vulgare majus I. B. *Common Wormwood.*

Bathypicron dictum ab amarissimo sapore: porro acre est & quam maxime adstringit, unde, tametsi Succus ventriculo inimicus sit, vinum ex eo paratum stomachum roborat, quo vino in Propontide utuntur, cum febri carent, alioquin æstate propinant, corporibus bonam valetudinem præstare existimantes.

Somnos allicit olfactum, aut inscio sub capite positum. Pecora pinguescunt Absinthio Pontico.

Vulnera recentia, priusquam aqua tangantur, impositum sanat, præterea ca-

capitis ulcera curat & pruritus. Urinam ciet, alvum lenit, menses trahit, seu potum seu cum melle appositum.

Vim habet calfaciendi, adstringendi, concoctiones adjuvandi, biliosaque detrahendi, quæ stomacho & Alvo inhæserunt. Crapulam in potu præsumptum arcet. Valet & adversus inflationes itemque ad discutiendos ventris & stomachi dolores cum seseli aut nardo Celtico potum. Appetitum excitat. Ventris animalia pellit. Sanat arquatos, si dilutum decoctumve quotidie tribus cyathis haustum sumatur.

Usu externo detergens, antisepticum, resolvens.

Anginæ eo cum melle & nitro perunguntur & epinyctides ex aqua: contra sugillata cum melle: contra hebetes oculos aquososque sanguinis humores, quos Græci ichores vocant & destillantes aures eodem modo. Aurium dentiumque dolores Absinthii decoctum vaporis sui suffitu lenit. Decoctum in passo contra Epiphoras forma emplastri adhibetur. Imponitur & hypochondriis hepatique, diuturno dolore infestatis, tritum cum cerato cyprino, stomacho autem longa valetudine laboranti cum rosaceo. Admistis ficubus, nitro & loliaceis farinis, hydrophicis lienosisque convenit: contra fungorum strangulationes convenienter ex aceto bibitur

Inspersum arcis vestes a tinearum injuria vindicat: culices ex Oleo perunctum abigit & a corpore arcet: atramentum librarium diluto ejus temperatum literas a murium erosione tuetur.

NOTÆ. Odor Absinthii validus est, aromaticus, penetrans, sapor amarissimus, acris, calidus: inter tractandum manus meæ pruriebant. Acrimonia hæc volatilis est, & inter destillandum perit.

Vim adstringentem, non immerito a Veteribus Absinthio tributam, possidere patet exinde, quod Infusum foliorum, addito tantillo Vitrioli viridis, fusco nigrum evasit & deposuit sedimentum viride.

Æstate cerevisiæ acescenti immistum aciditatem frangit & domat (*).

Aceto decocto Absinthii admixto, perit aciditas prioris & amaritudo posterioris.

Absinthio pastæ oves carnes reddunt vix gustandas.

Extrinsecus arcet vigilias temporibus ac plantis pedum impositum.

Succus herbæ recentis purgat magna dosi sumptus & ab aliquibus laudatur ad hydropicorum aquas expellendas.

In omni morbo ubi deficit Bilis, aut hæc lentore & inertia peccat, summi usus-

(*) Nimia vero quantitate ingesta talis cerevisia, capitis dolores creat, cum juxta *Wepferum* cerebro & nervis inimicum sit absinthium.

psus est; & optimum est remedium contra obesitatem. An pecora ab ejus pastu, eorum vermes necando, pinguescunt?

In Febribus præcipue Tertianis convenit: Obstructiones reserat, & inde natos affectus tollit, ut Icterum, Hydropem, &c.

C. *ABSINTHIUM MARINUM.* Absinthium Seriphium Belgicum C. B. *Sea Wormwood.*

Subamarum est & graveolens, cum amaritudine salsedinem quandam præ se ferens. Ascarides teretesque lumbricos enecat, leviter simul & semel alvum subducens. Pecora hoc maxime pabulo pinguescunt.

C. *ACACIA* Germanica vulgo, scil. Succus inspissatus fructus Pruni sylv. C. B. quam pro vera Acacia minimo errore usurpamus.

Vim habet adstrictoriam & refrigerantem

Convenit in oculorum affectibus, erysipelate, herpete, pernionibus, pterygiis & oris ulceribus, quin & procidentes oculos in integrum restituit, fluxum muliebrem sistit, ac ipsius etiam vulvæ procidentias reprimit, tum potus, tum etiam infusus. Succus lotus imbecillior & minus mordax redditur: hinc ad oculorum medicamenta cum aqua tritus, effuso identidem quod in summo concreverat, donec pura supersit aqua, atque ita in pastillos cogitur.

NOTÆ. Acacia vera, vel Succedaneum ejus, Succus inspissatus Pruni sylvestris saporis est acidi, acerbi: salivam elicit masticata Fructus, ut Mespili, quando gelu fuerint constricti, esui apti fiunt, & ex iis in Germania paratur vinum.

Acrimoniam acidam lotione deponit, unde sic parata a veteribus inter ocularia medicamenta locum habuit.

Vetus succus minus acidus, unde ejus infusum in aqua nigrescebat addito Vitrioli viridi, secus quam in recenti, ubi Acidum prædominans hunc effectum prohibere videtur.

Solvitur in Aqua, non in Spiritu Vini rectificato, notante *Lewis*, secus quam Terra Japonica, Hypocistis & alia vegetabilia adstringentia, quæ æque in spiritu Vini ac in aqua solvuntur.

D. *ACETOSA* pratensis C. B. *Sorrel.*

Forte Lapathum quartum *Dioscoridis*, Oxalis alias dictum: sed hoc non usque adeo manifestum est, ut vires ex *Dioscoride* allegarentur.

NOTÆ. *Folia* saporis acidi sunt, subadstringentis: In sicca perit aciditas; Succus tamen non effervescit cum Alcali.

De-

Decoctum acidum est subadstringens, & cum Vitriolo viridi viridescit.

Aqua destillata insipida est.

Ejus Extractum quasi sabulosum sentitur sub dentibus a sale.

Calculi in succo partim solvebantur.

Contusa & butyro admixta, vel sub Cineribus in proprio humore cocta, ad maturandos abscessus laudatur, & ad tumores cysticos recentes resolvendos.

In pultem contusa, affuso butyro, sordidis imposita Ulceribus prodest.

Appetitum, a cruditate nidorosa dejectum, excitat, Putredini resistit, in febribus biliosis & ardentibus utilissima.

Succus arcet fœtidum anhelitum & putredines Gingivarum vacillantesque Dentes firmat.

Motus nimios compescit, sitim sedat, acrimoniam corrigit, præcipue biliosam: prodest phlogosibus, & æstuationibus vagis scorbuticorum, Cholericorum & similium. Incrassat & adversus hæmorrhagias, alvi fluxus & dysenterias conducit.

Radix saporis est austeri, subaciduli, amari & decoctum ejus cum Vitriolo viridi viridescit, & cum solutione Martis colorem saturate viridem exhibet.

Succus spissescit cum alcalinis, clarior fit cum acidis.

De hujus radicis infuso vel decocto aquoso subrubro hoc singulare notat *Lewis* in sua Materia Medica, quod Alcalia addita mutent ad colorem purpurascentem, secus quam fit in plerisque Acidis vegetabilibus, quorum tincturæ rubræ exaltantur ab acidis; notandum tamen quod radix neutiquam sit æque acida ac folium, sed austera.

Semen saporis est austeri, acidi, & infusum ejus, addito Vitrioli viridis tantillo, viridescebat; & in altero experimento nigrescebat.

N *ACETOSELLA* & Lujula offic. Trifolium acetosum vulgare C. B. *Wood Sorrel.*

Folia recentia acida sunt & adstringentia, aciditate majore & gratiore quam Acetosæ.

Refrigerans est & antiseptica. Sitim sedat. In sicca perit Aciditas.

Aqua destillata insipida est; sed decocti residui ℥vj exhibebant ʒvj gr. xiv Extracti fortiter & grate acidi, vires integras plantæ, imo validiores quas concentratas vocant, possidentis.

Simile Extractum dat & Acetosa.

In libra una foliorum recentium circa ʒiss Salis essentialis aciduli delitescit.

Decoctum residui a destillatione acidum est, & subadstringens, non vero nigrescit cum Vitriolo viridi.

Succus ejus in experimentis, a D. *Lobb* institutis, fragmentum calculi dissolvebat in novem diebus.

C. *ACETUM Vinegar*

Mistæ est substantiæ, frigidæ & calidæ: repercutientem, attenuantem & simul discutientem vim habet. In Balneo, ne quis in animi deliquium incidat, Pulegium & Acetum odoranda.

Distat Acetum ab *immaturæ uvæ succo* viribus in eo, quod Acetum acrimoniam quandam ex putredinosa caliditate adeptum est, uvæ autem immaturæ succus non habet acquisititiam caliditatem, & propterea neque Aceti acrimoniam, unde etiam *magis tenuium partium* est Acetum quam uvæ immaturæ succus. Acetum secat & erodit, non modo animantium corpora, sed & gemmas, calces, lapides, testas, æs, ferrum, plumbum pervadit ac penetrat, & per subtilissima vestimenta promptius aqua perfluit.

Acetum non tantum frigidum esse, sed & caliditatis particeps, e sequentibus experimentis patet: 1. Eorum, quibus inculpata constat sanitas, si spongiam aut lanam, aceto madentem, cuivis corporis parti superponamus, si neque summe frigidum nec calidum admoveatur, nec admodum inveteratum, neque valde acre, manifestum principio frigus percipiet, postea vero, se post sublationem, sensim nascentis in parte caloris phantasiam ac opinionem habebit. Porro, si vehementer acre Acetum extiterit, & hoc etiam refrigerari se principio dicet, celeriter tamen remittentem calorem sentiet. 2. Magis tamen refrigerat, nam, si quis ab illita Thapsia (*a*) uratur, ardor aceto restinguitur, id quod quivis Experientia discere potest, velut nos (*b*) profecto fecimus in nobis ipsis. Ita etiam multis in locis vidimus, ubi post quatuor quinqueve horas accensi & inflammari cœpissent, huic quidem parti acetum, illi aquam inspersimus, alii vero oleum, alii rosaceum immisimus, & alias atque alias aliis atque alia, sed eorum omnium Acetum compertum est efficacissimum. 3. Si quis in balneo æstuat, reficit hunc in ore exceptum & in eo retentum Acetum. 4. Sitis duplici ratione provenire solet, partim humoris inopia, partim caloris copia, quamobrem mirum videri non debet si priorem quidem sanare nequeat, alteram possit, siquidem humectare nequit, sed refrigerat. In omnibus exurentibus febribus composita est affectio ex caliditate & siccitate; quare non injuria composita illis medela est Oxycratum, sc. Acetum, quod strenue refrigerat, & quovis expedite permeat, & aqua, quæ, super quod refrigeret, omnium est humidissima.

Ace-

(*a*) Planta acerrima & caustica in usu apud veteres.
(*b*) Galenus.

Acetum fit calidius & tenuius vetustate. Cruentis vulneribus inditur, sanguinis profusionem supprimens: inflammationes arcet in succidis lanis aut spongia impositum: erumpentem undecunque sanguinem potu infessum sistit, reprimit procidentiam ani vulvæque, item gingivas abscedentes & sanguine manantes corrigit: est etiam efficax ad nomas, erysipelata, herpetes, lepras, lichenas & pterygias, si cum aliquo convenienti misceatur: phagedænas ulcerum nomasque fotu continuo cohibet: podagricis calido fotu auxiliatur: sugillata tollit cum melle inunctum. Contra capitis ardores cum rosaceo in succidis velleribus aut spongia imponitur: ad hydropem, auditum difficilem, auriumque sonitus & sibilos ferventis vapor proficit, eorumdem quoque vermes necat. Panos coërcet tepidi fotus, aut si imbuta eo spongia admoveatur, & pruritus permulcet. Gutturis fluxiones gargarizatum inhibet: anginis & laxatæ columellæ convenit; nec non & calidum contra dentium dolorem colluitur, si non acre sit in ore retinetur, ubi gingivæ a dentibus recedunt. Dicitur tamen infensissimum esse inflammatis gingivis, & authore *Celso*, Acetum sanguinem supprimere potest, non autem Ulcera faucium sanare, &, authore *Galeno*, Ulcerum glutinatorium non Acetum sed Oxycratum dicendum est, aliam multo naturam ab aceto obtinens, siquidem, quemadmodum carnem producere in ulceribus nequit ærugo, sed ceratum exiguum quiddam habens æruginis, ad eundem modum neque acetum conglutinat, sed aqua, aceti pauxillum accipiens, ipsum vero per se ac sincerum acetum ulcera, quæ glutinationem desiderant, mirum in modum exasperat.

Cimolia, & omnes terræ leves continuo illita ex aceto aut oxycrato ambusta juvant, nimirum bullas exsistere prohibentes. Si ex pituitoso humore, in particulam influente, Oedema consistat, admoveatur Spongia ex aqua, in qua sit aliquid Aceti: hæc aqua vero ita temperata sit ut bibi possit, vel ut non multum supra hoc aceti habeat.

Stomacho est utile & appetentiam cibi excitat, fastidia discutit, prodest alvi fluxionibus cum cibariis coctum. Calidum potum atque vomitionibus redditum adversus omnia venena efficax est, præsertim contra haustum meconium cicutamve. Valet adversus sanguinem in ventriculo coagulatum, lac ibidem coagulatum, fungos, ixiamque cum sale. Voratas hirudines si sorbeatur ejicit: tussim veterem mitigat, & recentem lacessit. In orthopnæa calidum commode ingeritur.

Biliosis & melancholicis utilissimum. In Liene duro usurpatur, & Acetum mulsum, utpote secans & attenuans crassos humores citra calefactionem.

Acetum mulsum omnibus utilissimum in sanitate tuenda: & Posca olim militibus, agricolis, & messoribus in æstuosis regionibus potus familiaris.

Ve-

Vesicae nocet, nervorumque infirmitatibus: infert dolorem utero. Mulieribus quam viris minus prodest.

NOTÆ. Lethargici excitantur *Aceto* naribus subinflato melius quam a spiritibus volatilibus.

Austera terrestrem materiem continent ab alcalinis additis praecipitabilem. Porro, a Vegetabilibus acidis differt acidum Aceti, ascendendo inter distillandum calore mediocri, secus quam vegetabilia acida nativa, ab acidis mineralibus, quod sanguinem non coagulet, nec serum ejus, imo sanguinem conservat a coagulatione: tamen notante *Haversio* nostro, vim habet coagulandi Mucum glandularum articulorum majorem, quam ipsum Oleum Vitrioli: quin & Lac coagulat, & Coagulum leve inducit Albumini ovi.

Acetum odoris & gustus est acidi & acris, usque adeo ut in ore detentum calefaciat, corrugat linguam & fere exulceret. Principia ejus constituentia sunt aqua, acidum Vini fixius, spiritus ardentes, & vini tartarum.

Antisepticum est egregium, majorem vim habens carnem ovillam putridam restituendi, quam acidum salis marini, (sed fermentationem vegetabilium cum carne impedit) & fumus ejus, tegulae candenti inspersi, prophylacticum utile est in Peste, nec non visitantibus aegros, lavando saepe os, & spongia aceto immersa naribus admota. *Sylvius* in duplici Peste Amstelodamensi se praeservavit solo Aceti usu, ad Cochleare unum mane assumpto, adeo ut nunquam illa fuerit affectus, etsi saepissime Peste correptos visitaret.

Porro praebet stimulum sine magno motu in pellendis sudoribus, nec sudoriferum certius efficaciusque in peste & morbis malignis novimus: in magna siti egregium quoque est auxilium.

Vis ejus repercutiens, attenuans & discutiens, Veteribus nota, ulterius patet Experimentis sequentibus.

Lac e mammis pellit uberibus vel & lumbis vaccarum & canum affrictum.

Contra obesitatem valet.

Silicibus vel lateribus candentibus infusi Vapor laudatur in discussione tumorum serosorum, hydropicorum & oedematum, &, externae regioni splenis applicatum, induratos lienes dicitur curare, & scirrhosam duritiem in testibus discutere.

In Experimentis *D. Lobb* digestione tepida 38 horarum solvebat frustulum calculi.

Haemorrhagias sistit etiam scroto applicatum & mammis in nimio fluxu mensium, & in sistenda haemorrhagia narium linteum aceto madidum temporibus vel nuchae circumponitur. Inflammationes arcet.

Et

In Ophthalmia applicatur ¼ pars ad aquam pluviam.

Ebrius, soporosus, aut fere apoplecticus, sumpto Cochleari uno vel altero, calefactus expergiscitur; porro vim Cicutæ, Solani furiosi aliorumque venenorum arcet, speciatim constrictio gulæ inde nata ab haustu Aceti tollitur.

C. *ACORUM.* *Sweet-flag.*

Est Calamus aromaticus Officinarum & Græcorum recentiorum, a Calamo aromatico Veterum prorsus diversus; hic enim arundo erat, iste Radix.

Gustu est acri & modice amaro. Succus manctus Corneæ oculorum tunicæ crassitiem deterget & attenuat. Vim habet calefactoriam, utiliter antidotis miscetur. Decoctum epotum urinas ciet; stillicidio urinæ prodest, lateris, thoracis hepatisque doloribus subvenit, itemque torminibus, ruptis, convulsis. Lienes induratos juvat. Ab insessu tanquam Iris ad muliebria conducit.

NOTÆ. Acori seu Calami aromatici Odor grate aromaticus est, gustu acrimonia est major, quam amaror, & in manducando glutinosum. Carminativum est & stomachum mire confortat. In anorexia & colica a causa frigida confert.

Constantinopoli conditur hæc Radix saccharo vel melle & editur adversus corrupti aëris contagia; aquas corruptas emendat, & commendatur ejus usus in castris aquæ infusæ, ad praecavendas febres, diarrhœam & dysenteriam.

Sæpe adhibetur in chlorosi, cachexia, anasarca & asthmate humido.

Utilis est in curandis febribus pertinacibus, praecipue quartanis.

C. *ADIANTUM* foliis Coriandri C. B. Capillus Veneris J. B. *True Maidenhair*

Adiantum *Dioscoridis*, aliis Polytrichum, quasi multicomium dictum, quoniam Capillos multos & densos faciat, eorumque defluvia expleat, scil. affrictum ejus decoctum cum lixivio & vino defluentes capillos cohibet atque confirmat. Strumas & abscessus digerit. Infantum ulcuscula perunguntur ex hoc cum rosaceo & vino. Furfures & manantia capitis ulcera ejus lixivium emendat.

Facit gallinaceos & coturnices pugnaciores cibo eorum additum; circa ovilia quoque pecorum utilitatis gratia plantatur.

Herbæ decoctum epotum suspiriosis & alioqui ægre spiritum ducentibus auxiliatur, viscosorum crassorumque e pectore excreationibus non modice

confert felle suffusis, spleneticis & urinæ difficultate laborantibus prodest. Calculos frangit, alvum sistit, & sanguinis Excreationes. Contra Stomachi fluxiones in vino bibitur. Menstrua ciet & quæ a puerperio purgamenta relinquuntur: tritum cum vino & oleo cum aqua potui datur ad partum difficilem.

Vide *Trichomanes*.

NOTÆ. Apud nos frequentissimum est *Adiantum album*, *Ruta muraria* C. B. *White Maidenhair*: de quo experimenta sequentia institui.

Saporis est astringentis & dulcis. Succus ejus salivam & albumen ovi leviter coagulabat, & addito Vitriolo viridi subniger fiebat: cum alcalicis spissior, cum acidis flavidior factus est.

Dicitur lenire asperitates humorum in pectore, & halitu suo suavi cor exhilarare, nimium motum compescere & suppressum excitare. *Matthiolus* scribit, peculiariter præstare ad puerorum enterocelas, 40 diebus continuis pulvere exhibito, & magnis celebratur laudibus in rachitide & scorbuto, necnon ad mictum cruentum.

Nescio, qua experientiâ suffulti, asseruerunt aliqui, *Capillum Veneris verum* alvum solvere, præsertim recentem, quum supra dictum Adiantum evidenter astringens sit, quale & Capillus Veneris verus describitur, qui, juxta Veteres alvum sistit, & excreationes sanguinis.

C. *ÆRUGO.*

Adstringit, extenuat, excalfacit: per superiora purgat. Gustantibus acrem qualitatem offert, digerens est, detrahens & liquans, non teneram modo, sed & duram carnem; mordicans, verum, si pauculum ejus cerato non pauco, admisceas, id quod ex ambobus mistum est, citra morsum exterget, imo & ulcera ex oleo ceraque ad cicatricem perducit: ad oris & gingivarum excrescentias & extuberationem utilis, earundem ulcerationem mirifice emendat, & labiorum ulcera cum oleo: quod si & cera addatur, purgat & ad cicatricem perducit.

Callos & sordida ulcera purgat cum melle cocta. Lotæ vis collyriis oculorum aptissima: Oculorum cicatrices exterit & attenuat. Nomas, seu quæ pascendo serpunt, sistit. Vulnera ab inflammatione tuetur. Resinæ terebinthinæ tertia parte cocta lepras tollit.

NOTÆ. Saporis est nauseosi, acris, subacidi, dulcis, adstringentis, linguam & palatum fere excorians, salivam coagulans: coagulat quoque serum sanguinis.

Dissol-

Dissolvitur Oleo lini calore infra gradum ebullitionis.

Carnem fungosam Ulcerum absumit: in aphtis & ulcerationibus oris applicatur admisto melle.

Usta & lota nervo vulnerato prodest, sed per se justo est mordacior.

Intus non danda, nam præterquam quod Ventriculum evertat, adeo spirandi meatus occludit, ut magno impetu suffocet affectos.

N. B. Ab Ærugine, in Aceto destillato soluta & crystallisata, obtinetur destillando Acidum vegetabile fortissimum. hinc Cuprum dissolvi potest ab Acido sine destructione aciditatis, in qua re differt ab omnibus Absorbentibus & Metallicis.

D. *AGARICUM.* Agaricus seu Fungus Laricis C. B. *Agarick.*

Odor fortis & penetrans. Sapor admodum dulcis, mox subamarus, & acris in faucibus cum aliqua adstrictione. Pulvis, in nares attractus, sternutationem excitat & oculos inflammat. Inflammabilis est & resinam sudat sapore acrem, in qua vis ejus purgans unice consistit, quæque spiritu vini diluto optime extrahitur, cum, adhibita sola aqua, fiat Extractum nullius valoris, & Analysi chemica Oleum præcipue præbet.

Oleo prius madefactum Agaricum eroso denti inditur.

Vomitum movet & secessum: pulvis potius nauseam quam purgationem excitat. Vermes fugat.

D. *AGERATUM* foliis serratis C. B. *Maudlin.*

An sit revera Ageratum *Dioscoridis* neutiquam patet; veruntamen *Gerardus* noster vires, a *Dioscoride* Agerato suo tributas, verbatim transcribens huic plantæ adscripsit.

Matthioli vero testimonio de hac planta magis fidendum puto: scil. Comam mulieres per noctem vino albo macerant, ac hoc, subinde dilutum, præbent pueris, dimidii cyathi mensura, ad necandos vermes admirabili successu. Huic equidem respondent qualitates sensiles; odoris enim est gratissimi, saporis amari, calidi & acris.

Decoctum ejus non mutatur addito Vitriolo viridi, & proinde Authores, qui vim adstringentem huic plantæ tribuere, hanc videntur confudisse cum Eupatorio Veterum, cujus adstrictio evidens est.

C. *AGRIMONIA.* Eupatorium Veterum C. B. Eupatorium Græcorum & *Avicennae*, sed non Eupatorium *Mesuee.* *Agrimony.*

Herba est tenuium partium, incidendi, extergendique facultatem citra manifes-

nifestam caliditatem habet; inest itidem ei & adstrictio quædam. Contrita hujus folia & cum suillo adipe imposita Ulceribus, quæ ægre cicatricem trahunt, medentur. Herba aut Semen, in vino potum, dysenteriâ, jecinoris vitiis & serpentium ictibus liberat.

Avicenna Eupatorio tribuit vim quandam stypticam & amaritudinem fortem, bonumque esse in initio alopeciæ judicat: nec non, herbam & succum conferre oppilationibus hepatis, duritiei splenis, apostematibus hepatis & stomachi, cachexiæ & hydropicis, febribus chronicis & fere habitualibus.

NOTÆ. Agrimoniæ odor aromaticus, suavis est, quo, ut fertur, pulvinari subjecta, somnum induceret: sapor astringens, subamarus, subacris: per decoctionem aroma perit. Decoctum austerum est & cum Vitriolo viridi fit nigrum, aliquando viride.

Albumen Ovi coagulat.

Succus austerus & subdulcis clarior fit cum acidis, coagulatur & sedimentum exhibet cum alcalicis. Aliquantulum rubefacit Chartam cæruleam & Tincturam Heliotropii.

Decoctum ejus est gargarisma frequens in malis gutturis. Siccatæ pulvis, in vehiculo idoneo exhibitus, a *Riverio* plurimum commendatur in mictu involuntario, & ab aliis in mictu sanguinis & Ulcere renum.

Herba, aut ejus succus recens expressus, est rusticorum vulnerarium unicum, vulneribus & ulceribus instillatus, aut cum filamentis impositus.

Cataplasma ex herba, vino incocta, dissipat tumores œdematosos scroti.

C. *ALCEA* vulgaris major C. B. *Vervain-Mallow.*

Radices, cum vino aut aqua potæ, dysenterias & rosiones sanant, alvo citæ, ruptis & convulsis medentur.

NOTÆ. Folia & flores mucilaginosa sunt, minus autem quam Althæa & Malva.

N. *ALCHIMILLA* vulg. C. B. *Ladies Mantle.*

Foliorum succus glutinosus est & saporis austeri. Decoctum in aqua, addito Vitriolo viridi, nigrum fit, infusum fusco-viride.

Ob lenem adstrictionem est princeps Vulnerariorum, usu tamen potius interno quam externo: hinc calorem & dolorem vulnerum, ulcerum & phlegmonum, linteis decocto madefactis, tollit. Mammæ pendulæ & laxæ exinde eriguntur & firmiores fiunt.

Succus valde utilis esse perhibetur in dysenteria, nimio stillicidio mensium, &

& albo fluore. Quibus porro adempta sit semen retinendi facultas a nimia uteri humiditate datur pulvis ex vino aut jure, cochlearis mensura, per 15 aut 20 dies. & Herniæ infantum sanantur sumpto pulvere aridæ in decocto ipsius.

C. *ALKEKENGI.* Solanum Vesicarium C. B. *Winter Cherries.* Secundum solam genus *Dioscorid s*, Halicacabum vel Vesicaria vocatur, quam priorem vocem Arabes corrumpentes Alkekengi appellant.

Fructus epotus urinam ciet, qua facultate morbum regium quoque sanat.

NOTÆ. Fructus maturus acidus est & amarus. Amaror cuticulæ inhæret. Chartam cæruleam insigniter rubefacit. Decoctum residui a destillatione aliquantulum coagulat albumen ovi & salivam jejuni

Urinæ movendæ & saburræ è renibus deturbandæ mire conducit, omnem pituitam abstergens: hinc datur in vino hydropicis. Succus expressus siccatus aquam intercutem evacuare potest, ad quem scopum a *Cæsalpino* & *Raio* laudatur.

Baccæ sumuntur N° 10, 12, 15.

Reponuntur in classe refrigerantium, antisepticorum & sedantium, hinc utiliter adhibentur in febribus ardentibus & putridis.

D. *ALLIARIA. Jacke by the Hedge. Sawce alone.*

Folia acria sunt amara. Volatilitate partium majore Cepæ similior est, quam Allio: attamen aliquantulum rubefaciunt Chartam cæruleam.

Esitata Spiritum inficit odore ut Allium, & affatim sumpta sudorem excitat odore suo infectum. Succus, naribus inflatus, sternutationem excitat in epilepticis & comatosis.

Singulari virtute gaudet contra putredinem. Extrinsecus applicata ulcera sordida & putrida abstergit: contusa, maxime cum sale & posca, utilissima est contra omnem diathesin ad putredinem in ulceribus carcinomatosis & gangræna.

Usu interno urinam ciet, venenum expellit, dolores colicos sedat, tussim veterem sanat, & in aqua & oleo decocta asthmaticis subvenit.

Inter antispasmodica & emmenagoga collocatur. Confer porro vires *Allii.*

C. *ALLII* Sativi C. B. Radix. *Garlic.*

Olfactu excitat strangulatos. Vim habet acrem, excalfacit, mordet, summam corporis cutem erodit & exulcerat. In curatione horroris in febribus

Celſus jubet Allium edere, aut calidam aquam bibere cum pipere, ſiquidem calorem movent, qui horrorem non admittit. *Dioſcoride* teſte, ſitim gignit, quod negat *Galenus*, inquiens, quod non modo non majorem ſitim quam Cepa faciat, ſed quod nna omnino ſitim faciat.

Adducit ſomnos, & in totum rubicundiora corpora reddit. Venerem quoque ſtimulat allium, cum coriandro viridi tritum, potumque e mero. Eſu oculorum aciem hebetat. Venenis, vehementi frigore lædentibus, reſiſtit.

Urinam ciet, eique mox ſuam tribuit qualitatem: coctum & aſſatum alvum movet. Allii, in tenuiſſimum lævorem redacti ʒiij, ſi ex aqua mulſa bibantur, pituitam pellunt.

Omnium eduliorum maxime flatum diſcutit, & in dolore colico flatu lento prodeſt.

Pituita tentatos gallinaceos ſanare ſolet. Humores craſſos tenuat, glutinoſos incidit: in cibo biliſos lædit, pituitoſis accommodatum, & quod conveniens eſt aſſimilatur, quod ſupervacaneum & acre per alvum, urinam & ſudorem excernitur. Si bis terve fuerit elixum, acrimoniam deponit, attenuat tamen adhuc & alimentum corpori dat pauciſſimum.

Falſo capitis gravitatem facere dicitur, nam ſi, prævacuato corpore, Allium obtuleris, capitis aliusve corporis partis gravitatem ſanabis; porro non efficere crapulam neque ebrietatem, ſed ab his præſervare patet hinc, quod ille, qui ſeſe crapulæ daturus eſt, Allium cum fructu vorabit.

Suſpirioſis coctum, aliqui crudum dedere, aliqui tritum in lacte. Veterem tuſſim crudum coctumve in cibo lenit: tuſſim ac pectorum ſuppurationes quantaslibet ſanat, fractæ incoctum fabæ, atque ita in cibo ſumptum, donec ſanitatem reſtituat: aut ſi Sanguis etiam excreetur, vel purulenta materies, ſub pruna coctum, & cum melle pari modo ſumptum. Vocem clarificat.

Succus abſorbendus ad Menſes occultatos. Elatur ad uterum purgandum a partu, & in fecundis morantibus. Coctæ decoctum, fœminarum defectionibus adhibitum, menſes & ſecundos partus extrahit: in quem quoque uſum ſuffumigatur. Factum ex eo & nigra oliva intritum eſu ciet urinam, ora venarum patefacit, hydropicis quoque utile

Potum cum Origani decocto pediculos ac lendes enecat. Lumbricos latos in cibo ſumptum, vel in aceto mulſo coctum abigit, & ejus multus uſus Hirudines, cum aqua devoratas, ejicit.

Cum ſale & oleo ſanat papularum eruptiones, vitiliginem quoque, lichenas, lentigines, ulcera capitis manantia, furfures & lepras cum melle eximit. Authore *Plinio*, lepras, lichenas, lentigines exulcerat, ſanatque cum origano.

Con-

Contra anginas tritum imponi & gargarizare prodest. Dentium dolorem minuit, si decocto colluantur & indatur ipsum in cava dentium.

NOTÆ. Radix odoris fortis est, admodum mordicantis, gustus acris, calidi, caloris sensu tamen cito evanescente; simul mucilaginosa. In Hispania æque mitis ac Cepa, & proinde edulis.

Siccando 9 partes in 15 percunt, sine immutatione odoris vel saporis.

Spiritus Vini rectificatus vires ejus extrahit potentius, quam aqua aut acetum.

Succus, addito spiritu Vitrioli, effervescebat.

Si emplastra ex Allio contuso pedum plantis applicentur, oris halitus Allium spirabit.

Intus sumptum Allium odore suo inficit spiritum, urinam, lac, lympham fonticulorum vel ulcerum & fluidum perspirabile.

Infusum ejus in aqua sæpe somnolentos facit, vel inebriat & sudorem excitat.

Vermes expellit usu interno & externo, obinde contra verminationem infantum est familiare medicamentum, lacti incoctum. Supra Umbilicum impositum lumbricos infantum quoque necat.

Venæ hæmorrhoidales internæ sæpe aperiuntur iis, qui frequenter Allio utuntur, unde Hungari, qui aliis abutuntur, fluxui hæmorrhoidali magis expositi sunt.

Auget semen quatenus in pituitosis coctionem promovet. Veteres, quod etiam Batavis non incognitum, gallis gallinaceis pugnaturis animos faciebant ex esu Allii.

Egregium diureticum est, tum intus sumptum, tum extus admotum, necnon sudoriferum & alexipharmacum, si particula radicis una vel altera cum pane siligineo comedatur ac æger probe contegatur.

Ad Calculum tum præcavendum tum expellendum valent Nuclei tres quatuorve, quibus Renes non valde calidi.

Dolores colicos, ab acido ortos, tollit usu externo & interno, torminaque infantum umbilico admotum: Cruditates acidas corrigit & Lac in stomacho coagulatum dissolvit.

In thoracis affectibus pituitosis egregie promovet expectorationem.

Cum adipe suillo contusum, plantis pedum illinctum, multum conducit ad canales pulmonum ab infarctu liberandos in asthmate.

Nautis egregii usus est contra putredinem aquarum salitarum & ciborum; ac tenetur ore ad præcavendum contagium.

Succus expressus affrictus in doloribus rheumaticis efficax est; & Unguentum

tum ex Allio cum oleo Olivarum resolvit tumores frigidos, & facit callos decidere. Si sub cineribus coquatur & plures calidissime superponatur cornubus pedum, illa certo abigit.

Succus, melli & butyro non salito admistus, tineam sanat & Psoram pervicacem.

Succus quoque Verrucas tollit & Furfures capitis. Confer vires *Nasturtii.*

N. B. Ad tetri Odoris fœditatem, ex Allio tollendam, commendantur supermanducanda folia Rutæ recentia, vel cruda faba, vel Betæ radix, in prunis tosta.

N. *ALNUS* nigra baccifera C. B. *The black berry bearing Alder.*

Cortex interior flavus est, dat tincturam saturatam aquæ nec non spiritui vini, & salivam colore subflavo inficit. Odorem gravem possidet, sapor amaricans est cum acrimonia in ore & faucibus, & mucilaginosus.

Rubefacit chartam caeruleam. Alni decoctum astringentem gustum habet & cum Vitriolo viridi fuscum fit.

Usurpatur Cortex præcipue Radicis.

Extrinsecus adhibetur qua detergens & desiccans, & ad hunc scopum ingreditur Unguenta contra Psoram; & cum Aceto tritus, Scabiei illitus, intra paucos dies illam sanat & exsiccat.

Recens est emetico-purgans; siccus purgans cum adstrictione instar Rhabarbari, ad ℈i in pulvere, quando autem facile tormina & hypercatharses excitare dicitur: ipse tamen ab affusis aquæ bullientis ℥vj ad ʒij hujus corticis & per noctem infusis, dein ad ℥iv coctis, ter tantum dejeci tarde & cum dolore levi.

C. *ALOE.*

Certum est, duas diversissimi generis plantas uno eodemque nomine veteribus fuisse notatas, alteram arborem aromaticam, ad thymiamata vulgo usurpatam, alteram, ex qua succus amarissimus catharticus eliciebatur. *Plutarchus* Aloën cum cinamomo jungit in Symposiacis: junguntur quoque Prov. VII. 17. scil. odoratus sarcinus. *Salmasius.*

Dioscorides unam tantum speciem describit, Hepaticam nempe ejusque residuum, quam gravem odorem & gustum amarissimum habere dicit, qualis est nostra Barbadensis, à Socotorina quæ leviter tantum amara & odoris est grate aromatici, prorsus diversa, quibusdam Græcis & Arabibus nota fuit, & ab iis descripta, quasi odorem non ingratum haberet.

Proinde Aloe Officinalis duplex est. 1. Hepatica nostra & caballina nostra, *Dio-*

Dioscoridis Al ē. Aloë vulgaris C. B. utriusque Indiæ indigena. 2. Aloë Socotorina, Aloë *Arab.*, *Oribasii* & *Avicennæ*

Dioscoride & *Galeno* authoribus, gravis est odoris & gustus amarissimi, non tamen est simplicis naturæ, sed adstringit simul & amara est. adstringit quidem modice, sed fortiter amara est. repellere simul & digerere potest.

Alvum tarde solvit, somnum allicit. Aliis purgantibus admista præstat, ut minus stomachum infestent. Gratum stomacho medicamen est, ut si quid aliud. Sumi quotidie potest a cœna, subducitur enim alvus, nec cibi digestio aboletur, præterea sitim non inducit & hominem ad cibos sumendos facit promptiorem. Confert febribus quotidianis, morbo regio, jecoris dolori, quum quispiam cibum respuit, & cruditatibus. Morbum regium purgat drachmæ pondere, sed purgationis perfectæ causa ad drachmas tres sumitur.

Situm in stomacho, ventre ac intestinis, Bilem citra molestiam, & placide una cum subjectis excrementis educit: datur itaque iis, quibus caput affligitur propter saburram stomacho insidentem. Danda est ad lippitudines, ex eadem causa orientes, & iis, qui ob bilis augmentum sitiunt, quibus lingua & os facile reficcatur, & qui circa stomachum ardorem aut nauseam, aut molestiam aliquam aversoram percipiunt. Lumbricos interficit, si umbilicum & abdomen inunxeris Aloë.

Infestissima est calida & sicca intemperie laborantibus, contra frigidis & humidis. Iis, qui inflammatione aliqua vexantur, non absolute omnibus temporibus inflammationis datur, sed ubi ea concocta fuerit & ad finem vergit.

Recte ex hydromelite præbetur iis, quibus ciere urinam aut purgationes menstruas provocare oportet.

Usu externo adstringit, exsiccat, corpora densat, sanguinis rejectiones sistit, fuccis inspersa vulneribus ea glutinat. Ulcera ad cicatricem perducit, cohibetque. Eadem peculiariter, propter siccandi vim sine mordacitate, exulcerata genitalibus & ano medetur, & disrupta puerorum præputia jungit. juvat & eorum phlegmones aqua subacta, quin & condylomata, rimasque sedis, dulci vino admixto, sanat; sanguinis eruptiones ex hæmorrhoidibus sistit: dysenteriæ infunditur. Digitorum redivias ad cicatricem ducit, livida & sugillata, hypopia dicta, ex melle tollit, scabras quoque lippitudines, angulorumque in oculis prurigines & scabiem genarum mitigat, capillum fluentem cum vino continet, iisdemque tonsillis gingivis & omnibus oris ulceribus, cum melle & vino proficit, &, in aqua subacta, phlegmonis in ore ac naribus & oculis. Ad oculorum medicamenta torretur in munda testa.

NOTÆ. Sapori amaro addendus quoque adstringens, namque infusum omnis

 spe-

speciei Aloës cum solutione Vitrioli viridis nigrescit; porro & acrimoniae & caloris haud expers: quin & Succotrina optima dulcedinem habet, amarori junctam.

Pulvis tincturam Heliotropii debiliter rubefacit.

Aloë, in uncia aquae simplicis soluta, ʒv substantiae gummosae largitur, & pars residua, spiritu vini rectificatissimo extracta, circiter ʒiij substantiae resinosae exhibet.

Vis cathartica residet in parte gummosa, vis vulneraria & balsamica in resinosa; hinc Hepatica utilior in usu externo, quam Succotrina, utpote magis resinosa, Succotrina contra magis purgat, plus gummi habens, & hinc lota roborat ventriculum magis, purgat minus.

Hinc intelligitur ratio, commodissime Aloën extrahendi, scil. Gummosa pars ad alvum sollicitandam longe aptior, & venarum haemorrhoidalium respectu securior, & effectum suum sub minima quantitate praestat.

Valentinus, in *Historia sua simplicium reformata*, descriptionem sequentem Pilularum Angelicarum Francofurtensium communicat. ℞. Aloës Socotrinae ℥ v. Affunde aquam ad supereminentiam 4 digitorum: expone loco calido & per triduum relinque: tinctam aquam per inclinationem effunde, & toties adfunde recentem, quoad tinctura omnis extracta fuerit: lenta exhalatione in Extractum & Pilulas redige, a gr. iij ad x sumendas, ante vel post coenam levem ad laxandam alvum.

Notandum tamen de Tinctura sacra dicta nostra, Aloën in tota sua substantia longe minus perfecte solvi a vino albo quam a Spiritu Vini, & proinde longe minus purgare, quam proportio eadem Aloës in Elixire Aloës dicto.

Dr Mc *Bride* notat, aquam Calcis solvere Aloën, & exinde validam tincturam extrahi, forte praeferendam tincturis cum spiritibus ardentibus, scil. Calce in aqua, aëris experte, aërem fixum (principium cohaesionis) ex Aloë ad se trahente.

Aloë sanguinem fluidum reddit, quod a Venae sectione patuit, & solutio omnis speciei Aloës prohibet separationem fieri a crassamento, ejusque doses largae & frequentes haemorrhagias producunt, haemorrhoides & menses provocant, hinc vis ejus attenuans patet, & cur plerisque macilentis nocua sit; contra pituitosis & bile inertia laborantibus prosit.

Externe in Ulceribus deterget sordes & putredini resistit, a vermibus defendit, abstergitque mucum crassum & viscidum, in stomacho haerentem.

Dicitur odore somnum conciliare, & purgare, Ulceribus extus admota.

D. AL-

D. *ALSINE media* C. B. *Common Chickweed.*

Succum habet mollem, subacrem, saponaceum, saporis herbacei, salsi: inter digitos confricta, mucilaginosa. Inspissatus succus, ut fiat Extractum, saporis est refrigerantis, salsi, dein austeriusculi.

Vis ei tribuitur humectandi, refrigerandi, incrassandi, acrimoniam temperandi & inflammationes sedandi, quod ab ejus effectibus, experientia comprobatis, ulterius patebit.

Utilissima est imposita vulneribus calidis & ulceribus, vel ejus succo collutis.

Gallinæ & aliæ aves, in caveis diu inclusæ, ubi ex Muco languent, simulac liberatæ ex carcere, se sanant hacce comesta herba, unde etiam *Morsus gallinæ* appellatur, & *Chickweed*, quoniam pullis & aviculis esca salutaris habetur. Italis cibus est cum oleo & aceto, & in jusculis, diciturque nutrire, & emaciatorum Vires in morbis diuturnis redintegrare.

Suppurationem promovet: mammis admota lac coagulatum dissolvit. Cum sale & aquâ coctâ lavantur manus ad pruritum & calorem tollendum: & succus instillatur in ophthalmia. Pulvis sistit hæmorrhoidalem fluxum, ejusque dolorem sedat.

C. *ALTHÆA Dioscoridis & Plinii* C. B. *Marsh mallow.*

Folia sacris ignibus & ambustis, in oleo decocta, imponuntur: & arida, in lacte decocta, cuilibet perniciosæ tussi citissime medentur.

Radix est glutinosa, laxans, &, authore *Galeno*, tenuiorum partium, quam folia viridia, magisque extersoria sunt, tumores multos inflammatos discutit; id quod folia nequeunt efficere. phymata, coctu difficilia, concoquit, porro & adstringentem quandam facultatem possidet: ad nervos vulneratos valet: ulcera oris cum melle sanat, furfures capitis & dentium mobilitates.

Decocta in vino & aqua mulsa, vel per se etiam tusa, efficaciter imponitur vulneribus, parotidibus, strumis, abscessibus, mammarum inflammationibus, sedis doloribus, contusis, flatuosis tumoribus ac nervorum distensionibus, siquidem discutit & maturat, aut rumpit & ad cicatricem perducit. Cocta, ut dictum est, si cum adipe suillo aut anserino terebinthinave subigatur, facit ad vulvæ inflammationes, præclusionesque, subdita in pesso, sed & ipsius decoctum eundem obtinet effectum, relicta post partum in utero purgamenta præterea extrahens.

Tenesmo & dysentericis utilissime infunditur, item recti intestini vitiis, vel si foveantur. Dentium mulcet dolorem, cum aceto decocta, collutoriâ forma.

Bibitur & cum vino radicis decoctum, succurrens urinæ difficultati, calculosorum sævis acerbisque cruciatibus, dysentericis, ischiadicis, tremulis atque ruptis.

Decoctum ad diarrhœam & sanguinis rejectionem aptum est. Tussim, in lacte cocta, & sorbitionis modo sumpta, quinis diebus emendat.

NOTÆ. Foliis odor est, ut melis, in substantia & infuso, & Radici sapor subdulcis.

Oleum, confectum ex foliis, vel folia per se, omnes vesparum ac Apum ictus persanat illitum.

Acidi aliquid se prodit in radicibus, magis quam in foliis, radices enim leviter rubefaciunt chartam cæruleam, & earum succus mucilaginosus dat colorem fuscum ferro, ut alia acida; folia vero neutiquam rubefaciunt chartam cæruleam.

Mucilago radicis inservit leniendis doloribus, qui fiunt a foliis æstu in cute teneriore, nec non iis doloribus, qui oriuntur a Sinapismis vel Vesicatoriis.

In tinea capitis, cum Urina cocta, in lixivium prodest.

Porro, Mucilago acrimoniam corporis nostri quamcunque mitigat, & trochisci ex ea cum Saccharo tussim insigniter leniunt.

C. *ALUMEN.*

Veterum nativum fuit, nostras factitium: vires utriusque eædem. Inveniuntur quidem hodie Alumina liquida, rotunda, plumosa seu scissilia, schistum & trichites veterum, sed ea minus sincera fuerunt, quam nostras, præsertim Italicum, quod longe melius & purius est.

Vim habet excalfaciendi, vehementer adstringendi, rodendi, repellendi & siccandi in purulentis & ulceribus. Sanguinis eruptiones inhibet, gingivas humore nimio flaccidas, necnon subcorruptas, comprimit. Alumen scissum, chartæ involutum, uritur, deinde tritum rubrica coloratur, & gingivis admovetur. Mobiles dentes cum aceto aut melle firmat; contra œdemata, & grave alarum inguinumque virus illinitur, fœtoresque sedat. si ex pituitoso humore, in particulam influente, Oedema constitit, satisfacit spongia aquæ cum aceto immersa, ita attemperata, ut bibi possit, vel non multum supra hoc, quod si huic non cedat, conjice pusillum aliquid aluminis. In inflammatione uvæ & tonsillarum utile. Infunditur dysentericis. In flatuoso tumore splenis, præmisso fotu ex absinthio, medicamen emplasticum ex sulphure & alumine superponendum, discutiens & repellens. In Ulceribus repellit, sed per se glutinare ulcera non potest; additur tamen paululum aluminis emplastris ad cica-

cicatricem inducendam, ubi corpus plethoricum & laxum, & metus sit nimii fluxûs humorum a mollibus.

Vim habet expurgandi, quæ pupillis oculorum caliginem offundunt, palpebrarum quoque carnes, aliasque excrescentias, absumendi: Furfures, cum ervo & pice liquida illita, abstergit. Ulcera putrescentia compescit. Valet, cum aceti fæce & galla æquali pondere crematum, ad phagedænas Ulcerum, & ad nomas cum salis duplo. Oris ulceribus, quas aphthas vocant, admixto melle prosunt, itemque papulis & aurium fluxionibus cum polygoni succo.

Fœtus ex utero pellit, & apud *Hippocratem* in pessario adhibetur ad uterum purgandum.

Lepris convenit, cum brassicæ foliis aut melle cocta, ut & pruritui, unguium scabritiis, pterygiis & pernionibus fotu ex aqua.

Ad lendes, pediculos & ambusta in aquâ auxilio est.

Authore *Galeno*, omnia exsiccantia quarti ordinis urunt, sed ipse Alumen collocat inter exsiccantia tertii ordinis, & proinde Alumen non urere ait, nec carnem detrahere vel liquare, sed indurare & siccare. An hæc vera de crudo Alumine? An combustum plane vim rodentem exerit?

NOTÆ. Saporis est acidi, dulcis, valdeque acerbi. Lac, serum sanguinis & sanguinem coagulat. Chartam cæruleam insigniter rubefacit.

Putredini resistit longe magis, quam Sal marinus.

Cum Cerussa & Aqua rosarum contusum Erysipelati & Ophthalmiæ medetur.

Interne Vomitum & Alvi fluxum sistit: datur cum eventu felici in hæmorrhagiis, maxime uteri, & in febre intermittente pertinacissima. Præscribitur a gr. ij ad xij, ex conserva rosarum omni hora vel semihora, in hæmorrhagiis magnis. Porro, exigua quantitate compertum est puerorum vermes expellere, potui ordinario additum, iis insciis, & citra nauseam. Ad ℈ß vomitum excitat. Prostat in *Pharmacopœa Londinensi* Serum Aluminosum, in Diabete utilissimum.

C. *AMBRA GRISEA.* *Amber grise.*

Ambar est Arabicum, unde Ambarum latina terminatione, & Ambra & Ambraca. Veteribus non nota fuit, sed Græcis recentioribus & Arabibus.

Apud *Actuarium* prostat Antidotum ex Ambare, aliis aromatibus admixtis, valens ad omnem imbecillitatem & perfrictionem corporis, nativum suscitans calorem, ventriculum, cibum renuentem, atque impotentem, eximie emendans, eos quoque roborans: datur mane & vesperi ex vino.

Avicenna auctore, calida est in secundo gradu: confert cordi, cerebro, sensibus, & decrepitis subtilitate suæ calefactionis: Huic consentit *Averroes*

fcil. valere fenibus, in frigidicatibus, & contra ventofitatem inteftinorum, &c, fuperpofitam nervis, fortificare, bibitam vero & odoratam refiftere peftilentiæ aëris.

NOTÆ. Odor ejus gratiffimus eft, ut Labdani, debilior quam Mofchi, haud abfimilis ftercori vaccino exficcato. Ad ignem liquefcit & inflammatur. Si ejus fragmentum ferro candenti applicetur, velut in oleum refolvitur.

Ad Bituminis genus referenda eft, quemadmodum Succinum, Bitumen Judaicum & Carbo foffilis, difficillimæ folutionis in fpiritu vini rectificato, nec nifi in eodem cocto: porro & Sal acidum, inftar Salis Succini præbet.

Riverius præfcribit grana v vel vj ex vino vel aqua rofarum fingulis diebus in melancholia hypochondriaca. In dofi majore pulfum fortiorem, celeriorem, robur, lætitiam & nimius ejus ufus inebriantium incommoda inducit, hinc Effentia ejus, aurea dicta, in Spiritu Vini rectificato, aliquando hypnotica fuit, Opio fruftra adhibito.

Senes labafcentes fulcit; ita ut *Verulamius* & *Linnæus* multum ad longævitatem conducere afferunt.

Venerem ftimulat. Lochia & fecundinas promovet.

Frigidos, qui infarciunt nervos, humores refolvit extrinfecus, nec minus his, qui frigidis defluxionibus vexantur, convenit, fi capitis tegmina atque etiam cubiculum, ubi dormiunt, per hyemem eo fuffiantur.

Ex omnibus Suffitibus Hyftericis minime nocet.

D. *AMMI VULGARE.* Ammi majus C. B. *Common Bifhop's weed.*

Veterum Ammi vix reperitur hodie.

Ammeos Semen odoris eft fragrantis, ad thymum & origanum accedentis, faporis amaricantis, acris, aromatici & graviufculi, quafi ex pipere & cumino compofiti.

Sugillata cum melle Cataplasmatis inftar admota tollit.

Admifcetur Panis maffæ ad fuavitatem ejus.

Convenit in inflatione Ventriculi, flatibus colicis & uteri renumque doloribus.

Auget motum fanguinis in corpore noftro, ut & excretiones urinæ & menfium.

D. *AMOMUM VERUM,* feu racemofum C. B.

Quid fit Amomum Veterum jam diu vix patuit, donec tandem nuper ejus notitiam in lucem proferebat *Martinelli* Pharmacopola Veronenfis; aliquando, fed raro apud nos invenitur. *Hill Mat. med.*

C. *AMYG-*

C. AMYGDALÆ AMARÆ ET DULCES.

Ob osseum corticem antiqui inter Nuces reposuere, & proinde Romanis Nuces Græcæ, & aliquando Nuces Thasiæ vocabantur, quia ex Thaso insula petitæ præferebantur.

1. AMARÆ. Discussoriam citra mordacitatem facultatem obtinent. Utraque amara & dulcis, oleosæ & pinguis qualitatis, ut nuces, participes sunt, cujus caussa, ut ipsæ, procedente tempore, oleosæ fiunt, minor tamen est hæc qualitas quam in nucibus, quo fit, ut tardius quam nuces oleosæ fieri cernuntur. Quædam adeo exsuperantem amarorem habent, ut mandi nequeant.

Illitæ præmansæ maculas in facie, a solis ardore contractas, tollunt: Furfures ex facie, fotu præparatæ, sanant. Valent & ad epinyctides ex vino, itemque ad putrescentia ulcera & quæ serpunt, caninumque morsus cum melle. Integræ ustæ commodæ sunt in alopeciis.

Oleum amygdalinum & amygdalæ amaræ in medicamentis miscentur contra dolorem auris ex flatu ventoso, vel crassos & viscosos humores. Illitæ per se vitia sedis & condylomata sanant. Appositæ menses cient.

Comestæ alvum emolliunt, urinam cient, dolores adimunt, & somnum faciunt.

Urinæ difficultate affectis & calculosis in passo opitulatur. Renum vitiis & pulmonum inflammationibus conferunt, cum aqua potæ, aut in eclegmate cum resina terebinthina; & linctu cum melle & lacte hepaticis, tussi & inflationibus coli avellanæ magnitudine, obstructione liberantes ac depurgantes hepar, splenem, intestinum colon & renes: item dolorem laterum sedant. Prosunt etiam ad sanguinis rejectionem, si cum amylo & mentha sumantur. Quæ qualitatem amaram habent præpollentem, ad pus & succos crassos ac lentos, ex thorace & pulmonibus expuendos, plurimum conferunt.

Quinis septenisve præsumptis, ebrietatem non sentiunt potores. Ajunt, vulpes, si cum quadam esca eas devoraverint, & non contingat e vicino aquam lambere, mori.

2. DULCES. Et ipsæ leviculam quandam amaritudinem possident, quam tamen dulcedine superante occultant; sed, quantum ad efficaciam, multo inferiores, quam amaræ: extenuant quidem & detergunt, sed non ab infarctu liberant: urinam quoque ciendi vi pollent.

NOTÆ 1. *Amygdalæ amaræ* Commestæ lethales sunt canibus, vulpibus, gallinis & anatibus: liberalius sumptæ hominibus ægritudinem & vomitum pariunt,

riunt, alias innoxiæ, & pro medicamento exhibitæ. Aqua vero destillata, quando fortissima, non vacat suspicione veneni hominibus: partes enim subtilior substantiæ amaræ cum spiritu & aqua alembicum transcendant, & vehiculum utrumque sapore nonnihil amaricante imbuit, quinimo, ubi fortissima est, valde acris & fere caustica est, & effectus ejus in canibus similes sunt iis Aquæ *Laurocerasi*, datis enim ℥iv hujus Aquæ cani mediocris magnitudinis sequebantur intra pauca minuta convulsiones, dein paralysis, respiratio laboriosa, coma & mors subitanea.

Caeteroquin abstergendæ cuti & nitidæ servandæ præferuntur amaræ, quia plure sale donatæ, & hinc magma, residuum ab expressione Olei, servit ad manuum nitorem laevoremque iis conciliandum, & masticatæ illitæ lentigines tollunt.

Riverius dat n°. X aut XII, quotidie comedendas, ad vias urinæ leniendas & abstergendas, & dicuntur convenientiores esse aliis diureticis ad calculum pellendum. &, edendo n°. IV vel V ante compotationem, ebrietatem non sentiri, auctor est *Plutarchus* in *Sympos.*

In *Act. Acad. Cæs. Daniel Gottlib*, ad præcavendam Hydrophobiam a morsu Canis rabidi, commendat, præmissa illico partis læsæ scarificatione, Cucurbitularum appositione, amygdalas amaras aliquot singulo mane per septimanam unam vel alteram comedendas.

2. *Amygdalæ dulces* Saporis sunt subdulcis, in castaneæ tostæ & panis tosti qualitatem inclinantes, odore inter edendum jucundo: tenaces in masticando: leviculam amaritudinem habent, quæ temporis spatio fit manifesta.

Constant præcipue ex oleo & terra subtili farinacea: ex pressione fere dimidium ponderis sui Oleum præbent, oleosa qualitas tamen longe minor est, quam in juglandibus.

Externe tabella massa cuticularum ad saponem amygdalinum usurpatur a fœminis, teneram cutem pulchrasque manus desiderantibus, quod tamen Amygdalæ amaræ præstant melius.

Multum nutrimentum suppeditant, hecticis & phthisicis proficiens.

Temperant insigniter omnem acrimoniam, eamque demulcendo agunt.

Petrus a Castro in febre puncticulari præfert emulsionem cum seminibus frigidis lacti amygdalato, utpote faciliorem concoctu & caput minus afficientem; & sic *Avicenna* damnat Emulsionem Amygdalarum ob unctuositatem, contra vero, alii graves authores recentes testantur, se Lacte amygdalato in febribus, cum maximo ægrotantium solatio, usos fuisse.

Datur Emulsio in diarrhœa, dysenteria, diabete, hæmorrhagiis & sudore nimio.

Oleum Amygdalarum. Oleum, ex amara vel dulci paratum ex æquo dulce est.

Acidi

Acidi non prorsus expers est, non enim defendit ferrum a rubigine, ut Pinguedo.

Non datur præstantius remedium in raucedine & faucium asperitate.

Recens egregium est antispasmodicum & sedativum, si iis, qui torminosis alvi fluxibus vexantur, propinetur; necnon infantulis recens natis creberrimi usus est, ad tormina ventris a sordibus, tempore gestationis collectis, nigricantibus compescenda ad ℥ii, cum saccharo penidiato, & in Colica Spasmodica: valet & in alvo sicca, Asthmate spasmodico, Tussi convulsiva clamosa, in dolore ex renum calculo, & in ardore Urinæ, longe jucundius usu interno, quam Oleum Lini nauseabundum, ad Cochlearia aliquot cum jusculo propinatum.

Doloribus a partu succurrit, privatim iis, qui Lochiorum fluxum suppressum comitantur, magno & præsentissimo auxilio est, si ad aliquot cochlearia cum brodio carnis sumatur.

Datur & in Pleuritide ad ℥ij, iij vel iv, ad dolorem sedandum, & in infantibus tussientibus.

Veneni vim infringit mature datum.

AMYLUM Starch. Vid. *Triticum.*

C. *ANAGALLIS* flore phœniceo C. B. *Male Pimpernel*: & ANAGALLIS flore cæruleo C. B. *Female Pimpernel.*

Succus utriusque capitis pituitam gargarizatu evocat, & in ejus doloribus plurimum prodest. Naribus infusus dentium dolorem lenit, si in narem denti oppositam immissus fuerit. Cum melle Attico purgat oculorum albugines eorumque caliginem discutit, & ex ictu cruorem. Jumentorum quoque oculis medetur. Urinam ciet. Alvum purgat ex aqua mulsa.

Utraque admodum extergentis est facultatis, habent vero nonnihil caloris, & quandam trahendi facultatem, adeo ut adactos corpori aculeos extrahant. Desiccandi vim habent citra mordicationem, quamobrem vulnera glutinant, & putrescentibus ulceribus auxiliantur. Utraque porro vim habet mitigandi & inflammationes arcendi. Morsis a vipera prosunt, itemque nephriticis, hepaticis & hydropicis.

NOTÆ. Anagallis utraque ejusdem saporis est, scil. acidi, salini, amari, acris & subadstringentis, fere instar radicis Pyrethri, & partim instar Acetosæ, postea mordicantis & calefacientis, acrimoniæ sensu diu in faucibus hærente.

Insigniter rubefacit chartam cæruleam, sed non Syrupum Violarum. Infusum cum Vitriolo viridi subfuscum fit.

Succus pro Errhino inservit.

[illegible] *Salu* apud recentes audit hæc herba. *Willisius* & complures practici multos maniacos, & melancholicos per hujus herbæ decoctum ad sanam mentem rediisse testantur, necnon prodesse in delirio superveniente febribus continuis.

An hos effectus præstitit præcipue fundendo dissolvendoque humores?

D. *ANCHUSA* floribus phœniceis C. B. *Alkanet.*

Tres species Anchusæ à *Dioscoride* describuntur; quænam autem plantæ sint, non convenit inter Authores.

NOTÆ. Describitur saporis esse amari, adstringentis.

Tincturam dat pulchre rubram oleo, omnibus oleosis, ceræ & aquæ vitæ, non autem aquæ simplici, tametsi quidem eam coquunt in aqua, qua butyrum abluunt, ut luteo colore tingatur.

Verum est, quod *D. Alston* asserit, temerarium esse vires, a Veteribus radici Anchusæ suæ adscriptas, tribuere Anchusæ nostræ, quum, an ejusdem plantæ sit, nec ne, non satis liqueat: verum, etsi ipse affirmet, nec saporem adstringentem, nec experimentum cum Vitriolo viridi nostræ Anchusæ radici competere, mihi tamen & pluribus aliis sapor subausterus deprehenditur & in substantia, & in infuso, atque in meo experimento nigrescebat cum Vitriolo viridi; proinde hanc radicem non prorsus rejiciendam quatenus vulnerariam, & contra diarrhœas, dysenterias & ulcera siccanda proficuam, concludere ausim; & Autore *Lieutaud*, locum habet inter medicamenta resolventia & detergentia, applicatur cum effectu contusionibus & Ulceribus rebellibus, & interne ad roborandum.

C. *ANDROSÆMUM* maximum frutescens C. B. *Tutsan or Park-leaves.*

Ejus Coma contrita resinosum odorem spirat.

Herba, illita vel emplastri modo imposita, medetur ambustis & podagricos juvat; vulneribus quoque imponitur, cohibens sanguinem. Authore *Galeno*, folia, in vino austero decocta, vinum ipsum vulnerum grandium glutinatorium efficiunt, & Herbæ facultas est modice extergens, & desiccans. Juxta *Dioscoridem* semen tritum, drachmis duabus potum, excrementa biliosa trahit: prodest maxime ischiadicis, verum a purgatione aquam insuper sorbere oportet. *Plinius* hanc rem ulterius prosequitur, asserens: Ad purgandam Alvum usus est herbæ tusæ cum semine, potæque matutino vel a cœna, drachmis duabus, in aqua mulsa, vel vino, vel aqua pura, totius potionis sextario: trahit bilem: prodest ischiadicis maxime, sed postera die Capparis radicem, resinæ permistam, devorare oportet drachmæ pondere, iterumque quatriduo intervallo eadem facere, a purgatione autem ipsa robustiores vinum bibere, infirmiores aquam.

Con-

Confer *Hypericum.*

NOTÆ. Odor ut unguenti: sapor adstringens, subacris.

Decoctum, ut aliorum adstringentium, clarius fit, addito Spiritu Vitrioli, contra turbidum fit, & deponit sedimentum fuscum, instillato spiritu cornu Cervi.

Idem decoctum saturate viride fit, addito Vitriolo Martis.

Nescio quo pacto evenit, quod apud plures de Materia Medica Scriptores altum sit silentium de hac planta. Certe sensibiles qualitates vi vulnerariæ & nomini *Tutsan* vel *Tout-sain* conveniunt.

C. *ANEMONE* nemorosa flore majore C. B. *Wood-Anemony.*

Anemonæ omnes acres, & inter adurentia numerantur: attrahendi, extergendi & ora vasorum reserandi vim obtinent. Succus ex naribus purgat & humiditatem ex ore trahit, oculorum cicatrices extenuat, sordida ulcera purgat.

Menstrua cient, cum ptisana sumptæ aut vellere appositæ. Lepras removent appositæ, lac attrahunt & augent. Ad capillorum defluvium Anemones florem lævigatum ex Oleo illine.

NOTÆ. Folia & Flores acres sunt & vesicantes.

Aliquando comeditur a pecoribus, sed dysenteriam parit.

C. *ANETHUM* hortense C. B. *Garden-Dill.*

Nec *Plinius* nec *Dioscorides* describunt, sed ex aliis plantis, Anetho comparatis, facile colligitur, eam esse, quæ nomen in hunc usque diem servat.

Usurpatur assiduo in condimentis, in cibo, in ptisana, in albo jure, dando iis, qui tenuissimos succos & facile exhalantes habent, mediam temperaturam sortita, & inter mediocriter attenuantia alimenta collocata. Viride adhuc & succulentum humidius est & minus calidum, itaque magis concoquit, & somnum conciliat, quam siccum, sed minus digerit, & ideirco vult *Galenus*, quod Veteres coronis, ex eo plexis, uti solebant in symposiis.

Juxta *Dioscoridem*, aridi comæ seminisque decoctum potu lac evocat. Authore *Galeno*, viride & humens lac purgat & multiplicat, nam siccum plus quam oportet excalfacit & siccat, & ubi adolevit, evidenter calfacit, incidit & attenuat; proinde doloribus internis ex frigore succurrit, & anethinum oleum capitis dolori ex frigore; in calculo, si spiritus aliquis crassus morbum exasperet, utiliter admiscetur fomentis Anethum, utpote digerendi inflationes facultatem habens.

Frequentius potum oculos hebetat & genituram restinguit.

In oleo decoctum digerit, dolorem sedat, somnum conciliat & crudos, incoctosque tumores concoquit; fit enim ex eo Oleum, cujus propinqua sit tem-

peries pus moventibus & concoquentibus vocatis medicamentis, nisi quatenus paulo illis tum calidius, tum subtilius est, ac proinde digerens. Idem oleum valet in inflammatione cum dolore, utpote mediocrem naturam in calore gerens & vim elaxandi habens.

Anidi comæ seminisque decoctum potu tormina inflationesque sedat, ructus movet, alvum & eorum, quæ in summo fluitant ventriculo, vomitiones cohibet, singultus lenit. Addit *Plinius*, semen fervens olfactum singultus cohibere.

In potionibus Urinam ciet. Ejus decoctum fætuum hystericis ad desessiones utile; & *Hippocrates* commendat esui aptum, ut puerperii purgamentum.

NOTÆ. *Folia* suaviter aromatica sunt, halitu gravi, sed tamen jucundo & suavi, & suspenduntur ex lecto eorum, qui somnum capere non possunt, quibus Oleum soporiferum est, ut & Decoctum solo odore.

Vulgus pabulo Vaccarum admiscet, ad augendam lactis copiam, roborando Ventriculum. Odor gravis indicat quodam modo anodynam esse, unde lectis, ut mox dictum est, imponitur ad somnum conciliandum.

Semen odoris est grati & fragrantis, saporis acris, aromatici, minus grati, quam Fœniculi.

Ab infuso Aquæ per plures horas perparum ejus virium extrahitur; sed spiritus Vini rectificatus integrum odorem & saporem extrahit, qui residet in Extracto post destillationem, spiritus.

Vim stomachicam & carminativam videtur possidere majore gradu quam Anisum: in cardialgia & colica ventosa levat.

Lac auget, sed tantum in pituitosis.

Ejus, in sero lactis cocti, efficaciam in singultu compescendo experientia ulteriori confirmatam novi. & *Otho Heurnius* hoc unum remedium habuit contra singultum ex causâ frigida, nullis remediis cedentem, ℞ Olei ex semine Anethi gutt. iv Olei Amygd. ℥ ß. f. Haustus. Oleum Anethi chemicum, per os assumptum, post clysteris usum magnarum est virium.

Genituram extinguit longiore usu.

D. *ANGELICA* sativa C. B. *Garden Angelica.*

Sponte in Norwegia crescit, & Caules sunt deliciæ Lapponum; porro vel rapæ instar, detracto Cortice, comeduntur summo cum appetitu, ibidemque fortiter, æque ac nostra, aromatica est, & aroma servat per annos, unde optime conditur Sacchari, & mane sumitur contra pestem & aëris contagium.

Foliorum, radicis & seminis Odor & Sapor idem est, scil. Odor aromaticus, *gravis, fragrans*, quasi moschatus, sapor aromaticus, acris, calidus, subamarus, caloris sensu diu durante.

In radice calor & acrimonia major quam in foliis, & in femine quam in radice, usque adeo ut dolorem excitet diutius masticanti.

Radix, transversim secta, balsamum album splendens exhibet saporis aromatici calidi. similiter sectus Caulis cellulas exhibet, balsamo aromatico flavescente plenas. & semina per maturitatem alba, succo lacteo, per siccitatem flavicante scatent.

Vires radicis & seminis extrahuntur imperfecte ab aqua, sed perfecte spiritu vini rectificato, ex quo Extractum inspissatum fere totam quantitatem exhibet, estque odoris saporisque longe validioris, quam Extractum aquosum.

Radix externe discutit, partes relaxatas roborat, & ad tumores frigidos valet.

Sudorifera est & diuretica: flatus ventriculi & primarum viarum egregie discutit: Colicæ & Cardialgiæ atque aliis affectibus, ab acido viscido natis, insigniter resistit.

Menses movet & fœtus expellit.

Venenis obest & pestilentiam arcet hausta aut frequenter commansa.

Decoctum radicis viridis ex frigore tussientibus opitulatur, crassam lentamque pituitam efficaciter expectorans.

C. *ANISUM* Herbariis C. B. *Anise Seed.*

Galenus scribit usque adeo acre esse, ut ad urentium accedat caliditatem. Hoc vel caremus, vel nostrum minus calidum est.

Acre est, subamarum, efficacius qui vehementi est odore, humiditatem ex ore trahit, potum hydropicis sitim sedat, oris halitum jucundiorem facit: lactis ubertatem præstat, authore *Dioscoride*: unde concludit *Dodonæus*, *Galenum* erraffe in describenda Anisi facultate tanquam tertii ordinis calefacientium & exsiccantium, quoniam quæ lac generant non valide siccant, ipso *Galeno* teste. Panis crustis subditur, faccis quoque additur, quibus vina colantur & transfunduntur, peregrinis odoribus, in saccum conjectis, ut odore & sapore magis placeant.

Insomnia levat suspensum in pulvino, ut dormientes olfaciant, necnon potum somnum conciliat, dolores levans. Singultus olfactum decoctum potumque cohibet.

Flatus e ventre disjicit, stomachum roborat, unde & aliquando admiscetur purgantibus, v. g. Veratro, aut Peplio apud *Hippocratem*. Vomitiones cohibet & præcordiorum tumores, è flatu natos. Alvum & alba fœminarum profluvia sistit.

Urinas ciet: oleo perfusum, cute perfricata, sudores movet. Thoracis pituitas purgat tostum, cum melle sumptum melius, crassitudinem humorum atte-

tenuans, & inter alimenta attenuantia locum tenet. Venerem stimulat. Dolorem capitis levat suffitum naribus. Vestes a tineis defendit.

NOTÆ. Odor fragrans, mitis, ut Fœniculi, sapor dulcis, aromaticus cum acrimonia levi grata.

Oleo multo luxuriat, quod largitur partim expressione, inodorum & insipidum, alterum destillatione aromaticum, in cortice hærens.

Ætate amarescit, æque ac ejus Oleum.

Vires integras extrahit Spiritus Vini rectificatus, quæ post destillationem manent in Extracto.

Externe conducit ad tumores frigidos, debilitatem paralyticam, laxitatem viscerum, & colicam flatulentam.

Convenit recens natis, quando tormina intestinorum ex pituita viscida & acida patiuntur, & hi, authore *Heurnio*, a ℈j pulveris aeque ac a Rhabarbaro purgantur: An a vi ejus carminativa & antispasmodica? *Helmontius* saltem Anisum appellavit *Solamen intestinorum*. Valet & in suppressione mensium.

Lac fœmineum, si emulgeatur cito post sumptum oleum, hujus odore imbuitur, & Infantis lactantis Lotium redolet Anisum, si nutrix Oleum ore tenus sumpserit.

Idem oleum præcavet sugillationem inunctis partibus læsis, v. g. naribus & fronte in infantibus, ingressum tentantibus & forte cadentibus.

D. 1. *ANONIS* spinosa flore purpureo C. B. *Rest harrow. Petty whin.*

2. *ANONIS* spinis carens purpurea C. B. *Purple Rest harrow without Prickles.*

Vires topicæ, ab antiquis traditæ, acres & ulcera erodentes, necnon odor gratus, nostræ non conveniunt, quippe longe minus acri, & fœtoris insignis.

Folia, antequam spinas protrudant, condiuntur cum sale pro cibario. Horum odor gravis est, sapor subdulcis, quasi instar Pisi, & aliquantum viscosa sunt. Succus saporis salini, in faucibus subacris, & non (ut succi acidorum & austerorum) clarior fit cum acidis, sed cum iis spissescit & clarior fit cum Spiritu Cornu cervi Oleoque tartari per deliquium, etsi aliquantulum rubefaciat chartam cæruleam, minime vero syrupum violarum.

Radicis Cortex præcipue usurpatur, cujus odor est ut glycyrrhizæ, sapor subdulcis, leguminosus, subamaricans, & aliquantum nauseosus.

Non rubefecit tincturam Heliotropii.

Vis ei tribuitur attenuans & aperiens; unde radicibus quinque aperientibus annumeratur; & refert *Matthiolus*, multorum testimonio compertum esse, radicem

dicem corticis pulverizatum, ex vino sumptum, vim maximam præstare ad renum calculos comminuendos expellendosque, obstructis urinæ meatibus, & sibi ipsi compertum esse, decoctum radicis potum summopere præstare ad jecinoris vasorumque infarctus: proinde datur cortex radicis in ptisanis & jusculis in ictero & calculo, necnon contra menses suppressos, & hæmorrhoïdes inflammatas.

Folia, in vino Malvatico infusa, vires dictas antinephriticas possidere dicuntur.

C. *ANTIMONIUM*, Stibium & Stimmi apud antiquos. *Antimony.*

Usus ejus internus ignotus erat antiquis: *Basilio* autem *Valentino* & *Paracelso* debetur 12ma centuria.

Vis ejus, juxta *Dioscoridem*, est adstringens, spiracula cutis obstruit, excrescentias in carne cohibet, ulcera ad cicatricem perducit; sistit sanguinem. Ambusta igne in pustulas erumpere non patitur, cum adipe recenti illitum; quæ vero crustam contraxere ad cicatricem perducit, additis cera & exigua cerussa. Ob facultatem desiccantem & adstringentem ocularibus medicamentis admiscetur, ad epiphoras, dolores & inflammationes oculorum lotum & illotum: ingreditur & collyrium ad corrosos angulos oculorum.

Fluxiones inhibet oculorum exulcerationesque farina ejus ac thuris, gummi admixto. Efficacior autem contra vulnera recentia & contra veteres canum morsus inspersa farina. Porro & inter extergentia seu repurgantia locum habet, dum sordes & ulcera oculorum ex purgat.

NOTÆ. Ferro ignito injectum odoris sulphorei est, fere suffocantis, & incenditur cum flamma cæruleſcente.

E duabus, vel tribus partibus constat, 1. Sulphure, vulgari simili. 2. Sulphure metallico. 3. Regulo. Si enim Sulphur vulgare, imo quodvis Sulphur animale, vegetabile vel minerale addatur Regulo in fusione, regenerari Antimonium author est *Huxham;* Regulus autem suo adhuc gaudet Sulphure metallico, quo si omnino spolietur, fit iners, nec amplius virulentum.

Pulvis subtilissimus insufflatur oculis, ut Tutia, ad desiccanda ulcera corneæ, & in aliis obscurationibus Visûs.

Porro, eodem Authore, supra citato, Antimonium crudum, si digeratur in aqua leni calore, aliquid lactei coloris impertit aquæ & odorem sulphuris, quod liberaliter haustum insigniter profuit in morbis cutaneis, aliisque.

Hinc notandum, ejus decoctionem cum lignis non damnandam esse; quinimo Exempla prostant apud Germanos felicis ejus usûs in substantia & decocto in cu-

curandis febribus intermittentibus rebellibus & Rheumatismo, cavendo ab usu Acidorum. An id præcipue a Sulphure pendet?

Vires autem propriæ hærent in Regulo, qui, Vinis acidis diu infusus, parum ponderis sui amittit; veruntamen hoc infusum dosi mediocri emeticum est vel catharticum, & in dosibus admodum parvis plerumque diaphoreticum.

Crudum ad ℈ß vel ℈j alvum leniter movet, & perspirationem promovet, hujusque usum internum non tantum tutum esse, sed & proficuum, nec modo nobilissimum esse medicamentum equorum & pecorum, Scabie laborantium, pabulo mistum & sudorem promoventem, tandem patuit, sed & hominum in contumacibus fere lymphæque vitiis, scabie, lepra, ulceribus, præcipue venereis, & in affectibus arthriticis, rheumaticis & scorbuticis: quin & in paralysi, superveniente salivationi mercuriali, incipiendo a gr. vj, & adscendendo ad ℈ß quotidie.

Quidam dant ad ℈j vel ultra, & ejus usum prædicant in gonorrhœa virulenta, fluore albo & obstructione mensium. Lumbricos quoque necare dicitur, sed cavendum ab usu omnium Acidorum post ejus assumptionem, inde enim periculum vomitus excitandi; & hoc nomine forte quidam cum saccharo vel pulveribus absorbentibus admiscent.

C. *APARINE* vulgaris C. B. *Cleavers, or Goose grass.*

Juxta *Galenum*, modice extergit & deliccat, habetque nonnihil subtilium partium; sanguinis abundantiam ex vulneribus reprimunt folia imposita.

Herba ipsa si axungia trita excipiatur, strumas discutit. Semen subdulce.

Seminis, caulium ac foliorum expressus succus, e vino potus, contra phalangiorum viperarumque morsus præbet auxilium. Idemque, auribus infusus, earum doloribus medetur.

NOTÆ. Summitates jusculum vernum ad sanguinem purificandum ingrediuntur. Herba concisa pullorum anserinorum esca est, unde Anglice *Goose Grass* dicta.

Audivi, semen quibusdam usurpatum fuisse in potu instar *Coffee*.

Folia recentia & sicca gustu subacta sunt, subamara & subadstringentia.

Infusum ejus in aquâ a viridi colore mutatur in fuscum, addito Vitriolo viridi. Succus aliquantum viscidus est, aliquid salini & subdulcis habet, &, ad consistentiam Extracti inspissatus, gustus organum afficit sensu amaritudinis salinæ.

Idem succus cum spiritu cornu cervi spissior fit, sed non cum aceto destillato.

Quidam Succum magni faciunt ad papillarum rimas, siccæ herbæ farina vulnera glutinat, & ulcera sanat.

De-

Decoctum mire prodest Gonorrhææ simplici, authore *D. Palmer* apud *Dale.*

Decoctum forte, sumptum ad ℥xij mane & vesperi, sabulum expulit in pluribus experimentis.

Radix (quemadmodum radix Gallii lutei, plantæ congeneris) a volucribus devorata, ossa eorum rubro colore tingit.

C. *APIUM* palustre & officinarum C. B. Eleoselinum *Dioscoridis. Smallage.*

Ad eadem, quæ sativum Apium, efficax.

Apium Veterum est Petroselinum vulgare, seu Apium hortense *Dioscoridis*, ab Apio nostro diversum, sed earundem virium. Vide *Petroselinum.*

NOTÆ. Foliorum Apii palustris odor vehementior est & ingratior quam Petroselini, scil. gravis & sapor subacris, ingrate aromaticus, aliquantum calidus, & succus pro Errhino usurpatur.

Decoctum coquendo spissum fit instar gelatinæ, unde in jusculis usurpari potest.

Apium fovet aliquid volatile fumosum, capiti adversum, quod epilepsiæ & forte aliis morbis capitis obnoxiis nocet.

Aperiens est, & vix inflammans; Cataplasma enim è foliis recentibus cum albumine ovi oculis inflammatis cum pelliculis dicitur mira præstitisse; & succus in scorbuto pro Gargarismo usurpatur ad mundanda ulcera oris & gingivas roborandas. Est quoque resolvens, & applicatur cum effectu Mammis, à lacte grumoso tumentibus.

Succus & decoctum Calculos, in iis digestos, corrodebat, & comminuebat. Porro, dicitur Succus antifebrilis fuisse, tertianam & quartanam fugasse ad aliquot uncias sumptus.

Coctum, crudum & Succus Urinam ciet, simulque ad venerem excitat, motum sanguinis ad inferiora augens, unde & menses movet.

Folia comesa pro acetario raucedinem satis veterem sustulerunt.

Seminis odor similis est foliorum, sapor forte acrior, scil. acris, aromaticus, calidus, subamarus, unde & flatus discutere dicitur magis quam herba, & decoctionem non fert, sed simul usum ejus minus tutum esse in iis, qui comitiali morbo sunt obnoxii.

Radicis Odor longe minus gravis quam herbæ, sapor subacris, suaviter aromaticus, subdulcis, aliquatenus ad pastinacæ saporem accedens, unde recens aliquando inter bellaria apponitur, & dicitur esse blande diuretica, carminativa & discussiva; & quatenus diuretica utilis est in Hydrope, Ascite, Cachexia, Scorbuto, & Asthmatico levat.

D. *AQUILEGIA* Sylvestris C. B. *Columbines.*

De viribus haud accurate loquuntur Authores, non fatis distinguentes folia, flores, radices & semina. Dulcedo cum tantilla adstrictione dicitur adesse omnibus plantæ partibus. Folia quidem & flores, præsertim recentes, sunt dulcia, subacria & subaustera. Infusum foliorum recentium saporis est subdulcis & leguminosi, & non mutatur a Syrupo Violarum nec solutione Heliotropii & decoctum foliorum fit magis fuscum & rubescens, addito Vitriolo viridi.

Radix subdulcis: Semen vero mihi nihil dulcedinis exhibuit, verum austeritatem insignem. Decoctum ejus rubrum erat & austerum, & nigredinem acquisivit, addito Vitriolo viridi, proinde dubitare mihi liceat de vi, his seminibus adscripta, ad expellendas variolas & menses movendos: sed Experimentis meis bene quadrat Seminum usus frequens, vel per se, vel leviter cum aqua hordei coctorum ad laryngis & faucium incendia & ad ulcera gingivarum in scorbuto, & gutturis in angina.

Folia quoque in usu sunt in gargarismatibus contra affectus faucium & asperæ arteriæ calidos.

Ex floribus hujus cærulcis fit cum Spiritu Vitrioli Tinctura eleganter rubra, & cum Spiritu Urinæ Tinctura viridis, &c, authore *Tournefortio*, non reperitur medicamentum magis efficax ad os mundandum & gingivas roborandas, quam Tinctura florum Aquilegiæ spiritu Vini extracta cum dupla quantitate Tincturæ sequentis admixta: In ℔ss spiritus Vini solve, ebulliendo per semiquadrantem horæ, G. Laccæ ℥j, Mastiches ʒij.

D. *ARGENTINA* Potentilla. Pentaphylloides Argentina dicta C. B. *Wild Tansey. Silver Weed.*

Folia & Flores saporis sunt nonnihil acris vel salini, & austeri. Herba fortiter rubefacit chartam cæruleam. Succus & decoctum cum Vitriolo viridi nigrescit, albumen ovi & salivam jejuni coagulat, clarior fit admistis Acidis, contra coagulatur ab Alcalinis: indicia Acidi terræ conjuncti, ut in Alumine.

Rustici, quando eorum pedes, operando vel ambulando inflammati sunt, hanc herbam parti affectæ applicant, unde inflammatio cito tollitur: sistit etiam sanguinem in recenti vulnere.

Usurpatur ad dentium dolores mitigandos & pro cosmetico ad tollendas Lentigines: decoctum insuper in gargarismis, Ulcera oris sanans, gingivas laxas roborans, & in ophthalmia cum fluxu humoris calidi, adhibetur.

Mira præstare dicitur in Fluore albo, præsertim additis cancris fluviatilibus in

in decocto, & tota herba cum radice cocta hæmoptoicis subvenit; Alvi quoque & Uteri Fluxum cohibet.

Authore *Etmullero*, ab omnibus tanquam specificum habetur in Ictero, & omnes fere compositiones adversus morbum arquatum ingreditur.

Radix in Anglia instar Pastinacæ a pueris, necnon a porcis comeditur, dulcedinem habens cum adstrictione.

C. *ARGENTUM VIVUM Quick-silver.*

A Veteribus venenum corrodens existimabatur. *Mesue* aliique Arabum compositiones ejus proferunt contra morbos cutaneos. De eo hæc habet *Avicenna*: „ Ejus vapor inducit paralysin, tremorem & tetanum. Interficit „ Mures, & ex fumo ejus fugiunt animalia venenosa & serpentes. Quod ex „ eo extinctum est medicamen est pediculorum & lendium, scabiei & ulcerum „ malorum. Sublimatum est stypticum ".

Jacobus Berengarius in centuria sexta primus introduxit ejus usum in curanda lue venerea: & *Paracelsus* primus dedit præparata mercurialia interne.

Notatu tamen dignum videtur, Præparationem quandam nuper celebratam, *Mercurius præcipitatus per se*, notam fuisse *Paulo Æginetæ*, hæc enim habet ille lib. vii. „ Argentum vivum ad medicum usum non ita valde assumitur, „ quum venenum existat: verum quidam ustum ipsum ac in cinerem „ redactum, aliisque speciebus permixtum, colicis & volvulosis bibendum „ dederunt ".

NOTÆ. *Dioscorides* tradit methodum separandi Argentum vivum è Cinnabari, & ait potum lethale esse, pondere suo intestina disrumpens: Verum experimentis nuperis abunde patuit, potum argentum vivum neutiquam esse adeo perniciosum. Serva quædam in tenebris inscia deglutivit ℔j argenti vivi loco aquæ sine noxa; & nuper in Anglia compluribus mos erat ad ℥ij pro dosi deglutire quotidie per satis longum tempus sine noxa, non tamen prorsus sine periculo salivationis, nam a ℥vj, tribus auroris successivis sumptis, accidit Salivatio: testante tamen *D. Dover*, assumptum fuit quotidie ad ℥j per annum cum eventu felici in Asthmate sævo & hæreditario.

Post Aurum est omnium corporum maxime ponderosum: specifica ejus gravitas ad Aquam est ut 14019 ad 1000, in igne tamen valde volatile, adeo ut igne arenæ ascendat, & in vapores evanescat, qui vapores valde nocivi, paralysin & mortem adducentes, unde fossores, qui laborant in ejus mineris, per tres vel quatuor menses vix possunt subsistere quin tremuli & paralytici fiant, &

& Deauratores, aurum aliis corporibus ope Mercurii superinducentes, fere semper moriuntur nervis affectis.

Ex natura ejus penetrandi vis: Fœminæ nonnunquam inter salivandum annuli aurium aurati ex mercurio albescunt mollesque fiunt, & si quis in marsupio argentum vivum gerit ac retinet in manu nummum aureum, hic evadit quasi argenteus.

Penetrat quo Aër nequit penetrare, pressione enim adigitur trans poros Vesicæ, quod non fit ab Aëre in vesica presso.

Porro, dum plura subjecta in Nosocomio salivationi diverso tempore exponuntur, tum illa, in quibus ptyalismus fere prorsus cessavit, de novo salivam rejiciunt, quando aliis Mercurius inungitur.

Experimentum sequens dicitur probatum fuisse multis mulieribus in Hollandia. Repletur Mercurio vivo calamus scriptorius, ejusque orificio cera sigillaria obturato inter mammas de collo suspensus gestatur a matribus, quibus Lac suum discutere animus est, eousque donec Lac omne evanuerit: hoc fit optimo effectu, & sine ulla noxa.

Porro, tumores dissipat si eo fumigentur.

Ab omnibus fere Acidis mineralibus notis solvitur (sed non ab Acidis vegetabilibus) & saporem vitriolicum acquirit in corpore, ut & in ejus præparationibus cum Acidis, & hinc inter purgandum a Mercurio dulci nonnulli de sapore quasi æruginoso queruntur; verum per se nullam acrimoniam habet.

A dictis patet vis ejus fortiter attenuans, necnon edulcorans, quod a sequentibus ulterius patebit.

Incipiente Salivatione mercuriali oritur sæpe febricula cum pustulis.

Non semper Luem veneream curat Salivatione, verum subinde sudore vel Urina.

Emplastris resolventibus admiscetur ad tumores præduros glandulosos & Tophos Gallicos discutiendos.

Ulcera maligna, phagedænica, putrida, & præsertim venerea, aliaque contumaciora, aliis irrita, mirabiliter curat in unguentum redactus, & Cancri venerei destruuntur unguento ex Mercurio cum terebinthina.

Extrinsecus & Scabiem ferinam sanat inunctus & fugat pediculos.

In Rabie canina, etiam in pessimo morbi statu, Unguentum mercuriale admotum, ut in Salivationibus levioribus, efficax esse deprehensum fuit.

Usu interno ℈j cum ʒj Sacchari tritus in mortario vitreo, donec fiat pulvis gryseus, datur pro tribus diebus, in lumbricis infantum efficax, & in Ascaridibus nullum medicamentum efficacius vel tutius. imo testatur *Brasavolus* se infantibus, vi vermium semimortuis, exhibuisse, qui illico sanati fuerunt, & in Equis se hoc feliciter expertum esse.

Por-

Porro, partum difficilem promovet, & Goritienses obstetrices, ubi gravidæ diu in partu laboraverint, statim argentum vivum scrupuli pondere, nullis incommodis, exhibent.

Extinguitur cum melle, oleis, resinis, balsamis, gummi-resinis, gummi Arabico, & substantiis terrestribus, v. g. Oculis cancrorum.

Operatio Mercurii vix pertingit ad ossa, sed Guaiacum: hinc ptyalismo bene succedit Guaiacum, sed non, vice versa, bene succedit Mercurius Guaiaco; quinimo liquore Guaiaci humoribus corporis dissoluto, Mercurius, maxima datus copia, aut perfrictionum forma corpori applicatus, nihil salivationis excitavit, tanquam Mercurius in attenuatos penitus humores nihil ageret, sed sine offensa illaberetur atque iterum exiret, vix turbato sanguine (c).

Notandum quoque, Mercurium non esse universale Antipsoricum & Deobstruens, sæpe enim deficit in curandis pustulis & strumis, strumosisque ulceribus, & in Cancro nisi venereo, ut supra. In Scorbuto vero nocet, ut & in diathesi colliquativa sanguinis, in quibus viscera semiputrida & vasa tenera, & iis qui facile in hæmorrhagias incidunt.

C *ARISTOLOCHIA* Birthwort.

Apud antiquos quadruplex. 1. *Rotunda*, Strongyle, *Dioscoridis* & *Galeni*, fœmina *Plinii*. 2. *Longa*, seu dactylites. 3. *Clematitis recta* C. B. tenuis *Galeni*. 4. *Pistolochia* & polyrrhizos *Plinii*, Græcis ignota, a Romanis primum usurpata.

Aristolochia *rotunda* gustus est amari & subacris, odoris virosi.

Ex discussoriis & extenuantibus est, & inter digerentia numeratur, detergens lene, magis tamen detergit quam moderatissime detergentia, v. g. quam ervi & hordei farina, hinc in fracturis ossium capitis valet, & ad Ulcera carne implenda, utpote exsiccans & mediocriter detergens sine morsu, adeoque vulnera exsiccat, & ad nervos vulneratos, utpote tenuiora partium, valet. Porro, inter Obesitatem curantia locatur.

Ulcera putrida exesit, & sordida expurgit, vermesque extrahit, item clavos, (seu callosam duritiem) in Ulcere natos: medetur fistulis. gingivas & dentes extergit: inter auricularia medicamenta miscetur in dolore auris ex flatu ventoso aut crassis & viscosis humoribus: caligines discutit; aculeos & spicula extrahit, ossium squamas emplastri modo imposita adimit.

Stomachum roborat, & teste *Theophrasto*, remedium est vigiliarum in vino austero trita & pota.

Cum

(c) *Boerhaave.*

Cum pipere & myrrha, mero pota, vel in pesso subdita menses, partus & omnia vulvarum onera ejicit. In Uteri strangulatione in vino aut aqua valet.

Urinam promovet. singultibus, suspiriis, algoribus cum tremore ante accessionem febrium, lienosis, ruptis, convulsis, laterum doloribus, asthmaticis, comitialibus, podagricis cum aqua pota auxiliatur.

Longa minus quidem tenuitatis partium obtinet quam rotunda, minus abstergens & digerens, sed non minus calefaciens, & proinde commodior in quibus usus est modicæ abstersionis, puta in Ulceribus carne explendis & fomentationibus Uteri.

Clematitis creditur ad eadem quæ longa, & rotunda pollere, sed iis efficacia cedit. Ejus radices, cortice aroma redolente vestitæ, unguentariis ad unguentorum spissamenta conducunt.

NOTÆ. Aristolochiæ sapori amaro nauseoso respondet vis purgans humores biliosos & phlegmaticos, a *Mesue* ei adscripta, licet a *Dioscoride* & *Galeno* prætermissa. Aliter vires, a Veteribus ei tributæ, confirmantur & illustrantur Experimentis Recentiorum, scil.

Extrahuntur Vires menstruis spirituosis & aquosis, sed magis perfecte a spirituosis.

Succus radicis longæ & rotundæ chartam cæruleam rubefacit.

Pulvis & Extractum vel Tinctura, Spiritu Vini extracta, externe adhibetur in linimentis pro Ulcerum inveteratorum, sordidorum & malignorum mundificatione, speciatim in ulceribus tibialibus cacoëthicis lotione e decocto.

Pulvis corrodit carnem mortuam sive in Ulcere sive in fistula.

Porro, externe laudatur ubi tumores resolvendi sunt, & Veterinarii ad tumores Equorum, alias immedicabiles, sumunt radicem, & eam coctam cum semine lini imponunt, vel etiam incoctam (*d*) oleo imponunt, & longæ infusio ad scabiem exsiccandam in plurimis regionibus usitatissima est.

Interne rotunda subvenit asthmati, a crassis humoribus, expectorationem promovens.

C. *ARTEMISIA vulgaris* C. B. *Mugwort.*

Flos graveolens, & quod sit secundi ordinis calefacientium, juxta *Galenum*, sicus quadrant nostræ.

Fervefacta insidentibus fœminis prodest ad extrahendos menses, partus, secundasque (in quibus retentis & præscribit *Hippocrates*) itemque ad vulvæ præclusionem & inflammationem. Herba ipsa copiosior, imo ventri impo-

(*d*) *Rieger.* Introd. ad notit. rer. nat.

imposita, menses ciet. *Succus ex eadem expressus, cum myrrha subactus, vulvæque subditus eadem, quæ & infusus, ex Utero trahit. Valet etiam ad calculos in renibus atterendos remoratamque urinam eliciendam: Ulcera exsiccat.

NOTÆ. Odor & Sapor est fere qualis Absinthii, sed remissior, nempe Odor gravis, haud ingratus, aromaticus, sapor subamarus, aliquantulum salinus & subadstringens, præsertim summitatum floriferarum, qui validior quam foliorum. Infusum ejus bituminosum quid resipit.

Dicitur vim inebriantem Cerevisiæ augere: si decocto herbæ laventur vel foveantur pedes itinerando defessorum, omnis lassitudo tollitur.

Succus Alcalinis volatilibus & fixis magis congruus est quam Acidis, nam cum illis fluidus est, sed ab his coagulatur: huic quadrat Experimentum alterum, scil. Vino vel Cerevisiæ infusa Artemisia aciditatem tollit. Aliquantulum rubefacit Chartam cæruleam. Syrupum Violarum non mutat. Decoctum in aquâ, addito Vitriolo viridi, fit atro-viride.

Externe Vulneraria dicitur.

Cataplasmatibus, vel pulvere asperso, ambustis, pulvere pyrio & sclopeto vulneratis, præsentissime mederi dicitur.

Fumigando cum eâ *S. Pauli* dissipavit tumorem œdematosum super utrumque genu in vetula.

Ingreditur Enemata antihysterica, & mulieres applicare solent cataplasmata ex foliis Ventri puerperarum cito a partu.

Herbæ siccatæ pulvis ʒij pondere, in vino potus, optimum est doloris Ischiadici remedium, authore *Parkinsono*.

In China ab hac planta paratur *Moxa*. Quo vetustior est planta, eo melior ad hunc usum. Herbam contundunt, postquam rudiores particulas separaverint: lanuginosas autem, quibus abundat, relinquunt, quæ facile incenduntur, & laudantur ad nervorum morbos, podagram & dolores profunde hærentes. Cauterium simile quoque parari potest ex aliis plantis lanuginosis, v. g. Gnaphalio.

C. *ARUM* maculatum maculis candidis vel nigris, & non maculatum C. B. *Wake Robin or Cuckow pint*

Arum diversum est in diversis regionibus. Ægyptiaci radix editur & cruda, in quibusdam regionibus acrior & ad Draconti radicem accedit. Apud *Dioscoridem* edulis, sed prius cocta. Jubet *Galenus* & *Oribasius* dum coquitur, priore aqua effusa, in aliam calidam, vel secunda vice coquere. Porro & apud nos in Britannia, urgente fame, radix cocta aliquando comesa fuit. Condiuntur & sale folia ad cibum; per se etiam siccata elixa comeduntur.

Cale-

Galenus suo mitiori tribuit vim meatus aurium ab obturatione liberandi, utpote tenuium partium sine mordacitate.

Succus radicis cum melle Attico oculorum caligines ac stomachi vitia discutit. Partus omnium animalium extrahit naturæ circumlitum. Aridum in potione inspersum aut eclegmate urinas & menses ciet. Ad menses trahendos seminis vel radicis drachmæ duæ in vini cyathis duobus sufficiunt. Eadem potio, si a partu non purgentur & secundas trahit.

Ulcera omnium generum, sive phagedæna sint, sive carcinomata, sive serpant, sive polypi in naribus, mire sanat. Interaneis exulceratis ex lacte ovillo bibatur. Epiphoris elixum imposuere, item sugillatis, tonsillis, & lentigines ex melle illinentes.

Radix cum fimo bubulo podagricis imposita prodest, & folia cum sale recentia vel sicca.

Radices comesæ crassitiem humorum mediocriter incidunt, adeo ut excretionibus ex pectore idoneæ sint. Ad tussim in cinere coctum ex Oleo dedere quidam, alii coxère in lacte ut biberetur.

NOTÆ. Radix recens mucilaginosa est & farinacea, nec ipsa, nec residuum ejus a Foliorum destillatione dulcedinis prorsus expers, & cum probe sicca est in pulverem abit farinaceum, insipidum & esculentum, nec aliam habet virtutem, quam alia farina: recens vero tantæ est acrimoniæ, ut nequeat assumi, caustica, linguam masticantis afficiens sensu punctionis, ut ab acubus, & caloris per sex vel plures horas, & inter scindendum & tractandum ad manus tractantium pustulas excitavit. Debemus itaque eâ uti ubi leniter exsiccata est, quando convenit in omnibus morbis frigidis, ut Scorbuto, Asthmate, Cachexia; nec quidem sicca & pulverulenta acrimoniæ expers, verum masticanti sentiebatur in ore punctio ut ab acubus per plures horas: proinde Arum non recte annumeratur Antiscorbuticis volatilibus, acrimonia enim ejus non ascendit inter destillandum, sed hæret in residuo, nec mecum periit donec per semihoram decoxissem in aqua.

Porro, e pulvere radicis siccæ cum aqua absterguntur Lintea, est enim saponacea & abstergens, itaque convenit in abstergendis maculis cutis; & mulieres in provincia Gallica, *bas Poitou* dicta, dealbant lintea sua pasta è caule, in frustula discisso dum floret planta, per tres septimanas infuso, mutata aqua quotidie, dein exsiccando.

Insolatus radicum succus, cerussæ speciem referens, mirum in modum cuti splendorem & nitorem conciliat.

Extus adhiberi potest pro Epispastico.

Nec Spiritus Nitri nec Oleum Vitrioli, radici recenti affusa, aliquid mutatio-

nis

nis exhibuit, ut & nec Succus cum liquoribus acidis aut alcalinis, nec cum Syrupo Violarum; sed chartam cæruleam rubro colore infecit.

Folia, minus acria quam radices, contusa & applicata, Ulcera brevi sanant tam hominum quam equorum.

Prodest Radix in affectibus serosis, mucidis, colica mucida, atonia ventriculi, appetitu prostrato, Hydrope urinam promovendo, & in affectibus lienis & uteri frigidis, præsertim in flatibus & exhibetur ad ℈j cum spiritu frumenti iis, qui aliter difficulter sudant.

Decocta radix, melle excepta, medetur pectoris morbis omnibus pituitosis, valentissime expectorans crassas lentasque excreationes.

Authoribus *Chomel* & *Lemery*, siccæ pulvis ad ʒj vel ij purgat; & teste *Lieutaud*, Fæcula inde parata a gr x ad xxx purgat.

C. *ASA FOETIDA* nostra, Laser, Succus Cyrenaicus, Medicus vel Syriacus, & Silphium Veterum.

Si de gustibus vel odoribus disputare liceret, crederem cum *Salmasio*, Asam fœtidam nostram non esse Succum Cyrenaicum sed Medicum vel Syriacum juxta *Dioscoridem*, cujus hæc sunt verba. „ Laseris Cyrenaici odor blandissimus, Medici vel Syriaci odor magis virosus ".

Acre Gummi est & strenue calefaciens, cautera fere vim obtinens, odoris blandissimi, tenuissimæ substantiæ, omnium maxime per halitum digerens. Si tantillum ex eo aliquis in os sumpserit, toto corpore madorem ciet, & si quis paululum assumpserit, ejus qualitatem in urina & aliis humoribus præ se fert. Foris impositum corpori admodum trahentem facultatem possidet, attamen & excrescentias amoliendi & liquandi vim quandam obtinet. Discutit generose induratas inflammationes.

Quemadmodum est acre & æstuosum, inflationes facit, seu spiritus flatuosus ex ejus ingestione colligitur in ventre. Concoctioni plurimum confert, senibus & fœminis, hyeme quam æstate melius. Cœliacos ex acino uvæ sumptum juvat. Vescentibus lætiorem colorem conciliat. Apud *Hippocratem* datur in febre singultuosa.

Algores cum tremore in febrium accessionibus cum pipere ac thure in vino potus discutit. Tetano, Opisthotonoque distentis oboli pondere devorandum datur. In aqua mulsa linguæ paralysi succurrit. Quibus haustum lac intus concreverit, & comitialibus sumptum ex aceto mulso succurrit. Hærentes gulæ hirudines gargarizatum cum aceto discutit.

Sanat Lichenes recentes ex aceto, iidemque carnosa narium vitia & polypos, si cum atramento sutorio aut ærugine per dies aliquot illinatur; sed oportet, quæ illic excreverunt, forcipe auferre. Alopecias cum Vino, pipere

& aceto perunctas ſanat. Cum melle inunctum oculorum aciem excitat, incipientem ſuffuſionem diſſipat. Authore *Dioſcoride*, in dentium doloribus cavernis illorum inditur, ſed vetat *Plinius*, etiam cera incluſum, magno experimento hominis, qui ea de cauſa ſe præcipitavit ab alto.

A rabioſo cane demorſis prodeſt, vulneribus impoſitum, idemque valet ad omnium, quæ virus ejaculantur, animantium, venenatorumque telorum ictus, ſeu potum, ſeu etiam illitum. Gangrænâ obſeſſis partibus, prius ſcarificatis, infunditur, necnon & carbunculis clavos calloſque, prius circumciſos, extrahit, ſi quidem cerato, ſiccorumve ficuum carne ſubactum antea fuerit. Perniones ex vino fovet, & ex oleo coctum imponitur. Coxendicibus & lumborum doloribus cum decocto melle illinitur. Podagras in ſpongia dilutum poſca lenit.

Diutinas faucium aſperitatibus ſubvenit, ac vocem, quæ derepente irraucuerit, aqua dilutum confeſtim expedit. quin & uvam cum melle illitum reprimit, ac in anginis ex aqua mulſa utiliter gargarizatur. Anhelatoribus & in tuſſi vetuſta cum porro ex aceto, vel & in ovo ſorbili datur, itemque pleuriticis in ſorbitionibus. Ictericis ac hydropicis cum aridis ficis utiliter datur.

Urinam ciet ciceris magnitudine dilutum. Potum cum pipere & myrrha menſes ciet, & apud *Hippocratem* datur magnitudine fabæ ad ſecundas detentas ducendas.

Confer vires *Allii* & *Ari*.

NOTÆ. Odor ejus fortis eſt ut Allii, imo fortior, ſapor acris, mordax, calidus, & fere dolorem maſticanti excitans, ſubamarus.

Indi frequenter utuntur Aſa fœtida ad condiendos cibos, uti Hiſpani omnibus fere cibis addunt Allium. Odor ejus ſentitur in Urina eorum, qui liberaliter eam ſumunt.

Eſt Gummi-Reſina: odor & ſapor ejus in Reſina hærent, quæ facile ſolvitur Spiritu Vini puro, etſi plus gummi quam reſinæ contineat. Porro, tincturam ex ea trahit Aqua Calcis æque ac Spiritus Vini, quæ forte præferenda, quippe quæ in Aqua non patitur præcipitationem.

Externe potenter reſolvit, & ad lienis tumores commendatur.

Tranſpirationem inſigniter promovet.

Ad flatus diſcutiendos magni uſus eſt in equis & hominibus.

Colicæ flatulentæ, ſuffocationi hyſtericæ a cauſa frigida, hydropi humido & tympanitico, obſtructioni hepatis, lienis & meſenterii ſubvenit.

In Perſia & India datur magnis doſibus in rheumatiſmo, podagra & omnis generis doloribus.

Inſignis uſus eſt in Tympanitide. Quidam, referente *Kempfero*, hujus bo-

lum

lum ſeu pilulam majuſculam omni mane per ſex ſeptimanas devoravit, donec convaluerit. Ex eo ſubinde ſibi flatus ſurſum & deorſum ſeceſſiſſe, uſque adeo fœtentes, ut ab hominum conſortio toto tempore juſſus ſit exulare.

Catharticis aſſociata eſt anthelmintica egregia.

C. ÁSARUM C. B. *Aſarabacca.*

Radices odoratæ, linguam calfaciunt & valde mordent, vim Acoro ſimilem habent, ſed magis intenſam: tenuium ſunt partium, vi reſolvente & ſanguinem fundente præditæ.

Urinas cient, ſi Muſto addantur, valentius quam Apium. Hydropicis proſunt, Menſes proliciunt, & abſolutas uteri purgationum retentiones ſanant.

Vomitum cient: Senæ drachmæ, ex mulſa bibitæ, veratri albi modo purgat. Inveteratæ iſchiadi proſunt, ac morbo regio, & jecinoris vitiis ſalutare eſſe traditur Aſarum, unciæ ſumptum in hemina mulſi mixti.

NOTÆ. Radix Odoris eſt aromatici inſtar piperis, ſaporis acris, pungentis, linguam calefacientis, nauſeabundi, ſubamari cum levi adſtrictione.

Chartam cæruleam valde rubefacit.

Violentum eſt purgans per ſuperiora & inferiora. Datur à ʒß ad ʒj in ſubſtantia, a ʒj ad ʒiij in infuſo.

Subtiliſſime tritum efficit Vomitum, groſſiori modo pulveriſatum purgat per alvum.

Coctione diuturna in aqua vi emetica & purgante orbatur, ac fit egregium alterativum, potens diaphoreticum & diureticum, menſes, ſecundinas & lochia movens. Infuſum ex ejus ℥j ad ℔j Aquæ, per noctem ſuper cineres calidos paratum, non movebit vomitum, Aqua enim non extrahit niſi partem ſalinam, quæ urinam ciet, viſcera obſtructionibus liberat & roborat: in cachexia, chloroſi & hydrope utilis, & in hydromelite decocta, & epota omnem pituitam pulmonum reſolvit, aſthma ac tuſſim potenter abigit. ſed, ſi decoquatur in Vino; retinet vim vomitivam & catharticam.

Emmenagogum eſt inſigne, unde meretriculæ gravidæ plus ſatis ejus frequentant decoctum.

In quartanis datur ʒß vel ʒj Radicis ante paroxyſmum in Decocto Centaurii minoris, quæ, ſi poſt vomitum ſimul excitet ſudorem, eo melius.

Datur pulvis ab ℥ß ad ℥j Equis in furfure madefacto, tanquam remedium inſigne in morbo *Farcy* dicto.

Foliorum odor aromaticus eſt, ut radicis, ſed longe mitior, ſapor ſubacris, ſubamarus, ſubadſtringens, & infuſum in aqua, addito Vitriolo viridi, acquirit colorem fuſcum.

Chartam cæruleam valde rubefaciunt.

Siccorum decoctum mucilaginosum sentitur, dein sensum acrimoniæ in faucibus, plures horas durantem, excitat.

Pro Errhino usurpatur a quibusdam in Cephalæa fere ad ℈j, sed tutius a gr. ij ad v hora somni per 3 vel 4 noctes, nec statim sentitur ejus irritatio, sed tandem fluxum mucosum copiosum excitat.

Succus, contusus cum saccharo, fit emeticum tam forte fere ac Antimonium.

Recentia, Vino infusa, & expressa, Vomitum quoque cient, cum Aqua infusa tantum laxant.

D. *ASCLEPIAS* flore albo C. B. *Swallow wort*.

Radix Odoris est gravis, aromatici, saporis acris, amaricantis, aliquando subdulcis, nauseosi.

Aliquantum rubefacit chartam cæruleam.

Ulcera sordida mundificat, ut Aristolochia.

Alexipharmaca est, sudorifica, diuretica, menses movet, & antihysterica est. Lumbricos necat: &, in vino decocta, potaque, subvenit torminibus.

A Tyrolensium Alpium incolis singulare habetur in curandis strumis, usurpando sæpius decoctum radicis & herbæ, quod etiam in porcis continuato usu curat strumas.

In *Hydrope*, tam ascitico quam anasarcodeo, infusum ejus utiliter exhibitum fuisse affirmant authores fide digni, aquam per sudorem expellens, si radicis ℔ß in vino maceretur per noctem, dein ad tertiam partem coquatur, & mane jejuno stomacho calide potetur.

D. *ASPALATHUS*, Lignum Rhodium quibusdam. Vide *Lignum Rhodium*.

N. *ASPARAGUS* sativus C. B. *Sparrow grass*

Dicitur hæc Herba primum in Angliam invecta fuisse A. D. 1660.

Asparagus apud antiquos non solum hanc herbam significat, sed cujuscunque herbæ cacumen, quum primum erumpit, ut edendo fit.

Asparagus sativus, quo utimur, non est *Dioscoridis*, qui dicit Asparagum altilem habere radicem rotundam, grandem, tuberculum habentem, sed vulgaris Asparagus radicibus nititur numerosis, longis, teretibus; nec *Columellæ* & vulgaris idem sunt, nam ille spinosus erat, noster spinis caret.

Radix odoris est fere ut Pastinacæ, & Sapor dulcis glutinosus cum sensu acrimoniæ in faucibus per horam vel ultra, quasi modo, notante *Floyero*, alia Diuretica fauces afficiunt.

Exsic-

Exsiccatione perit ejus vis, quare recens usurpanda, & si decoctum ejus expetatur, non debet decoqui plus quam per duo vel tria minuta.

Radix sylvestris, notante *Tournefortio*, vix rubefacit chartam cæruleam. Confer infra dicta de *Turionibus*.

Succus digestione 23 dierum Calculum solvebat.

Maxime laudatur vis ejus diuretica, & annumeratur quinque radicibus aperientibus & emmenagogis.

Radices, æque ac Turiones, prædicantur ut urinam, calculum & menses expellentes, & urinam reddentes fœtidam; sed & quandoque nephritidem & lumbaginem inducere dicuntur.

Adhibentur quoque in ictero & dolore coxendicum.

Porro, in moderando mictu cruento virtutem ejus in forma Theæ se pluries expertum esse, affirmat *Junkerus*.

Turiones masticati fauces afficiunt, ut supra dictum de radicibus, quas viribus æmulantur.

Cito post eorum assumptionem urinæ fœtorem dant, quod etiam a Raphano efficitur.

Succus recens dicitur vomitum excitare & purgare.

Semicocti, & cum Oleo & Aceto comesti, vel butyro conditi, urinam movent & alvum.

Per destillationem dant multum Olei & Salis volatilis alcalini: unde usus eorum immodicus humores efficiunt acres, & calefaciunt.

N. *ATRIPLEX* fœtida C. B. *Stinking Orache*

Folia recentia odoris sunt piscis salsi putridi, & qui attactu leviori manus ita inficit, ut longo tempore vix possent elui, loco nempe nativo; si vero prope fornaces laterarias, aut muros veteres, crescat, mutatur ejus odor, qui tunc fit instar casei tosti. Sapor subacris est. Mucilaginosa sunt folia, totaque planta contegitur farina quadam unctuosa.

Syrupum Violarum non mutat, & solutionem Heliotropii tantummodo magis purpurascentem reddit.

Siccorum Odor longe debilior.

Analysi chemica dat multum salis volatilis concreti, necnon salis fixi valde lixiviosi.

Substantiam videtur possidere attenuantem & saponaceam.

Menses provocat, fœtum mortuum, secundinasque expellit.

Folia contusa cum saccharo conservam faciunt hystericis utilissimam, ut est & Tinctura ejus cum Spiritu Vini, & infusum arefactæ in aqua, instar Theæ.

Herba tusa, Ulceribus quadrupedum imposita, Vermes, ibi subinde natos, excutit, certissimo experimento.

C. *AVELLANA* Corylus sylvestris C. B. *The Hasel nut Tree.*

Fructus, Nuces Ponticæ, Heracleoticæ, & λεπτοκάρυα Græcis, ad differentiam Nucum Basilicarum seu Juglandium. Latinis Avellana & Corylus, aliquando & Prænestinæ vocatæ ab urbe Præneste, quod his nucibus obsidionem Hannibalis incolæ sustinuerint in annonæ summa penuria.

Nux Pontica frigidior, austerior, magis terrea, quam Juglans, cæteroquin huic similis. In utraque adstringens qualitas in oleosam commutatur: concoqui contumax, stomacho infesta, inflationem, &, in cibo sumpta, capitis dolorem faciens.

Alimentum corpori præbet copiosius quam Nux regia, pinguitudini corporis conferens plus fere quam verosimile, nullam abstergendi ex visceribus facultatem adepta.

Tritæ nuces Ponticæ & in aqua mulsa potæ, tussi veteri medentur, tostæ, & cum exiguo piperis comesæ, destillationem concoquunt. Crematarum cinis, cum axungia aut adipe ursi perunctus, alopeciis capillum reddit.

NOTÆ. Viridium putaminum succus adstringit, repellit, & apud *Galenum* usurpatur in Angina.

Nucleus purus (dempta membrana interiore, quæ sistit ventrem) saporis est dulcis, grati instar amygdalæ, oleosus, minus tamen quam Juglans. Recens alvum laxat. Ex his nucibus, ut ex Amygdalis, Oleum per expressionem, & Emulsiones parantur. Oleum abstergendis furfuribus capitis inservit.

Corpus pinguefaciunt, plus nutriunt, quam Juglandes, minus, quam Amygdalæ.

Ante pastum comestæ a calculo renum &, nephritide præservare dicuntur. Ex mulso hausti nuclei Urinæ ardorem mitigant.

Liberaliori eorum usu generatur Bilis porracea in ventriculo, quæ vomitu aliquando ejicitur, recentes, ob copiam humoris, mixti substantiæ pinguis & oleosæ, in calidiore ventriculo facile corrumpuntur, vomitumque excitant in dispositis; qui secus incurrunt in Dysenteriam, ut *Tragus* observavit, notante insuper *Hoffmanno*, in aspera sua regione, tantum non perpetuam esse emesin, ut quoties uber est proventus Avellanarum, toties inter plebejos familiaris sit fluxus dysentericus.

Sicci vel vetusti Nuclei in faucibus & pectore irritationem efficiunt, & ab albedine ac dulcedine tendunt ad flavedinem & amaritiem, unde dubio jure dixeris, quod de juglandibus veteribus & rancidis dicitur, si quis post alios cibos edat

copio-

copiose, sitim futuram ampliorem & inflationem molestiorem, superveniente tandem vomitu vel dejectione.

C. *AVENA. Oats.*

Avena vulgaris seu alba C. B. *White Oats* & Avena nigra C. B. *Black Oats.* Hæc multo frequentius & copiosius seritur in Anglia quam alba.

Jusculi avenacea successerunt hodie Cremori Prisanæ Veterum, ex hordeo excorticato factæ.

Est concoctu facilior, quam Prisana (Hordeum) & quidem maxime omnium leguminum ad concoquendum accommodata. Prodest tussientibus in sorbitione succus. In pleuritide, si biliosi sint ægri, Prisanæ cremor crebrius copiosiusque assumi debet, sin autem aversentur ægri prisanæ cremorem, alio utantur, præsertim avenato, vim enim, quæ humores ex thorace & pulmone purget & educat, haud minorem quam prisana (si non etiam aliquanto ampliorem) obtinet.

Calida est & parum nutrit: siccat & discutit moderate, & citra mordacitatem. Digerendi vim possidet, quod ex gustu patet, leviter enim est acris, verum & ex eo liquet, quod phlegmonas, tam simplices quam induratas, sanat, æque ac hordeum ad cataplasmata utile. N. B. hæc apud *Æginetam* tribuuntur Avenæ erraticæ, Ægylops dictæ.

Authore *Dioscoride*, Puls ex eo conficitur, Alvi sistendæ vi prædita, sed, juxta *Galenum*, panis, qui ex eo fit, non Alvum aut sistit aut proritat, sed medium locum obtinet.

NOTÆ. Semen mucilaginosum est & subdulce, lentius quam Hordeum: oleum exhibet ut omnia farinacea, & proinde e larga mucilagine, mitioribus pinguibus, & paucissimis sulphureo vaporosis, contexta esse dicitur.

Farina ad tumores duros & dolentes leniendos usurpatur. Ingreditur cataplasmata resolventia, & maturantia. Vulgus in Dania pultem avenaceam, ex simplici aqua paratam, non infelici successu adversus Pernionem, qui calces infestat, usurpant.

Crudum semen sacculo inditur, qui ventri, optime calefactus, imponitur, ad dolores colicos & uterinos leniendos. Adhibetur & in cataplasmatibus resolventibus & emollientibus, mediocriter & sine morsu digerens & in clysteribus usurpatur.

Quando Equis venter inflatus est, quod sæpe fit dum in Stabulum nuper recepti sunt, post pastum e gramine autumnali, Avena exsiccat & alvum constipat.

In raucedine, tussi, exasperatione, exulceratione faucium, & oris aptphthis a

catarrhis seu lymphæ acrimonia oriundis, juscula avenacea usurpari solent, quia lentam viscidatatem lymphæ & catarrhorum temperant, corrigunt, & aliquantulum abstergent. *Baynardus* enim noster experientia sua affirmat, Avenam omnibus aliis granis præstantiorem esse in morbis pulmonum.

Servit pro equorum pabulo, anseres eo saginantur, & gallinæ aluntur. Ex ejus farina, granis decorticatis, cum sale & passulis aquæ incocta, & frequentissime cum carnibus juscula & sorbitiones paramus, nec alia fere juscula apud nos (in Anglia) in usu sunt, quam avenata, quæ sane tam sanis quam ægrotis saluberrima sunt, facillime concoquuntur & optimum corpori alimentum præbent; unde medici nostrates in morbis acutis non aliis fere sorbitionibus ægrotos alunt, quam avenatis.

E farina quoque panes conficiantur & placentæ saluberrimæ; Cerevisia quoque exinde fit, hordeaceæ non cedens. *Walli* ex amylo Avenæ, in aqua ad gelatinæ consistentiam decocto, ferculum parant *Flumery* dictum, quod in magno pretio est: hanc gelatinam calidam, in taleolas dissectam, cum lacte vel cerevisia, aut vino, albo sacchare edulcerata, mixtam comedunt.

N *AURANTIA* Malus. Malus Aurantia major C. B. *The Orange Tree.*

Non videtur a Veteribus descripta, quippe nec Græcis, nec Latinis nisi infimi ævi, cognita fuit, alioquin *Columella* arboris fructusque tam pulchri & elegantis culturam tradere non neglexisset *Bod. a Stapel.*

Arantia pro Aurantia corrupte dixere, & inarantia pro inaurantibus vel inauratis, unde Italicum *Nerancio* & Græci recentiores barbari νεράντζιον fecerunt. Apud *Nicolaum Myrepsum* νεράντζιον est arbor, quæ mala fert aurea. Igitur Aurantia mala recentiorum sunt *Mala aurea* Veterum & *Hesperidum* mala.

Non aliunde, quam ex hac observatione, Veterum negligentia elucescit, qui cum tot sint genera Citriorum, tot Aurantiorum, hæc omnia sub unius Citri nomine complexi sint, nec aliter distinguant, quam si unicum Citrium malum ipsis notum fuisset. Saltem duo hæc summa genera distincte exponere debuerunt, Hesperidum malum sive aureum, & Assyrium sive Citrium. Hæc *Salmasius.*

Cortex seu *Flavedo* odoris est fragrantis, grati, saporis amaricantis, calidi, acris: amarior & calidior est, quam Cortex Limonum, acrior & magis aromaticus, quam Citri, & proinde in ventris uterique doloribus, tympanitide & cardialgia præferendus.

Aquam destillando præbet aromaticam, amariusculam, carminativam, stomach-

machicam, in doloribus colicis utilem, quæ odorem & saporem suum retinebat per tres annos & ultra.

In potu recentiorum, *Punch* dicto, rejicitur, quoniam caput tentat, vim Spiritus Vini inebriantem augens.

Oleum insigne habet, quod dum recens est exprimitur digitis, estque optimum stomachicum & convenit in omnibus frigidis affectibus & in dysuria. Vires Corticis extrahit Spiritus Vini plus quam Aqua.

Cortex egregium est Carminativum, quo in ventriculi imbecillitate, flatulentia, colica, doloribus post partum cum fructu utuntur practici, est & emmenagogus, antihystericus, anthelminticus, diureticus, in febribus malignis, in ischuria similibusque morbis, a muco ortis, utilis; & in pluribus Experimentis compertus est magnæ efficaciæ in Febre intermittente.

Succus acidus est, paulo minus vero quam Limonum & Citri: ætate perdit aciditatem & fit dulcis. Compositio nostra, *Shrub* dicta, viscidıtatem majorem acquirit ab hoc Succo, quam a Succo Limonum.

Differt Succus Aurantiorum ab aceto, quod non sit volatilis, a salibus nativis acidis diversarum plantarum, quod solubilis sit: Sal ejus, in succo inspissato existens, in Spiritu Vini æque ac in aqua, & deliquescendo in aëre (*f*) solvitur.

Sitim extinguit, refrigerat, putredini resistit & febrientes juvat.

Frustulum Calculi, digestum per 9 dies, in hoc succo per se, vel aqua admista, solvebatur.

Succus, vel Extractum ejus in Scorbuto, etiam marino, præcavendo & sanando efficacissima esse perhibetur.

C. *AXUNGIA*, Pinguedo, Adeps. *Greafe or Fat.*

Adeps omnis vim habet excalfaciendi, molliendi, rarefaciendi, digerendi citra mordicationem, colliniendi & mitigandi acres mordicationes. Utile tabidis in sorbitione esculentorum adiputm jus.

Vetustate calidior fit, valentius digerit & discutit. Recens magis convenit in phlegmone cum magno dolore, vetus in iis, qui sine dolore. In agrestibus animalibus acrior, quam in domesticis, in urbibus altorum humidior & crassior, in juvenilibus minus calidus, in maribus calidior, quam in fœminis, & in non castratis, quam in castratis.

C. A-

(*f*) *Lewis*

C. *ADEPS SUILLUS.*

Omnium fere aliorum humidiſſimus eſt, ac proinde actione ſua vicinam oleo veteri vim poſſidet, quanquam oleo paulo magis calfaciat, tum emolliat & concoquat. quæ enim moderate calida, humida, lentaque ſunt, velut adeps porcinus & vitulinus, butyrum & thus, ſunt puri movendo idonea in, phlegmone tentatis, partibus, phlegmonis proprie appellatis familiariſſima. Hinc Adeps ſuillus cataplaſmatis, quæ ad inflammationes valent, admiſcetur, contra, tauri & capræ acriores adipes, frigidioribus & duris, minus proprie phlegmonis dictis, magis congruunt.

· Adeps ſuillus facit peculiare emplaſtrum, ſeptuaginta quinque denarium pondere axungiæ centum ſpumæ argenteæ denariis mixto, utiliſſimum contra inflammationes ulcerum, utpote molliſſimum ac humidiſſimum, & aliorum imbecillimum, talisque fere caloris, qualis eſt corporis humani: teneris corporibus convenit, cujuſmodi habent mulieres, pueri, eunuchi & viri delicatiores, in umbra, ocio & frequentibus potabilis aquæ balneis effeminati: contra, taurinus adeps magis convenit corporibus duris meſſorum, foſſorum &c

Moderatiſſime relaxat, & ſincerus prodeſt confricatus membris, itinerum laſſitudines & fatigationes levans,

Iis, qui acria mordicaque per alvum excernunt, auxiliatur infuſum. Ad vulvæ ſedisque vitia accommodatur & igni quoque ambuſtis prodeſt. *Plinius* has vires ulterius illuſtrat ſic: In axibus vehiculorum perungendis uſurpatus cum ferrugine rotarum utilis fit medicina ad ſedis vitia virilitatisque.

Ad tuſſim veterem recens decoquatur quadrantis pondere in vini cyathis tribus, addito melle. Juxta *Plinium* vetus, ſed ſine ſale, in pilulis ſumptus, phthiſin ſanat, datur quoque phthiſicis unciarum cum vini veteris hemina (*g*) decocta, donec tres unciæ ex toto reſtent,

Vetuſtate acrimoniam & digerendi facultatem acquirit; quin imo teſtatur *Galenus*, ſe ſervaſſe pharmacum ex oleo & adipe, per 40 annos, quod ulcera diuturna, præter morem maligna, melius ſanavit, quam opinio ferret

Sale conditus & quam vetuſtiſſimus magis calfacit, emollit & diſcutit, vino lotus pleuriticis prodeſt.

C. *ADEPS ANSERINUS.*

Calidior eſt, quam ſuillus, quia & ſubtiliorum partium, &, minimum terreſtris,

(*g*) Hemina Continet ℥vijß vel 3 ix.

restris, sicut & avium. Familiarissimus est phlegmonis, sed quodammodo ad digerendum potentior, quam suillus. Est quoque substantia tenuior, & ad digerendum potentior, quam adeps gallinaceorum. In tumoribus, qui difficulter resolvuntur, ne aliquid duri aut scirrhodes relinquatur, adjiciendum medicamentis aliquid adipis anserini. Quæ in alto corpore mordicant magis obtundit, quam suillus. Cepæ succo mixtus auriculæ infunditur & prodest surdis, auditum revocans. Illitus duritias & concretiones locorum discutit.

Dolorosas omnes affectiones juvat.

Recens, & sine sale inveteratus, ad vulvæ vitia proficit, nam, si salem assumpsit, utero infensus est, ut & is, qui progressu temporis acrimoniam contraxit: facit & ad labiorum rimas, ad curandam faciei cutem & contra aurium dolores. Utiliter medicamentis additur, quæ lassitudines & fatigationes levant. Convenit in Alopeciis, qua tenuium partium, unde prompte in cutis profundum penetrare queat, atque ad radices capillorum pertingere.

NOTÆ. Adeps tum Suillus, tum Anserinus mollitiei & lubricitatis sensum exhibet in ore, & acrimoniæ levis in gutture.

Igne nec fœtorem peculiarem nec salem volatilem alcalinum exhibent, ut pleræque animalium partes, tanquam non perfecte ad naturam animalem assimilati.

Non solvuntur Spiritu Vini plus quam ab Aqua, Odore fœtido tamen, quem acquisiverint, liberantur digerendo in Spiritu Vini rectificato.

Adeps suppurans est, quatenus poros cutis obstruens, & perspirationem inhibens.

Adeps suillus temperatus est, & valde conveniens in emolliendis tumoribus & leniendis doloribus ex incandescentia & inflammatione obortis, Cataplasmatibus admixtus.

Anserinus interne cum pomo assato valde convenit in emolliendâ alvo nimis obstructa: & si testa juglandis media, hoc impleta, Umbilico applicetur, simulque idem adeps abdomini illinatur infantum, post paucas horas alvus contumacissima solvitur. Adhibetur & in aurium tinnitu.

Axungia *Taxi* a Venatoribus expetitur & affricatur membris refrigeratis.

N. B. Pinguedines animales ab Oleis vegetabilibus differunt, quatenus aciditatis expertes, & proinde ferrum a rubigine melius præservant.

B.

C. BALANUS Myrepsica. Glans unguentaria. *Myrobalanum Plinii & Aetii*, nihil habens commune cum Myrobalano Arabum. Oleum Balaninum. *Ben nut & Oil of Ben.*

Nucleus, amygdalarum amararum more, tusus pressusque oleum reddit, quo ad pretiosa unguenta pro Oleo utuntur. reliquiæ terrestres & duræ intensam habent qualitatem amaram cum quadam adstrictione, cortex enim admodum adstringit, proinde extersoriam & incisoriam vim habet cum aliqua adstrictione. Hoc magna smegmatis immiscetur, quæ ad scabrities & prurigines accommodantur.

Si quis carnem ejus drachmæ pondere cum melicrato bibat, medicamen experietur vomitorium, sæpe etiam per inferiorem alvum largiter subducens. Itaque cum hoc medicamento utimur ad viscerum expurgationem, & maxime jecinoris lienisque ex oxycrato ipsum exhibere consuevimus, aceto enim gaudet cum forinsecus impositum, tum per os acceptum.

Facit quoque ad hepar induratum in cataplasmate imposita, & lienem consumit, præsertim, si farina aliqua exsiccatoria ipsi commisceatur, velut est lolacea ac ervina.

Cum aceto cocta psoram & lepram exterit: cum nitro vitiligines & cicatrices nigras emendat, & cum lotio lentigines & varos, maculas, a solis ardore contractas, & papulas in facie tollit.

Eædem vires Oleo Balanino tribuuntur a *Dioscoride*, & quod contra aurium dolorem, sonos & tinnitus auxilio sit cum anserino adipe instillatum. Confer *Ricinum*.

NOTÆ. Fructus integer cum putamine vomitum parit, tostus purgat per inferiora. Nuclei contusi & cum Alia poti purgant pituitam.

Nucleus subdulcis, prapinguis, & acu vulneratus, mox humorem reddit oleagineum, Oleumque, inde expressum, vetustate non rancescit, sed servatum fuit incorruptum per 14 annos, horologiis & aliis machinis illinendum.

Oleum hoc inodorum est, valde emolliente ac resolvente vi pollet, proptereaque ad duros furunculos nervorumque dolores utile, psoram & lentigines sanat. alvum ciet: plerumque tamen rebus, fragrante odore imbutis, v. g. floribus jasmini, moscho, &c. servandis additur, quoniam diu durat, nec vetustate rancorem contrahit.

C. *BALAUSTIA* flore pleno majore C. B. *Raii. Catalog. The flowers of the Wild Pomegranate.*

Dioscoridi & *Galeno* Cytinus est flos Mali Punici domestici, Balaustium sylvestris, *Plinius* vero Balaustium mali Punici simpliciter nominat.

Balaustium vehementer adstringit, & fluxiones sistit. Decoctum ad gingivas, humore flaccidas, dentesque mobiles, colluitur, & ramices ex intestini prolapsu, cataplasmatis inditum, agglutinat. Si intertriginibus & aliis ulceribus ipsum illinias, celerrime illa videbis cicatricem contrahere; hoc nomine hæmoptoicis & dysentericis datur in posca, & in dysenteriis infunditur, tum ad ventris uterique profluvia utimur. Asperitatem palpebrarum lenit.

Tum refrigerando tum firmando ventriculo idoneum, ulceribus internis opitulatur, nec ullam visceribus noxam infert.

NOTÆ. Præter saporem austerum, adest & amaror. Decoctum Vitriolum viride in atramentum præcipitat.

Tincturam præbet tum Spiritui Vini rectificato, tum Aquæ, sed prior fortior est.

Si decoctum velimus reddere intense rubrum, instillandæ sunt guttæ aliquot Spiritûs Vitrioli.

Coria deponuntur ab his æque ac a cortice Quercûs.

Ad firmandos dentes pulvis, cum melle ac pauco sale, in formam linimenti redactus, gingivis illinitur; & gargarismos adstringentes & repellentes ingreditur.

Usu interno in Gonorrhœa benigna valet.

N. *BALSAMUM COPAIVA.*

Odor mihi videtur esse instar Olei Amygdalarum dulcium, etsi alias describatur gratus, terebinthinaceus, aromaticus: de sapore convenit gratum esse, acrem & amarum.

Prompte menstruis spirituosis obsecundat, modo sint omni phlegmate orbata & spiculis salis lixiviosi probe armata, æqualibus partibus Spiritus & Balsami sumptis. Essentiali oleo æthereo adeo abundat, ut ex libra una Unciæ quinque vel sex humida destillatione elici queant. Hoc, cum dupla portione axungiæ humanæ mixtum, linimentum dat, quod partibus, paralysi tactis, & tono, sensu, motuque destitutis, eximium attulit robur, nec minus partibus, ex dolore podagrico imbecillioribus redditis, egregiam & commodam operam adfert. Dolores Rheumatismi sedat.

Adeo subtile est & spirtuosum, quemadmodum Balsamum Gileadense, ut

non acquirat consistentiam resinosam coquendo in aquâ, ut Terebinthina vulgaris.

Externe calefactum & cum filamentis impositum vulneri, sanguinem sistit, antecellens Balsamum Peruvianum in usu vulnerario, & vulnera, nisi nimis sint gravia, intra 24 horas prompte glutinat vix cum tantillo cicatricis vestigio: id quod frequenti experientia confirmant Belgæ, qui in vulneribus recentibus, nervis etiam vulneratis, usitatissime adhibent, dum in iisdem conglutinandis miracula faciat & ejus vires salutares in circumcisione experiuntur Judæi, sanguinem ex vulnere, antea non paucis exitiali, profluentem coërcentes.

Interne magis purgat, quam Balsamum Judaicum, cum a guttis 40 vel 50 sequebantur plures dejectiones.

In ovo sorbili sumptum dysenteriam & alios alvi fluxus sistit, ut & Leucorrhœam a ℈j ad ʒſs. Antisepticum, diureticum. In omnibus Urinæ vitiis utile: sic ab usu ejus disparuit sedimentum viscosum album, quod urinæ cujusdam senis adesse soluit. Denique in Gonorrhœa virulenta & simplici valet, & in priore, præmissa catharsi, ad finiendam curationem, omnibus terebinthinaceis præferendum, odore violaceo in urina se non prodens; porro plerumque aliquantulum purgat; adeoque detergit ac sanat. Commendatur tandem ad colicos dolores frigidos, in paralysi & arthritide.

C. *BALSAMUM JUDAICUM* Opobalsamum vel Succus Balsami. *Balm of Gilead.*

Balsamum è Mecha, vel potius Arabicum dicendum, ex Arabia enim in Palæstinam translatum, longo tempore ante Salomonis imperium.

Est validi odoris, linguam mediocriter mordens, adstringens: inter aromata numeratur a *Galeno*, ferturque tenuium esse partium & discussoriæ substantiæ, non tamen manifeste calentis, desiccare & excalfacere tantummodo secundo excessu. *Dioscorides* autem ei intensam tribuit vim calefacientem.

Lacti instillatum id coagulat. Solvit algores in accessionibus febrium cum tremore. Vulvæ perfrictionibus medetur cum cerato rosaceo appositum. Illitum fronti in dolore capitis ex frigida intemperie prodest, maxime si crassiores & viscosæ fuerint superfluitates.

Menses, secundas & fœtus extrahit, Urinas ciet, sudores movet. Quæ pupillis tenebras offundunt exterget, sordida ulcera expurgat, cruda concoquit.

Concoctionem juvat, ægre spirantibus convenit, ut & iis, qui aconitum hauserunt, si cum lacte exhibeatur, itemque a vipera demorsis.

NOTÆ. Balsama in genere sunt Olea essentialia acido mista & inde coagulata.

Bal-

Balsamum Judaicum Odoris est aromatici, fragantis, suavis, instar odoris corticis citri, vel lavendulæ & seminum anisi, seu quasi terebinthinam cum alio suaviore odore redolens. Recens dicitur odoris esse adeo acuti, ut nonnullis sanguinem è naribus proliciat, saporis amari, acris, leniter adstringentis. Lac tepefactum coagulat.

Non acquirit consistentiam resinosam coquendo, ut Terebinthina vulgaris, utpote subtilius & magis spirituosum.

Distinguitur ab aliis Balsamis celeri diffusione per aquam & postea pelliculæ forma aquæ supernatante.

Prompte obsecundat menstruis Spirituosis, omni phlegmate orbatis, & spiculis salis lixiviosi armatis, sumendo partes æquales Spiritus & Balsami.

Leniter alvum ciet: celeriter per urinam transit, odore se prodens.

Externe vulnera sanat, suppurat, mediocriter deterget & incarnat in tumoribus, ulceribus & vulneribus recentibus, hæcque dicitur præstantius efficere, quam quælibet Terebinthina. Discutit œdemata, membra debilia roborat, dolores a frigore tollit.

Cadavera a putredine præservat, antisepticum triplici ratione. 1. Quatenus bitumini simile 2. Quatenus acidulum. 3. Quatenus aromaticum.

Usu interno laudatur in omnibus affectibus frigidis capitis, vertigine, paralysi, ventriculi dolore, fluore albo, gonorrhœa virulenta, tussi ex frigido humore prodest.

Recens utile in ulceribus pulmonum, renum ac vesicæ, asthmaticis subvenit, & in stomachi frigiditate, cruditate, atque in omnium flatuum molestiis prodest,

N. *BALSAMUM PERUVIANUM*

Odoris est suavissime fragrantis, fere instar Styracis, saporis acris, calidi, aromatici, aliquantulum amari, majore fervore partes & humores afficere solens, quam Balsamum Copaiva. Violaceum odorem conciliat Urinæ.

Concretum est anomalum, hoc singulare habens, quod non mollescat, sed durescat calore intenso, & nec aquis nec Oleis expressis miscetur. Cum Spiritu Vini calido optime miscetur, verum si refrigeretur, iterum supernatat, sed obsecundat huic menstruo omni phlegmate orbato, & spiculis salis lixiviosi armato, sumptis partibus æqualibus spiritus & balsami

Oleis destillatis non vero expressis unitur, nec pinguedini animali fluidæ, quatenus ab omnibus succis resinosis notis differt. Porro, ubi triturando commixtum fuerit pinguedini solidæ, aut Ceræ, secedit & ad fundum subsidet quamprimum mixtura calore liquefiat.

Dissol-

Dissolvitur quidem in sacchara dissoluto, cui proinde commode admiscetur pro usu interno, vel in ovo leniter cocto solvi in spirituosis & aliis potest.

Partibus oleosis ac resinosis acidulum Sal essentiale, sed longe minori quantitate, quam in Terebinthinis, implicitum hærere videtur.

In plagis & vulneribus recentibus utile est, ea prompte consolidans sine ulla suppuratione, si iis quotidie bis tepidum & nonnihil liquefactum adhibetur, & præsertim in partium nervosarum læsionibus, quæ periculosæ sunt præ aliis, propter symptomatum catervam: antiqua etiam vulnera mundificat, & ad cicatricem perducit, quinimo in ulceribus sordidis mundificandis ac consolidandis, ratione amaroris, optimum est detergendo purulentiam & sordes.

Externe quoque tumores œdematosos discutit, absumit, & partes, atonia vel paralysi correptas, roborat. Lenit dolores, ab humoribus frigidis ortos. In doloribus partium musculosarum catarrhalibus dictis fiat Linimentum é Balsami Peruviani ʒj, vitello ovi unius soluti, cui adde Aquæ baccarum Juniperi ℥iij, & hoc calido fricentur partes affectæ. In nervorum puncturis acrimoniam saniei, unde tot dolores & convulsiones, retundit.

Urinam ciet & expellit alvum

Usu interno datur cum successu in ventriculi debilitate & flatibus intestinorum: nonnulli eo utuntur in dysenteria maximo cum successu; utile in paralysi; & in asthmate ad aliquot guttas sumptum. Menses movet.

N. *BALSAMUM TOLUTANUM.*

Admodum glutinosum est, odor ejus gratior, quam cujusvis aliûs Balsami, grati nempe, aromatici, & limonum fragrantiam quodammodo referentis; saporis quoque grati, aromatici, nec admodum calidi, amaricantis; nec nauseam movet quemadmodum alia Balsama, multo mitius quam Balsamum Peruvianum, acrimoniæ tamen non prorsus expers.

Decoctum ejus aquosum acidum est, & inter coquendum in conficiendo Syrupo balsamico colliguntur flores similes Benzoini floribus.

Solvitur integre in Spiritu Vini rectificato, proinde Tinctura vires Balsami integras possidet, quæ quando aquæ miscetur, lactea quidem fit, sed non præcipitatur in 24 horis, ut solutio Gummi Guaiaci in Spiritu Vini. In Syrupo balsamico maxima pars indissoluta manet

Gratam emulsionem exhibet cum Vitello ovi & saccharo.

Omnia recentia vulnera consolidat, glutinatque labra, nec materiam purulentam in iis excitari sinit, aut ullum cicatricis vestigium curatis vulneribus relinquit, si eorum labra probe juncta fuerint: primum autem emundandum est vul-

vulnus ab omni ſpurcitie, & vino eluendum, deinde ejus labra probe unienda, balſamumque ſubtepidum illinendum, & lineus pannus duplicatus, eodem balſamo intinctus, ſuperimponendus, itaque colligandus, ut labra hiare nequeant: poſtmodum victus ratio ſit tenuis, ſeceturque vena, ſi neceſſe ſit, quarto demum die ſolvatur ligatura (niſi ſymptoma aliquod prius ſolvere cogat) & vulnus conſolidatum invenietur.

Extrinſecus dolores diuturnos a cauſa frigida tollit, emplaſtri modo applicatum, delatumque donec ſponte decidat. Oedemata, Parotides & Scrophulas cœcas curat, ad quos uſus ſolvi poteſt in Spiritu Vini, in fotu adhiberi; & in Ventriculi imbecillitate ac dolore & inflatione cum Oleo nardino inungi.

Interne Catarrhos & Tuſſes veteres curat, pectus expurgat, & Gonorrhœas veteres: in aſthmate & phthiſi valet.

C. *BARDANA. Burdock.*

1. *Bardana major lanuginoſis capitulis Park.* Lappa major montana lanuginoſis capitulis, ſive Arctium *Dioſcoridis* C. B. Et Arctium primum *Galeni.*

2. *Lappa major,* Arcium *Dioſcoridis* C. B. Bardana vulg. major *Park. Great Burdock. Clot burr.* Arctium aliud, Lappa major, Bardana *Galeni.*

Prima, ſive Arctium *Dioſcoridis*, eſt longe tenuiorum partium quam ſecunda, ſc. tenuis, ſiccantis & moderate extergentis facultatis, præcipue radix cum ſemine.

Radix dulcis, decocta cum ſemine, in vino dentium dolores mulcet, ſi quidem ore decoctum contineatur. Bibitur contra coxendicum dolores & ſtranguriam radix in vino.

Ambuſta & perniones non modo decoctum radicis cum ſemine perfuſum, ſed & caules teneriores, ſanare poſſunt.

NOTÆ. Radicis odor graviuſculus vix deſcribendus, ſapor ſubdulcis, acrimoniæ non prorſus expers, præcipue in cortice radicis, cum mucilagine levi, ſubadſtringens, & decoctum ejus, addito tantillo Vitrioli Martis, viride fiebat.

Aliquantulum magis quam Folia rubefacit chartam cæruleam. Succus recens, vel coctus manus decolorat, & color inductus deſtruitur ab acidis, non vero ab alcalinis, nec a ſapone, argumento majoris affinitatis ad Alcali.

Locum habet inter eſculenta, caulibus teneris coctis & comeſtis, ut cinara; &, ſic aſſumpta, dicitur eaſdem vires habere, quas Scorzonera & Tragopogon.

Vis ei tribuitur reſolvens, abſtergens, leniter diuretica, & diaphoretica, lubricans & involvens.

Cum Saccharo confecta sabulum expellit, hinc laudatur in arthritide, fomitem ejus per urinam expellendo: laudatur & in lue venerea, & radici sarsaparillæ substitui potest, qua majorem in humoribus depurandis effectum edere dicitur.

Quatenus diaphoretica convenit ad febres ardentes, malignas, & inflammatorias, & a quibusdam præfertur Scorzoneræ radici in ptisana, præcipue ad pleuritidem & phthisin, in sputo sanguinis & asthmate, ubi vi bechica agit, & in arthriticis morbis peculiari proprietate conferre dicitur. Convenit & in Calculo.

Levat fœminas hystericas, mensium fluxum & evacuationes ex utero expediens, quare sæpe, & cum optato effectu, datur puerperis.

In Lue venerea in ægris texturæ emaciatæ *S. Pauli* dat decoctum sequens, quod longe præfert paratis ex lignis exoticis: ℞. ℥viij coque in Vini albi & Aquæ lbij.

Semen est oleosum, odoris fere ut sevi vel candelæ, saporis subamaricantis, subacris, ingrati, aromatici, mediocriter calidi, emulsum dat pessimi saporis.

Diureticum est omnium consensu, & celebratur inter Lithontriptica, datum ad ʒj. Exhibetur quoque in dolore ischiadico.

Ad vitia pectoris, ubi non adest inflammatio, & ad saburras renum, ubi adest aliquid materiæ calculosæ, infusio fit ex ℥j ad ℥xx Aquæ.

D. *BASILICUM* Ocimum vulgatius C. B. *Basil.*

Planta hæc veteribus incognita: genera plura sunt recentioribus; aliqua caryophyllos, alia citrum redolent. Utriusque meminit *Serapio*. Forte *Aetio* est Ocimum basilicum, sive Ocimum regale.

Notandum, Ocymum ab Ocimo maxime differre, siquidem apud antiquos Ocymum erat pabuli genus, ita dictum, vel quod cito proveniret, vel primum inter cætera pabuli genera e terra erumperet, vel quod jumentis citaret alvum, sic appellatum a Græca voce ὠκὺ, quæ Latinis valet cito.

Ocimi quidem meminit *Dioscorides*, sed nullam addit descriptionem; insuper quæ de suo Ocimo profert vix Basilico nostro conveniunt, quod veteribus incognitum, sed Arabibus saltem *Serapioni*, cognitum fuisse videtur: duplicis enim speciei meminit, unius, quæ caryophyllos, alterius, quæ citrum redolet; & apud *Mesuen* prostat Electarium e Moscho, ocimo citrato, cæterisque, ad frigidos cerebri affectus & melancholiam utile.

Odor hujus fragrans est, suavissimus, saporis acris, mediocriter calidi, aromatici, & nauseantis.

Laudatur tanquam princeps post Melissam ad Melancholiam remedium, fra-

grans

grans & vivificans sine vi calefaciente, & in lipothymia, vertigine, epilepsia, aliisque affectibus capitis, qui a Spasmis proveniant; necnon in asthmate a viscosis humoribus: & Urinam ciere dicitur ac menses in Vino infusum.

D. *BDELLIUM.*

In hujus qualitatibus confusi sunt Authores ob diversas ejus species.

Optimum Bdellium odorem habet Myrrhæ similem, sed minus gratum: suffitum boni est odoris. Saporis est amariusculi & subacris in ore & gutture. Tenax est instar glutinis, solvitur tarde in ore: flammam concipit eamque fovet, sed cum strepitu; est enim Gummi balsamicum, seu Gummi-Resina, cujus dimidiam partem Aqua & Spiritus rectificatus solvunt. Odor vero Tincturæ spirituosæ gratior est & fortior quam aqueæ.

Adhibetur in Emplastris emollientibus, maturantibus & discutientibus. Cum repletum sit particulis sulphureis & salinis, resolvendi, liquandi, alvumque paululum & urinam movendi, potestatem habet.

Ad Tophos & tumores glandularum dissipandos non sine fructu applicatur. Expectorationem promovet, & convenit in tussi, anhelatione & ulcerationibus pulmonum, renum ac vesicæ.

N. *BECCABUNGA.* Anagallis aquatica folio subrotundo minor C. B. *Brooklime.*

Folia & Flores saporis sunt subacris, subadstringentis. Decoctum, addito Vitriolo Martis, viridescit. Succus coloris fusci fit, addito Vitriolo viridi. Servat fluiditatem cum Acidis: cum spiritu sulphuris & oleo Vitrioli rubescit, sed cum Alcalicis spissescit. Chartam cæruleam fatis rubefacit. Ab his experimentis patet vis ejus, acidis congrua, alcalicis contraria.

Succus ejus saponaceus est, aperiens, &, majori copia sumptus, alvum movet commodissime.

Apud veterinarios magni est usus ad discutiendos tumores & sanandam equorum scabiem.

Maculas faciei abstergit, & Balneum inde vaporosum usurpatur ad tollendas maculas cutis scorbuticorum.

Singulare est antiscorbuticum, in ulceribus scorbuticis & erysipelate egregie conveniens. Nasturtio aliisque herbis addita ad earum temperandam acrimoniam inservit: quinimo Succus, cum Vitello Ovi mistus, pro ulceribus scorbuticis repurgandis sæpe fuit efficacissimus; & *Fabricius* magnum ulcus tibiæ in scorbutico curavit Beccabunga, cerevisiæ incocta & apposita.

N. *BELLIS SYLVESTRIS* caule folioso major C. B. *The great Daisy or Ox-eye.*

Folia cum caule saporis dulcis sunt instar Glycyrrhizæ, subacris, imo evidenter acris diutius masticanti, & subamaricantis. Eduntur ab Hibernis ad famem sedandam. Odor dulcis, fragrans ut Erigeri, qualem odorem quoque habet aqua destillata.

Non nisi levissime rubefacit. Chartam cæruleam.

Herba integra, cum Zythogalo decocta, & pota, adversus asthma, phthisin & orthopnœam singulare remedium habetur.

N. *BELLIS SYLV. MINOR.* C. B. *Common wild Daisy.*

Folia, Flores & Caules recentes acrimoniam possident viscoso inhærentem, saporis nempe subsalsi acris in gutture per sesquihoram, etsi longe minus acris quam radicis.

Folia aliis describuntur acida, & subadstringentia (non tamen rubefaciant Chartam cæruleam) & præsertim mense Februario, antequam flores erumpant, habetur decoctum acris saporis piperis modo subtilis & penetrantis. Usurpatur quoque Succus pro Errhino.

Decoctum egregium est Vulneribus applicatum, quæ tuetur ab inflammatione & suppuratione, quippe inter vulnerarias & antiphlogisticas herbas primaria censetur, unde *Consolida pratensis minor* in officinis vocatur.

Oculis inflammatis cum fluxu subvenit.

Porro, contusa folia applicata locis ab ictu contusis & tumentibus tollunt tumores, unde olim *Bruise wort* dicta est.

In Acetariis usurpata herba, tempore verno, utilitatem non contemnendam præstat, reserando viscerum obstructiones.

Herbâ cum floribus mulierculæ ad alvum laxandam utuntur.

Contra pectoris vitia valet, ad spirandi difficultatem & tussim, aptissima habetur in peripneumonia, pleuritide & aliis Inflammationibus, viscosum in sanguine dissolvens.

Radices fortiores sunt, quam folia, saporis quasi acidi, & in gutture acris fere ut acetum, amaricantes, & evidentius adstringentis quam folia, earum tamen infusum non mutatur a Vitriolo viridi, nec Succus ab acidis, aut alcalinis. Acrimonia radicis non perit siccando.

Radix porro dicitur vesicans esse sine calore & exterius usurpari ad scrophulas & strumas optimo cum successu.

Succus dicitur Perlas destruere.

N. BEN-

N. *BENSOINUM.* Asa dulcis. *Benjamin.*

Hujus nec Græcorum nec Arabum quempiam meminisse author est *Garcias.* Improprie Gummi dicitur, cum Resina sit, seu Balsamum inspissatum, omnia aquea ad solvendum respuens, & tantum spirituosa menstrua desiderans.

Optimum odoris est gratissimi fragrantis inter digitos constrictum, vel, ut alii, qualis Balsami Tolutani, sed fortior, & quando uritur Xyloaloen odore referre dicitur, saporis resinosi, pinguis, subacris.

Constat parte resinosa, oleosa & salina; est enim inflammabile, & in Spiritu Vini rectificatissimo solubile, quæ solutio saporis subacris est, subdulcis, balsamici, & aquæ calidæ etiam suas vires odoratas largitur cum acrimonia levi, tum in decocto suo inspissato flores suos in fundo exhibet splendentes ad $\frac{1}{12}$ vel $\frac{1}{4}$ ponderis sui, qui Flores saporis sunt penetrantis, aciduli, semper aliquantum inflammabiles, adeoque oleosi, & forte Sali succini præferendi. Confer Analysin *Balsami Tolutani.*

Primarius ejus usus est in Suffitibus ad attenuandum, resolvendum & roborandum: hinc fumi ejus accensi, panno laneo recepti, Hydrocelen infantum, in membrana cellulari hærentem, intra paucos dies tollunt.

Datur quoque a ℈j ad ʒß atque in tussi senili & catarrhis quibusdam prodesse potest.

Tincturæ ejus in Spiritu Vini rectificatissimo affunde Aquam Rosarum. Inde liquor emergit lacteus, egregium spirans odorem, estque elegans & efficax cosmeticum contra maculas faciei: quin & manus purificat, maculas detergit, cutemque nitidam & glabram reddit, si manus mane & vesperi eadem laventur, & per se exsiccentur, mane vero aqua communi abluantur. Vid. *Berberis.*

BERBERIS dumetorum C. B. *Barberry bush.*

Arabibus nota, sed non Veteribus, nam quam Officinæ cum *Averroë* vocant *Berberim*, illam *Serapio* & *Avicenna* appellant *Amberberberim*, aut *Anirbarim*; sed an sit *Oxyacantha* vel *Oxyacanthus Dioscoridis* aut *Galeni* non liquet: interim de *Amirbaris* suo hæc habet *Avicenna*, quæ præcipue de *fructu* ejus prædicanda videntur, „ Frigidus est & siccus in fine tertii. Vincit Choleram valde. „ Confert Apostematibus calidis, sicut Emplastrum superpositum. Constringit; „ confortat Stomachum & hepar, abscinditque sitim valde.

„ Et hæc *Averroë*. „ Berberis fructus stypticæ virtutis est, incidit, subtiliat, „ & stringit omnem fluxum.

NOTÆ. *Fructûs* Succus gustus est acidi & subausteri, grati, longe magis

 acidi

acidi & austeri, quam Succus Mali Punicæ. Rubefacit chartam cæruleam colore æque vivido, ac Alumen.

Decoctum ejus coagulavit Albumen Ovi.

Sal essentiale præbet simile Tartaro, & valde refrigerans: hinc Extractum ejus, quod valde acidum est, & austerum, masticanti sentitur quasi sabulum, vel quasi saccharum candidum inter dentes.

Usurpatur Succus in gargarismis adversus anginam, & gingivas male affectas in Scorbuto.

Ibis dedit Extracti ℨiv ℈ij.

Iis, qui in calidis morbis vomitionibus continuis infestantur, bilemque evomunt, convenit, & in alvi fluxibus, privatim biliosis, in febre pestilentiali putredini resistens, & in hæmorrhagiis utilis.

Vir quidam, pinguedine fere obrutus, macilentus fiebat bibendo succum in aqua.

Cortex medianus cum lixivio flavo colore tingit, & Vinum, cui infusum fuit per tres horas, dicitur purgare, quin & in Ictero valere.

C. 1. *BETA ALBA*, quæ Cicla offic. C. B. *White Beet.*

2. *RUBRA* vulg. C. B. *Red Beet.*

3. *BETA NIGRA* Offic. *Dodon.* & *Dale.*

Olus modice calidum habetur, quod inter moderatissime nutrientia & alvum modice dejicientia post febrem datur, atque in cubiti fractura cum malva, & cucurbita: quin & inter attenuantia alimenta locum habet, & iis in victu præscribitur, qui semel tantum die cibum assumunt, quibus os salsum efficitur & amaricat. Dolores dentium sedat succus illitus. Albæ succus epiphoras sedat, fronti illita.

Nitrosæ tamen facultatis particeps est, qua tum digerit, tum extergit, precipue alba, quæ validior, nam nigra adjunctum habet adstrictionis quippiam, & magis in radice quam in aliis partibus; & quidem Beta ut Brassica, duas contrarias facultates obtinet, namque succus expressus vel decoctum purgat, sed, quod reliquum est adstringit, hinc, validius cocta, fluxiones stomachi sistit & ventris.

Decoctum radicum ac foliorum furfures lendesque detergit: Succo folaris maculæ tolluntur & porriginosum caput, frequenter in balneo lotum, ab omni tabe purgatur.

Succus capitis dolores veteres & vertigines, item sonitum aurium, iis infusus, sedat. Cum melle, naribus inditus, purgat caput, & aurium doloribus opitulatur.

latur. Crudis foliis vitiligines illini oportet, nitro antea perfrictas, item alopecias prius derasas.

Alvum laxat, stomachum interdum mordicat, præsertim quibus natura exquisitiore sensu est prædita. Obstructum hepar magis, quam Malva, aperit, & multo magis, si cum sinapi, aut omnino saltem cum aceto mandatur. Lienosis item eodem modo utile est medicamentum. Urinam ciet. Medetur dysentericis injecta & morbo regio.

Celsus potui dat ictericis Betam albam contritam.

Succus, decoctumque ad vertigines & palpitationes intestinorum injecta valent, stercus enim dissolvunt, ac continuis morsicationibus occurrunt.

Cocta nitrositatem omnem ac acrimoniam exuit, fitque facultatis phlegmonis adversæ, leviter digerentis; illinitur depascentibus ulceribus & papularum eruptionibus, ambustis & erysipelatis medetur.

Radix plus habet virium quam folia, nam radix tumores multos inflammatos discutit, quod folia nequeunt, cocta namque radix vim habet sucendi inflammationes, leniterque discutiendi.

NOTÆ. *Betæ albæ & rubræ* Succus, recens expressus, primatum fere ducit inter Errhina, & satis est acris, pituitam e sinu frontali ducens, hinc Beta non adeo fatua est, ac putavit *Martialis*.

Folia ingrediuntur Clysteres emollientes & abstergentes.

Utraque porro viscosa est, Perniones fotu mitigat, humores cholericos attemperat, difficilis concoctionis, flatus excitans succo suo spisso. Externe emollit.

In superficie habet substantiam quandam nitrosam, quæ, per coctionem deposita, digerit quidem etiamnum, sed non tam fortiter quam antea, ut in Brassica.

Nitrositas in utraque alvum solvere nata est; hæc in candida major, & in prima aqua evidentior, unde magis abstergit candida.

Folia ordinarie Ulceribus herpeticis & Ulcerationibus, præcipue à Vesicantibus relictis, imponuntur.

Albæ Foliorum, præsertim recentium, Sapor subdulcis est, subacris, acrimoniæ sensu in faucibus hærente per sesquihoram vel ultra. Succus mucilaginosus, subamarus, subadstringens.

Albæ Radix, præsertim recens, dulcis est cum sensu acrimoniæ, satis diu hærente in gutture. Hanc quidam usurpant ad furfures lentiginesque delendas.

Rubræ Folia, ut nos Brassicæ, capiti admovebat *Hollerius*, ad renovandum fluxum humorum.

Radix

Radix Odoris est graviosculi, nonnunquam instar Pastinacæ, saporis subdulcis, aliquando evidenter dulcis, & acris in gutture per aliquot horas.

In condimentis Aceti vim frangere notatur.

Succus ejus, Auri instillatus, commendatur in surditate, ut sordes induratas solvens.

Saccharum bonum paratur è succo recentis, methodo eadem, qua paratur Saccharum ex Arundine saccharifera.

Beta infusione inficit Spiritum Vini rectificatum æque ac Aquam colore saturate rubro, & Tincturæ, loco frigido per septimanas aliquot repositæ, concretiones exhibent dulcedinis saccharinæ, Beta alba fere $\frac{1}{6}$ partem ponderis [illegible] saccharum dat, rubra [illegible].

C. BETONICA purpurea C. B. Vettonica *Plinii*. *Wood Betony*.

Magnis equidem laudibus effertur hæc planta apud veteres, forte aliquando ultra fidem; attamen vires, huic tributæ, haud prorsus alienæ ab iis, quas qualitates ejus sensibiles polliceri videntur.

Est boni odoris, minimum calida, amariuscula, & subacris, proinde vim majorem habet incisoriam, quam quæ magis calida, & ad callosas seu tophaceas consistentias incidendas magis idonea. An hoc nomine datur hepaticis & splenecticis drachmæ pondere in aceto mulso; ischiadicis, nephriticis, a vesica dolentibus ex aqua propinatur: in renibus calculos rumpere dicitur, & ad hunc scopum in vino immiscetur senibus. In lateris & pectoris doloribus farina (i. e. herbæ aridæ tenuis pulvisculus) bibitur ex aqua calida. Empyicis & phthisicis auxilio est cum melle.

DyspnϾ medetur Vettonicæ tusæ libra ad Mellis Attici semunciam ex aqua calida quotidie bibentibus, adeoque pulmonem, pectus, jecur & renes expurgat abstergitque.

An quoque vim obtinet adstringentem? teste enim *Dioscoride* datur sanguinem exscreantibus obolis tribus in vini diluti egelidi cyatho uno, & juxta *Plinium* datur obolis tribus in aqua contra purulentas & cruentas exscreationes, ac farina, è lacte caprino pota, sistit ex ubere fluentem sanguinem: succus vomentibus sanguinem & dysentericis in vino, ferro calefacto, datur. Exhibetur quoque Vettonica cœliacis in vino austero, & apud *Nic. Myrepsum* ingreditur Antidotum contra dysenteriam & affectionem cœliacam.

Concoctionem adjuvat, si quis fabæ magnitudine ipsam à cœna cum melle cocto devoraverit, & crapulam discutit. Simili modo & acidum eructantibus exhibetur. Cibum in stomacho non continentibus eam manducare, succum devorare, deindeque vinum dilutum sorbere, proderit. Cruditates, quæ nauseam faciunt, digerit. Pota calorem corporis plumbeum emendat, gratioremque reddit.

Ad

Ad vulvæ vitia & ſtrangulationes drachmæ pondere ex aqua mulſa potui datur. In vino exhibita eadem quantitas menſes pellit. Partus accelerat ex aqua mulſa. Urinas ciet.

Drachmis quatuor bibita in aquæ mulſæ cyathis decem alvum purgat, authore *Antonio Muſa*.

Ad convulſa & rupta ex aqua mulſa datur.

Medetur comitialibus atque inſanis ex aqua pota.

Adverſus venena drachmæ pondere ex vino prodeſt, & ad omnes beſtiarum morſus pota & illita.

Datur hydropicis binis drachmis ex aqua mulſa, ſi quidem febricitent, ſin minus, ex mulſo. Regio quoque morbo laborantes recreat.

Carbunculos ſanat farina ex aqua. Valet ad carcinomata & melanas (nigritudinem corporis & nigras maculas) veteres cum ſale.

NOTÆ. De Foliis & Floribus agimus, Radicum enim vires longe diſpares ſunt, utpote ανω & κατω purgantes.

Odoris ſunt leniter aromatici, ſaporis aromatici, ſubacris, amariuſculi, cum adſtringente parum virtute juxta placita Veterum, ſupra enarrata, experimentis modernis confirmata. Decoctum enim ejus a fuſco colore acquiſivit magis fuſcum, addito Vitriolo viridi, & Infuſum ejus inde viridescebat.

Tincturæ ſpirituoſæ Odor eſt balſamicus ſpecificus herbæ, ſapor ſubacris & leniter balſamicus: Infuſi aquoſi Sapor balſamico-amaricans, Odor lenis, nec ingratus.

Folia non rubefaciunt chartam cæruleam: Flores vero parum, per infuſum nihil, hoc autem ſolutionem Heliotropii tantillum.

Plantæ huic recenti vim aliqualem anodynam, & quaſi inebriativam, tribuunt *Simon Pauli & Bartholinus*, qui recenſet, quod dum operarii hortulani hero ſuo evellere voluiſſent Betonicam pro uſu medico, omnes velut ebrii & temulenti titubarint.

Folia in turundas convoluta, naribus immiſſa, ibidemque per horam detenta, errhinum & apophlegmatiſmum dant optimum, copia incredibili humorum effluente cum inſigni levamine in Epiphora, ſeu ophthalmia feroſa.

Extus ad Vulnera & laxitatem toni corrigendam, dentes firmandos & catarrhos capitis laudatur, ut &, ob ejus vim ſopientem, ſuccus ad vulnera doloroſa applicatur, quem hortulani felici eventu omnibus Vulneribus inſtillant.

Uſu interno ad omnes morbos cephalicos datur, quippe quod exinde calor non adeo timendus ſit quam a Lavendulâ. Sic, qui laborant cerebri vitio a colluvie feroſa, optime juvantur, ſi infuſum ejus quotidie bibatur inſtar Theæ,

Si cum Saccharo in formam Conservæ redigatur, roborat ventriculum & viscera.

N. *BISTORTA* radice minus intorta. C. B. *Bistort or Snake weed.*

Quænam sit planta apud Antiquos non liquet, qui proinde non consulendi de Viribus.

Caulis recens acidus est, & folia minus adstringentia; Radix vero, de qua præcipue agitur, odoris nullius est, saporis valde adstringentis, & manifesti, imo & aliquando subdulcis.

Materia adstringens solvitur integre in Aqua & Spiritu Vini rectificato.

Succus valde austerus est, & subamarus: fluiditatem retinet cum Acidis, coagulatur vero & albescit cum Alcalinis: porro Albumen Ovi, Lac & serum sanguinis coagulat.

Decoctum & Infusum in aqua statim nigrum fit, addito Vitriolo viridi.

Valet in fluxu cruento, mensibus lochiisve nimis fluentibus, dysenteria, sputo & vomitu sanguinis, gonorrhœa, alvi fluxu & Urinæ incontinentia.

Porro in peste, febribus malignis, & dysenteriis epidemicis admiscetur alexipharmacis, aliisque medicamentis, sed quare? quia, respondente *Simone Pauli*, frigefaciendo & siccando orgasmum sanguinis lethalem imminentem corruptionem cohibeat.

Decoctum forma collutorii ad laxas & ulcerosas gingivas dentesque vacillantes firmandos valet.

Abortum præcavere dicitur pulveris ℥ss cum pari portione succini, ex ovo sorbili diebus aliquot continuis, assumptæ.

Siccando in phagedænicis præstat, & in polypo narium non minus quam Sabina & alia, sive injiciatur ejus decoctum sive inspergatur pulvis.

C. *BITUMEN.* Asphaltum.

Judaicum cæteris præfertur

Odoris est gravis. Bitumen omne, auctore *Dioscoride*, vim habet inflammationes arcendi: corpori tamen nostro admotum, teste *Galeno*, manifeste calefacit & siccat, sed cum calore non admodum vehementi, quippe Oleum minus humectat, & minus refrigerat, quam Aqua. Vim quoque habet glutinandi, discutiendi atque molliendi. Vis ejus quæ Sulphuris.

Hæ vires generales patebunt ex enumeratione effectuum. Ad scabiem enim jumentorum utuntur Asphalto incolæ Agragantini agri in Sicilia, ubi gignitur, fonti supernatans. Testatur *Galenus*, se sæpe eos, qui ex frigore dolore interno torquebantur, ubi frigus maximum, liberasse ruta, bitumine, oleoque ingesto. Dentium dolores circumlitum vel suffitum mitigat. Illinitur podagris.

San-

Sanguinem sistit, vulnera colligat, nervos praecisos glutinat: usurpatus ad glutinationes vulnerum cruentorum & ad alia omnia, quae exsiccari debent cum modica calfactione. In tenesmi dolore ipsius utimur suffitu, similiter & ad dysentericorum intestina ulcerata, quibus cum ptissana liquatum infunditur.

Porro & dysentericis cum vino potum prodest, alvumque sistit. Cœliacis catapotii instar deglutiendum exhibetur, & optimum fit emplasticum medicamentum ex bitumine & aceto in sanguine de pectore erumpente.

Quod siccum est, specillo impositum calfactumque, pilos incommodos replicat.

Tussi veteri, anhelationi, spirandique difficultati auxilio est.

Nucis Ponticae aut fabae magnitudine cum vino tritum cardiacis, qui animo linquuntur, magnopere è vestigio prodest. Cum vino & castoreo potum menses elicit. Appositum vel suffitum ad vulvae strangulationes & procidentias efficax, & ad partum accelerandum, carbonibus injectum: *Hippocrates* praecipit ad obolos tres in uteri strangulatione sumendum.

Serpentum morsibus medetur, & auctore *Aëtio*, experimento constat vis ejus (sc. optimi, qui in mari mortuo provenit) poti ex aqua, in iis qui a rabioso cane morsi sunt: eos enim ab aquae metu praecavet & jam hydrophobos conservat.

NOTAE. Odor fere ut Olei succini, vel ut Picis, fortis & ingratus, praecipue inter urendum: sapor amarus: in Spiritu Vini rectificatissimo solubile est.

Constat ex oleo minerali, spiritu acido & multa terra.

Si flammis exuratur vivis, fuligines dat fumosque atros acidos, in fundo autem relinquit post integram fumorum consumptionem, aliquid terrae.

Procidentias sedis suffitu reprimit, putredinem arcet (*b*).

C. *BOLUS* Armena. *Bole Armoniac*. Bolus lutea purissima ponderosa, quae Bolus Armena vera *Galeni*. Bolus Armena lutea Authorum. *Hill. History of Fossils*.

Galeni tempore primum in lucem venire coepit pallida: tandem haec perdita est, & ejus loco altera, non vera, sed Rubrica Lemnia substituebatur, nec *Avicenna* aliam quam hanc falsam cognovit. Vera nunc venditur apud Seplasiarios nomine *Boli Blesensis*, *the Bole of Blois*.

(*b*) Oleum-calidè paratum in ulceribus pulmonum a Celeberrimo *Hoftens de Courcelles* laudatur, & experientia probatur. In alt. *Harlem*.

Ad dysenterias & alvi profluvia, tum sanguinis expuitiones, catarrhos, & ad putrescentia oris ulcera inprimis competit. Quin & eos magnifice juvat, qui catarrhis pectoralibus laborant, quamobrem illis, quibus ex tali occasione difficilis est anhelitus, valde prodest; sed & eos, qui phthoë vexantur, adjuvat, ulcus enim eorum desiccat, ut haud etiam tussiant, nisi in victu peccetur non leviter, aut ambiens derepente ad intemperiem vergat.

In magna peste, cujus eadem facies fuit ac ejus, quæ *Thucydidis* memoria grassabatur, quotquot hoc medicamen bibêre, celeriter curati sunt; at quibus non profuit, omnes interierunt, cum nec alio quovis juvarentur, unde colligitur, quod iis duntaxat non fuerit auxilio, qui plane erant incurabiles. Cæterum bibitur ex vino albo, consistentiæ tenui modice diluto, si aut plane febri aut leviter ea teneatur æger, sin gravius febricitet, admodum aqueo.

NOTÆ. Bolus Blesensis Orientalibus bolis propius accedit, quam ulla terra Europæa. Vulgaris non ebullit cum Acidis, verum Bolus Blesensis vehementer effervescit cum acidis, unctuosa est, & saporis valde adstringentis, linguæ firmiter adhæret, & dicitur analysi exiguam quantitatem salis vitriolici præbere.

N BORAX.

A Chrysocolla Veterum prorsus diversa. Vide *Indicem Novorum.*

Saporis est frigidi, (& aquam frigefacit; ut Nitrum) amaricantis in initio, dein subdulcis, salini & aliquantum urinosi. Solutio ejus clara persistit, addito alcalino. Syrupi Violarum tincturam purpuream ad viridem mutat. Sali Ammoniaco affrictus odorem emittit urinosum. Hactenus notas Salis Alcalini exhibet, verum Acidi non prorsus expertem esse detexerunt Observationes recentiores; privatim *D. Pott* Acidum vitriolicum ei inesse probat experimentis plurimis, inter quæ est Mercurii in Aqua forti in pulverem flavum præcipitatio; & jam inter recentes convenit, Boracem constare ex Sale subacido, sedativo dicto, basi salis marini, h. e. Alcali fossili.

Sanguinis rubedinem exaltat.

Externe adhibetur ad absumendas carnes spongiosas ulcerum sordidorum. Laudatur etiam ad scabiem, ad fucos muliebres; & ad Aphthas in infantibus absumendas præfertur Alumini.

Interno usu præscribitur, apud quosdam dosi prælarga, quum vix ultra ℈j dari debet, quippe, præter dicta de operatione ejus catheretica, experientia compertum est, a dosi largiori vomitum & alia symptomata molesta fuisse excitata.

Aliter usurpatur ad excretiones promovendas, v. g. Mensium & urinæ Se-

fluxum, & ad partum accelerandum; inprimis quando in hæmorrhagia nimia uteri pellendus abortus est.

C. *BORRAGO*. Buglossum Veterum. Buglossum latifolium. Borrago C. B. *Borrage*.

Quæ apud nos Borrago dicitur, apud *Dioscoridem* & *Galenum* Buglossum esse videtur.

Juxta *Galenum* est humidæ calidæque temperiei, itaque vinis injectum Buglossum lætitiæ hilaritatisque causa creditum est. sed & iis, qui ob supremi gutturis asperitatem tussiunt, in melicrato convenit. Quidam decoctum ejus contra abscessus ferunt in vino utiliter bibi.

NOTÆ. Folia, Caulis, Flores & præcipue Radix mucilaginosa sunt, saporis subdulcis, salsedine quadam aliquando sensibili.

Aliæ infusa saporem quendam non ingratum exhibet. Costa editur, ut Brassica, & in jusculis sumpta dat gratiam.

Aliquando inditur Cerevisiæ, ut præservetur a prematura acescentia: huic satis quadrat Experimentum sequens: „ Succus colorem & fluiditatem servat „ cum alcalinis, sed cum Spiritu Vitrioli & Oleo sulphuris per campanam „ grumescit & præcipitatum exhibet ".

Folia nullatenus rubefaciunt chartam cæruleam, flores minus, radix plus.

Ventrem laxat.

Succus, authore *Boerhaavio*, est sapo subolcosus, nitrosus, pulcherrime resolvens sanguinem, a nimio calore densatum; nec huic adversatur Analysis, a *D. Bouldue* instituta, unde detectæ sunt in decocto, ad pelliculam evaporato, crystalli partim longæ nitrosæ, partim cubicæ Salis marini. Hinc vis alvum solvendi facile deducitur. Exsiccationem non fert.

Temperat acrimoniam sanguinis & humorum, hinc in catarrhis, morbis faucium & pulmonum, privatum in angina, pleuritide, & peripneumonia laudatur, expectorationem promovens; necnon in ardore urinæ utilis.

C. *BOTRYS*. ambrosiodes C. B. Ambrosia. *Oak of Jerusalem*.

Galenus hujus herbæ non meminit in simplicium medicamentorum censu. Convenit descriptioni *Dioscoridis* & *Plinii*.

Suavem odorem spirat, quare vestimentis interponitur. Pota ex vino orthopnœas mulcendi vim habet.

NOTÆ. Ambrosia dicta ab ejus Odore grato, reficiente, aromatico, balsami-

fatulo, naris graveolentis quodammodo ferienti, sed tamen fuavitatem retinente.

Seminum Odor, ut Balsami Tolutani; sapor subacris, amariusculus. Substantia ejus viscosa est, unde comprehensa, resinæ modo, manibus adhæret.

Oleo communi incocta, & umbilico inuncta, flatus discutit.

Laudatur Spiritui Vini infusa, ut cardiacum, & in affectionibus hypochondriacis: vim etiam habet stomachicam & uterinam, lochia mensesque promovens. Aquæ destillatæ tribuuntur vires eædem; maxime vero laudatur herba, cum melle in formam Electuarii subacta, ad Expectorationem promovendam, & purulenta excreantibus mirifice auxilians, in asthmate & tussi humida conveniens.

C. *BRANCA* ursina. Acanthus sativus vel mollis *Virgilii*. C. B. *Brank ursine.*

Folia pinguia, tenuium partium, & vi mediocriter digerente & discutiente prædita.

Radices glutinosæ: dicuntur tenuium esse partium, & vim possidere siccantem, leviter incidentem. Luxatis & ambustis, emplastri modo impositæ, medentur. Podagris quoque illiniuntur tritæ & calefactæ calidis. Phthisin metuentibus incoctæ cibo, maxime ptisanæ forma, prosunt.

Potæ Urinam cient, alvum sistunt, ruptis convulsisque præterea utiles.

Sylvestris Radix ad eadem, quæ sativa, efficax.

NOTÆ. Foliorum & Caulium Odor gravis est, sapor fere fatuus, nisi forte subacris & aliquantum nauseosus: Succus glutinosus, mucilaginosus, demulcens, in clysteribus & cataplasmatibus emollientibus adhibetur. Quibus quoque vis discutiendi tribuitur.

Folia in tenera ætate, & radix in cibo, usurpari possunt cum reliquis oleribus. Curlandi jusculum parant ex foliis, quod post morbos chronicos & febres intermittentes appetitu languente cum utilitate adsumitur.

Radix quoque mucilaginosa est, & in potu dicitur urinam ducere, alvumque sistere. In hæmoptoë datur: tabidis & ex alto delapsis, vel ictu aliquo aut conatu supra vires læsis, similis radici symphyti: quidam succum apponunt ambustis.

C. *BRASSICA.* Crambe. Caulis. Raphanus *Theophrasti* & *Plinii*. *Cole* & *Cabbage.*

In centuria sexta primum in Angliam invecta.

Dioscorides enumerat sativam, sylvestrem & marinam, sed apud *Bauhinum* triginta species prostant.

1. ***BRASSICA*** non capitata. Brassica alba vel viridis C. B. Brassica laevis *Theophrasti* & *Plinii*, cui & caulodis C. B. *Common Garden Colewort.*

2. ***BRASSICA*** capitata alba C. B. Haec candida est, quae Lacuturris *Plinii*, est & viridis, quae Triciana C. B.

Herba est apud veteres decantatissima, quamplurimis usibus inserviens in cibo & medicina.

Succus Brassicae graveolens est: ejusque halitus aërem vicinum infestat. Aqua incocta foetet, humi effusa. Domestica acrimoniae nonnihil & subamaritudinis adjunctum habet, sed utramque possidet agrestis validam. Cuicunque generi pruinae plurimum suavitatis conciliant. Major est per aestatem Brassicae acrimonia, stomachoque nocet; *sylvestris* amara est, & quae in Ægypto nascitur ob amaritudinem non estur. Cyma stomacho melior, sed majorem acrimoniam habet, estque ad ciendam urinam validior.

Apud *Celsum* inter acria collocatur, & apud *Galenum* inter Olera attenuantia.

Succus purgat per se, naribus infusus, &, cum lolii farina appositus, menses trahit. *Hippocrates* hunc praecepit in mensibus occultatis, & in uteris, ut vocat, ad caput conversis; Brassicamque edendam vult ad uterum purgandum a partu, & in cibo dandam in lacte extincto.

Succum habet nitrosum, quo Alvus subducitur, ejusque decoctum ventrem provocat, & hinc subinde turbat dum concoquitur. Leviter fervefacta bonam facit Alvum: semel, non diu cocta, & cum oleo, sale, aut garo accepta, ventrem subducit.

Compositas equidem vires habet Brassica Succus enim & decoctum, quin & ipsa Brassica, non diu cocta, vel leviter fervefacta, ventrem subducit; sed percocta alvum sistit, multo vero magis biscocta; hinc in torminibus, si decocta recoquatur, addito oleo, sale, cumino, polenta, sumta sine pane, prodest.

Desiccandi vim habet tum esa, tum foris imposita, non tamen etiam admodum acrem. Alioqui ulcera glutinat, eademque maligna sanat, praeterea phlegmones, jam induratas ac aegre solubiles, & id genus quoque erysipelata. Eadem facultate epinyctidas & herpetes sanat. habet quiddam etiam in se abstersorium, quo lepras curat.

Aquoso ejus decocto nervi articulique mire juvantur. Vulnera recentia vetera, tali decocto fota, etiam carcinomata, quae nullis aliis medicamentis sanari possunt, foveantur prius aqua calida, ac, bis die trita, imponatur. Decoctum ad colluendos uteros ulceratos praecipit *Hippocrates*, sic etiam fistulas & luxata curari, humoresque evocari, quaeque discutienda sunt, discuti

Prae-

Praeterea urina ejus, qui brassicam esitaverit, asservata, & calefacta, nervis amica est, puerosque pusillos, hac urinâ lotos, nunquam debiles fieri fertur.

Sugillata & alios livores pura illita levat, & inflationibus stomachi prodest. Contusa, & cataplasmatis modo luxatis imposita, illas extenuat. Crudi folia, cum melle trita, ac imposita, omnes induratas inflammationes dissolvunt. Auribus, ex vino succus tepidus instillatus, Surditati prodest.

Antecedente in cibo brassica praecaveri ebrietatem, postea sumptâ crapulam discuti. In dolore capitis ex vino fervefactam edere oportet.

Cocta in cibo commoda est stomachicis. Cardiacis datur & comitialibus edenda, succusque bibendus: item splenicis in vino albo per dies quadraginta. Repentinas caligines levat, si manditur ex aceto. Insomnia vigiliasque tollere decoctam, si jejuni edant quam plurimum ex oleo & aceto. & se ipso inquit *Plinius*, e podagra liberatos edendo eam, decoctique jus bibendo.

Authore *Galeno*, elixa, ante alios cibos sumpta, phthisicos juvat, vitiisque arteriae subvenit: teste *Dioscoride*, commanducata, sic ut per fauces delabatur, succus, amissam restituit vocem. Confer vires *Betae*.

NOTÆ. *Omnium Brassicarum* Foliis adest acrimonia latens, quae in caule evidentior, & in radicum filamentis vix minor, quam *Raphani rusticani*. Majo & Septembri maxime acria, aliquando instar *Nasturtii*.

Extractum ejus [illegible] est & valde dulce.

Succus coagulatur ab Acidis & ab Alcalinis affusis.

Post ejus usum copiosum fit Urinae fluxus, ejusque foetidae; & Leporibus, domi pastis, carnem praebet maxime ingratam, quin & extra corpus facile putrescit, hoc tamen non obstante patuit ex Observationibus nuperis, hujus usum, ut & Allii, Sinapios & Raphani rusticani non accelerare, sed retardare & corrigere putrefactionem in corpore (t), quin & scorbuti species maxime putridas hic, aeque ac ab Acidis, curari. Testatur *Otto Heurnius*, Lugdunensis olim Batavorum Professor, quendam, scorbuto tam misere laborantem, ut maculis toto corpore diffusis, membrisque rigentibus, vix incedere posset, sanatum fuisse, potum quotidianum sumendo Brassicae rubrae man. iv, zingiberis ℥ss & Cinamomi ℥ j, in Vini rubri lbij maceratorum.

Proinde haec virtus Antiscorbutica pendere videtur a principio acidis & alcalescentibus communi, de quo vide *M'bride, Experimental Essays*.

Verrucas curare dicitur succus.

De-

(t) *Lind of the Scurvy*.

Decoctum & Succus Calculi fragmenta, iis immersa, partim mollia fecit, partim solvebat.

A rusticis adhibetur Brassica pro Vulneribus & Ulceribus mundificandis & consolidandis, dum vel instilient succum, aut folia contusa applicent.

Porro, Folium vel Caulis recens expertum est ad Vesicas in fluxu conservandas remedium: maximam phlegmatis copiam extrahunt, æstum & dolorem mitigant, vesicasque diu apertas servant; sed notandum, impositionem Brassicæ singulis horis vel bihoris repetendam esse.

Folia cocta ad suppurationem promovendam prosunt maxime.

In aqua recenti bis cocta prodest hæmoptoïcis, dysentericis & similibus.

Brassica mediocriter nutrit, succos crassos & flatus gignit, ac difficulter concoquitur. Lac comesta auget.

Lohoch de c[illegible] ad raucedinem corrigendam, & contenta pectore expectoranda, valet; & Jus (ut Rapæ) tussim egregie sedat.

Cum jusculo gallinaceo vetere decocta colicam & ventris tormina sedat, quâ ratione & calculo renum commodat.

Succus egregius est ad mitigandos sales acres & deliniendam acrimoniam, detergens intestina & purgans renes. Omnes species conveniunt in morbis pectoris. si tota planta clibano pistoris committatur, in gelatinam resoluta, insignis est efficaciæ, ad tussim in siccitate, in senum exasperatis faucibus, conducitque sputo purulento obnoxiis.

Observatione digna est historia *Ottonis Tachenii*, qui, postquam noctes diesque impenderat operationibus chemicis, totus phthisicus evasit, pulmone penitus tabefacto, & *Arcanis* suis chemicis neutiquam restitui potuit: tandem Brassicam comedebat, ejusque succum cum succo Aurantiorum pro potu ingerebat, &, huic pertinaciter diuque insistens, penitus sanatus fuit.

1. *Brassica alba* maxime putrescibilis est.

Aquæ ejus destillatæ odor est fere instar Moschi. Minus habet salsedinis quam rubra; est quoque dulcior &, redolet aliquid instar Rapi. Residuum a destillatione est valde dulce.

Extracti plus præbet quam rubra, scil. ℥iij dedere Extracti ʒj ℈ij gr. iij: quum ℥iij rubræ dedere tantum ʒj gr. xij.

Porro, Extractum albæ dulcius est quam rubræ, minus effervescit cum alcalinis, minusque salis fixi præbet.

2. *Brassica rubra.* Odor Aquæ destillatæ fere ut albæ.

Rubra longe minus dulcis est, quam alba, sed magis acris, ejusque odor fere instar Rapi. Extractum minus fœtidum est quam albæ, cineres ejus acriores sunt & magis ebulliunt cum acidis, quam cineres albæ. Proinde rubra

magis medicamentosa est quam alba, quod ulterius patebit hinc: 1. Si ad finem autumni caules longitudinaliter incidantur, & loco frigidusculo reponantur, succum laxans instar mellis vel mannæ exsudabit. 2. Tinctura rubræ, Spiritu Vini extracta, a calore saturata, reposita in frigore, deponit saccharum.

Porro, rubra albæ longe præferenda quoniam 1. Extus applicata non adeo fœtet. 2. In Stomacho flatulento convenire expertum est, ubi alba nocuit.

Rubra quoque in tabe & hæmoptoë prodest, & ejus decoctum sacchari pauxillo temperatum, est potus egregius, ad promovendum materiæ pulverulentæ per urinas effluxum. Superioris Cymæ decoctæ Succus bilem pituitamque ejiciet copiose, & minori periculo quam Helleborus vel Scammoneum.

C. *BRYONIA aspera, sive alba baccis rubris* C. B. *White Briony.*

Genera duo *Dioscoridi*, Vitis Alba, quæ aliquibus Bryonia, & Nigra, aliis Bryonia nigra.

Radix Bryoniæ albæ amarorem sine adstrictione refert & acrimoniam, non tamen immodicam. Sine molestia meatus aurium expurgat, & atterit lapides in renibus, utpote tenuium partium sine mordacitate.

Corpus abstergit & cutem erugat, vitia cutis in facie, varosque, lentigines & cicatrices nigras emendat cum ervo, creta Chia & fœnugræco. Eodem effectu prodest in oleo decocta usque dum liquescat. Sugillata tollit, & digitorum pterygia coërcet. Inflammationes discutit illita ex vino. Suppurationes rumpit. Septicis medicamentis apte immiscetur: infracta ossa extrahit trita & imposita.

Propter acrem vim chironiis, & in gangrænam, phagedænamque transeuntibus, & putrescentibus tibiarum Ulceribus, cum sale utiliter emplastri modo imponitur. Porro, & propter acrem & calfactoriam vim, Oleum, cui incocta est, ad acopa & malagmata facit.

In aqua cucumeris agrestis decocta, sæpius per se sola, nonnunquam catulis pinguibus adjectis, facit pro solutione tumoris, ne aliquid duri remaneat. Lienes induratos liquat, tum ternis obolis epota ex aceto triginta diebus, tum foris cum ficubus imposita, & psoram & lepram sanat.

Vis ejus purgans cognita fuit veteribus; authore enim *Dioscoride*, succus, è radice vere expressus, trahit pituitam cum aqua mulsa potus, & authore *Oribasio* per inferiores partes purgat.

Recentes hujus plantæ turiones vere instar *Lupuli* & *Asparagi* decocti & præpoti alvum leniter laxant citra periculum & urinam cient: Veteresque solebant hos vesci, docente *Columella.*

Ciet urinam pota. Fœminarum locis apposita partus secundasque mortuos trahit:

arabit: ad muliebres quoque insessus decoquitur, siquidem vulvas purgat sed abortum facit. Datur comitialibus drachmæ pondere quotidie per totum annum. Prodest attonitis & vertigine laborantibus, similiter assumpta. Contra viperarum ictus pota drachmis duabus auxiliatur: mentem interdum turbat aliquantulum.

Eclegma ex ea fit cum melle difficile spirantibus, tussientibus, strangulatu oppressis, vulsis, ruptis & laterum doloribus utile.

NOTÆ. Bryoniæ albæ Radix Odoris ingrati est, Saporis acris, nauseose amari cum sensu acredinis in gutture. Recentis Succus adeo acris est, ut cutim exulceret, sed perit acrimonia in siccata & diu servata.

Rubefacit chartam cæruleam, & solutionem Heliotropii, quod non efficitur a foliis, aciditate in his obvoluta.

Externe in pedibus œdematosis, & in Hydrocele serum purgat & tumores discutit. Celebratur quoque ad tumores scrophulosos & cysticos.

Dolores ischiadicos, aliosque arthriticos, tollit recens contusa, cum Oleo Lini subacta, & tepide applicata, tamdiu repetendo, donec materia morbifica resoluta dissipetur.

Ad lienis, jecoris & mesenterii obstructiones nihil præstantius pulvere vel infuso Vinoso.

Hydropicorum aquas per vomitum & secessum educit in substantia ad ℈j, succo a ʒj ad ℥ß, & si siccetur vinoque infundatur, deinde rursus siccetur, operatio ejus satis mitis fit.

Menses ciet, & ab uteri strangulatione vindicare dicitur.

Est & Anthelmintica, cum vermes enecet expellatque. In Asthmate humido quoque profuit.

N. *BUGULA.* Consolida media pratensis cærulea C. B. *Bugle.*

Folia pinguia, odoris sunt graviusculi, saporis grati, primo subdulcis, dein subamari, subadstringentis: in infuso amaror & adstrictio magis evidens, & decoctum viridescit, addito Vitriolo Martis. Chartam cæruleam parum rubefaciunt.

Est herba Vulneraria, unde *Consolida media* dicitur: vis ejus hærere videtur in mucilagine viscida temperata. Herba viridis apponitur & pulvis inspergitur vulneribus locisque excoriatis.

Ulcera oris putrida & Aphthæ sanantur hujus decocto colluta, & succus instillatus ulcera pudendorum sanat, atque intertriginem: præbet enim succum inviscantem, & vi adstrictoria valet ad sputum sanguinis, dysenteriam, fluxum hepaticum, & omnia ulcera tam externa quam interna, hinc ad Pthi-

sin profuit, asthmaticis levamen tulit, inflammationibus medetur, præsertim Anginæ.

D. *BULBOCASTANUM* majus folio Apii C. B. *Pignut.* Radix.

An sit, *Bunium Dioscoridis* non liquet. Forte est *Trallians* radix bulbosa, castaneas æmulans, quam recentem coctam in lacte præscribit phthisicis & tabidis, ad hæmoptoën & mictum sanguineum.

Esitur cruda, sapore nuci Castaneæ similis: multum nutrit: Venerem stimulat.

Hac etiam sues, hujus avidæ, pinguescunt.

C. *BUTYRUM.* *Butter.*

Butyri nomen usus que in cibo diu Græcis ignotus fuit, donec a vicinis barbaris, Thracibus, Pæonibus & Scythis didicerunt: *Galenus* etiam, in libris de Alimentorum facultatibus, nusquam alimentosæ facultatis, quæ in butyro est, meminit, sed bene medicamentosæ. Apud *Dioscoridem* ovillum & caprinum, tanquam præcipua enumerantur: *Galenus* addit bubulum. Romanis quoque tarde innotuit, unde *Plinius*, „ E lacte fit Butyrum barbararum „ gentium laudatissimus cibus ". *Lud. Nonnius,* de re cibaria.

Natura oleosum est & emolliens. Emplasticam vim habet, cum sit moderate calidum, humidum & lentum, ac proinde puri movendo idoneum, ad suppuratoria medicamenta addi solet, utile præsertim, cum nervi aut cerebri membranæ aut vesicæ cervix vulnera acceperint: replet, purgat & carnem creat.

Præter facultatem concoquentem, paulum habet digerendi potentiam in corporibus mollibus.

Si partem aliquam corporis eo inunxeris ac fricueris, cernes cutim pinguem, non aliter, quam si oleo fricuisses: præterea, si mortui animalis corium aridum eo inunxeris, eundem cernes effectum. Famem & sitim sedat, conservatque vires.

Probe concoctum sanguinem gignit, in bilem abit, habitudinem nactum calidiorem. Vetustate quoque calidius & tenuioris essentiæ efficitur, induratos, ægreque solubiles, affectus potentius digerens.

Alvum solvit copiose potum, & contra venena, si desit oleum, in usu est. Ab Aspide percussis utilissime imponitur.

Parotides, Bubones & oris phlegmonæ prorsum butyro solo curati sunt, nimirum puerilibus corporibus ac muliebribus perpetientibus: & lana, butyro imbuta, ac imposita inchoantibus parotidibus opitulatur.

Butyrum quoque efficax est contra inflammationes ac duritias vulvæ, quod certe

certè neque putidum neque vetustum fuerit. Vulvas procidentes infusum sistit. Butyrum, adeps anserina, & oleum rosaceum permixta pulcherrime prosunt ani vitiis. Ad dysenterias & coli ulcerationem Clystere infunditur.

Ulcera extendit, purgat & explet, speciatim ulceribus manantibus serpentibus prodest per se.

Cum melle si infricetur, dentationes adjuvat, prodest & ante dentitionem gingivarum pruritibus. Prodest & Oris ulceribus, quas in eadem ætate aphthas vocant.

Scabiem hominis abolet: in jumentorum scabie proficit cum resina calida. Quas Græci Psydracia vocant, in summa cute pustulis similes, surgentes parvas exerescentias arcet.

Ad tusses quanta est regiæ Nucis magnitudo devoretur. In ventrem devoratum & ex eo distributum, magnifice confert exputionibus è pulmone, in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, cum hoc insuper habeat, quod eos etiam concoquat. Purulentas exscreationes pectoris pulmonisque & a pulmone graveolentiam halitûs butyrum efficacissime juvat, cum pari modo mellis Attici decoctum donec rufescat, & matutinis sumptum ad mensuram ligulæ.

Cum butyro cocta oryza ad stomachi ardorem, syncope comitatum, prodest.

NOTÆ. Est pars lactis pinguis & oleosa cum tantillo Casei, a quo derivatur consistentia ejus emplastica. Detegitur pars caseosa liquando, partim in superficie natans, partim subsidens in sedimento albo, Oleo sic separato flavo; & ob hanc caseosam partem Butyrum facilius rancescit, quam Olea quædam a vegetabilibus pressa.

Destillando resolvitur in phlegma subacidum, oleum tenue & carbonem.

Butyrum in æstate acescit, unde, taliter constitutum si edatur, fauces excoriat.

Si cum aqua pura butyrum lavetur, humidumque hoc a radiis solaribus aut igne evaporetur, sal acutissimus & parum a caustico differens remanebit.

Saporis est grati & dulcis, hyeme albius & tardius putrescit, æstate flavius & magis dulce, quale est vaccarum, quæ nuper pepererunt.

Butyrum Incolis septentrionalibus in deliciis est, contra meridionalibus nauseabundum.

Solvit gluten & picem. Expertum est dulcius agere, quam Oleum Amygdalarum dulcium in iisdem casibus.

Vetus acrimoniam acquirit.

Digerit parotides & oris phlegmonas. Lenit, laxat, anodynum est, dolores & inflammationes levans extus applicatum.

Utiliter affricatur gingivis inflatis infantum ad dentium eruptionem facilitandam.

In junioribus, in calidis & biliosis bilem auget.

Boli ex Butyro recenti, Saccharo mixti & vesperi sumpti, vehementissimas Tusses catarrhales, authore *Baglivio*, demulcent.

Recipe Butyrum salis expers, &, despumando a parte caseosa, separatum; Dentur Cochlearia duo bis vel ter de die. Dicitur in centum experimentis efficax fuisse in Dysenteriis pessimis curandis. Forte hæc ejus operatio illustrari potest experimento injiciendi tantillum pinguedinis vel Olei animalis in liquorem fermentantem, unde fermentatio statim sistitur: & si frustulum Butyri injiciatur magnæ quantitati Sacchari, vehementer ebullientis, sistitur statim ebullitio.

N. *BUXUS* arborescens C. B. *The Boxtree.*

Non meminit ejus *Dioscorides*, & raro *Galenus*, utpote vix ullius apud eos in medicina usûs.

Lignum a ligno Guaiaci (cui simile esse autumarunt aliqui) prorsus differt, parum materiæ energeticæ continens, ejusque non resinosi, sed salini generis. Inodorum est & decoctum insipidum.

Foliorum Odor ingratus est, necnon sapor amarus, nauseosus, acris. Non nisi levissime rubefaciunt Chartam cæruleam. Dicuntur valide purgare dosi ℥j in sero lactis, vel ʒj in pulvere.

Lumbricos in equis curant. Dicuntur valere ad morbos pectoris, & specifice pleuritidem.

Folia, cum coliculis in lixivio decocta, capillos rufant, authore *Matthiolo*, & eos in Alopecia mirifice generare dicuntur.

C.

C. *CALAMINTHA.* *Calamint.*

Calamintha magno flore C. B. sive Calamintha montana *Lobelii* forte ex omnibus optime convenit cum Calamintha prima *Dioscoridis*; verontamen Calamintha vulgaris Offic. Germanicæ C. B. *Common Calamint*, plane congener est, nec longe aberrat a descriptione Calaminthæ primæ *Dioscoridis*, & pro succedaneo admitti potest.

Notandum tamen, quum *Dioscorides* secundam suam speciem odore Pulegii Nepetam vocari a Latinis referat, hic cavendum esse, ne, ut a multis fit, confundatur cum Nepeta majore vulgari *Parkinsoni*, seu Mentha Cataria vulgari

gari & majori C. B. *The Nep or Catmint*, quæ, ut infra patebit, plantâ diversi generis est.

Calamintha acris est, & multo fortior quam Mentha, tenuium partium, & calida siccaque temperie, ex tertio ordine secundum *Galenum*, gustum intense ferventem, acrem, & paulum subamarum habens. Viridis manditur ut olus attenuans, exsiccata culinæ non amplius, sed medicinæ inservit.

Periclitantibus & corpori admoventibus, extrinsecus imposita primum valde excalfacit & mordicat, cutemque exsugit, postremo etiam ulcus efficit. In corpus autem assumpta, tam ipsa per se sicca, tam ex Melicrato, perspicuo calefacit & sudores ciet; omneque corpus tum digerit, tum siccat; & ad omnia dicta efficacior est montana.

Accensa & substrata serpentes fugat: demorsis a serpente opitulatur, sive pota, sive imposita.

Ischiadicis imponitur, ut humores ex alto evocet, summam cutem adurens. Sugillata digerit & vitiatos circa cutem humores detergit; ad Elephantiasin utilis, eo quod digerat attenuetque valenter, & crassos humores incidat epotata, si serum lactis superbibatur. & eadem ratione cicatrices atras reddit splendidas; sed ad talia in vino concoctam emplastri modo ipsam imponere præstat, & virentem magis quam arentem, quippe arefacta vehementior redditur & ad urendum aptior.

Menses tum epota, tum apposita admodum efficaciter provocat, & conceptus interimit, ejicit. Decoctum Urinas pellit.

Teretes lumbricos & ascarides, cum sale & melle pota, enecat, ceu cocta, ceu etiam cruda contrita fuerit. Succus eadem præstat infusus aut epotus, & Vermes, qui in auribus ulceribusque nasci solent, perimit instillatus.

In vino regium morbum expurgat: addit *Galenus*, „ præcipue ob amaritudinem " sicut alia fere omnia amara, utpote abstergentia & expurgantia Hepatis obstructiones, quibus, ut & obstructo lienis infarctui, ficus cum Calaminthâ non mediocriter obsunt.

Decoctum potu ruptis, convulsis, orthopnœæ, torminibus, choleræ auxiliatur, necnon algoribus cum tremore in febrium accessione, oleo incocta, toti corpori inuncta cum frictione non segni, & intro assumpta.

NOTÆ. Odor Calaminthæ vulg. est fere ut Menthastri, sapor aromaticus, amaricans, acris usque adeo, ut fere dolorem masticanti excitet, subadstringens, & decoctum, addito Vitriolo Martis, viridescit, atque in *Alstoni* experimento atro-viride fit.

Infu-

Infusum non mutat Syrupum Violarum, at Solutionem Heliotropii parum rubefacit.

Decoctum resolvit tumores œdematosos & partes roborat.

Ad crassos humores attenuandos valet, stomachicum, & inter carminantia primarium remedium. In omnibus morbis pectoris a pituita viscida prodest: in tussi pertinaci & ad promovendam expectorationem non minus utile, quam Pulegium, & in Asthmate. Aquam destillatam bonam, Oleo Essentiali abundantem, praebet.

N. *CALAMINTHA AQUATICA.* Mentha arvensis verticillata S. B. *Water Mint, with whirled Coronets. Raii Synops. Stirp. Britannicar.* specifice differt ab omni Calamintha *Dioscoridis.*

D. *CALENDULA.* Caltha vulg. C. B. *Marygold.*

Flores viscosi sunt. Odor haud injucundus cum gravitate, vel balsamicus secundum alios: Sapor subdulcis, dein amaricans cum sensu acrimoniae in gutture per tres horas, etsi minus acres sint quam Folia. Quidam volunt adstrictione non vacare. Recentes dicuntur Alvum laxare.

Flores, in pulverem redacti, inque vellere dentibus indita, dolorem illorum sedat.

Succus Verrucas exstirpat illitus, donec marcescant.

Contusi & macerati cum vino & pauco sale Flores cataplasma dant optimum, ad discutiendos tumores durissimos.

Sudores movent, cardiacis & croco vix cedentes: decoctum in Zythogalo variolas expellit.

In Ictero, Chlorosi & omnibus morbis ab obstructione viscerum valent; quin & testatur *Matthiolus*, in 600 fœminis facta pericula plurimum successisse ad Menses ducendos, praesertim epoto succo, aut herba recenti diutius devorata.

Folia quoque viscosa sunt, subacria, amaricantia, & magis saltem acria, quam Flores, acrimonia quoque in gutture per aliquot horas durante: in Olere sumpta alvum movent.

Decoctum quoque amaricans est, &, addito Vitriolo Martis, viridescit: Infusum non rubefacit Syrupum Violarum, nec nisi parum rubefacit Chartam cæruleam.

Porro, Folia quoque affricta Verrucas sustulerunt, callosque pedum, & digitis contrita, naribusque indita, humores copiose educunt.

CA-

CALAMUS AROMATICUS. Vide *Acorum.*

C. *CALX VIVA.* Calx non extincta, Græce Asbestos *Quiklime.*

Apud *Dioscoridem* collocatur inter lethalia venena, & usus ejus internus veteribus plane incognitus videtur; nuperis tamen experimentis constat, aquæ magna copia dilutam optimum esse medicamentum & e lithontripticis præcipuum.

Usu externo vis ejus ignea, mordens, vehementer adurens & crustas inducens; Crustæ tamen, quæ ab hac fiunt, citius excidunt, quum Calx vim adstringentem non habeat, qualem Chalcitis, Misy & reliqua adstringentia Eschariotica, quarum crustæ diutius hærent corporibus.

Quibusdam aliis admista & temperata, v. g. adipi vel oleo (oleum enim calci miscetur) vim assumit calefaciendi, concoquendi, molliendi, discutiendi, & ad cicatricem perducendi. Sic in erysipelate, ab immodice refrigerantibus refrigerato, ut nigricet, calcis vivæ quippiam pharmaco liquido immittemus. Pertinet quoque ad fortissima medicamenta contra achores, calefaciens, mordens, discutiens, & secundum *Plinium* ulcerum impetus, quæ serpere incipiunt, corrigit. Eodem Authore, aceto & rosaceo temperata, ad cicatricem perducit. Porro, psilothrum fit imbecillioribus admista, &, fondi balnei admista, discutit tumores flatuosos. Aquam ita temperatam, ne exulceret, contra vitiliginem & lepram præcipit *Hippocrates.*

NOTÆ. Acris est & urens. saporis austeri, dulcis.

Concedendum est, Calcem vivam quibusdam phænomenis convenire Acidis, etsi aliis, & forte potioribus, magis conveniat Alcalinis: Nam

1. Aqua Calcis vivæ clarior fit cum Acidis, infusione autem lixivii Salis Tartari turbatur, & præcipitatur, quatenus terreæ particulæ, Acido in Aqua Calcis adhærentes, occasione Alcali Tartari, quod ab acido prompte absorbetur, extruduntur, & dimittuntur ob quam quoque causam solutio saponis grumosa fit ab Aqua Calcis.

2. Calx viva albumen ovi & serum sanguinis coagulat, ut bene notum est in Lutis Chymicorum e Calce viva & albumine ovi, in firmam stabilemque massam coëuntibus.

Porro, consentio *Lindenio*, Acidi quidem Vitriolici duas notas exhibere Calcem vivam: 1. Solutio Mercurii in Aqua forti, addita Aquæ Calcis, præcipitatum flavescens exhibet. 2. Calorem excitando ab affusa aqua, quemadmodum fit ab Oleo Vitrioli.

Præterea Aqua Calcis subinde dat tincturam nigrescentem infusioni Gallarum, & Lapis calcarius dicitur Acidum sulphureum præbere destillando: præ-

 terea,

tum, autore *Mmmerus*, Acidum nitrosum quoque undi tum Lapidi calcario, tum Calci vivæ, quoniam Oleum Vitrioli affusum ab utroque extricat vapores Acidi nitrosi.

Contra vero, Calx viva pluribus notis convenit Alcalinis. Scil. 1. Summam acrimoniam & vim causticam salibus alcalinis, tam fixis quam volatilibus, addit. 2. Aqua Calcis vivæ sulphurea subjecta, v. g. Sulphur commune, Antimonium &c. extrahit, pariter atque hæc sales alcalinorum præstare solent. 3. Sali Ammoniaco Calx viva addita Sal ejus volatile & spiritum prodire permittit, eodem modo ac alcalisata addita. 4. convenit quoque quod colorem ligni Nephritici, per acetum destructum, infusa Aqua Calcis restituat, Alcalinorum more. 5. Quod solutionem Mercurii sublimati corrosivi in Minio colorem, tum tarde præcipitat. 6. Calcem vivam potentius absorbens esse Acida, quam Lapis calcarius vel Creta, patet hinc: Acidum Vitriolicum, Calci vivæ affusum, ea longe facilius unitur, quam crudo Lapidi vel Cretæ, & si in debita proportione usurpetur totum Acidum absorbetur, liquore derelicto insipido, quod non fit a lapide crudo aut Creta. 7. Una tertia pars Aquæ Calcis admiscebatur Lacti, & reponebatur in uno vase, cui ⅓ pars Aquæ communis admiscebatur & reponebatur in altero post quatuor dies (quod sic quoniam Aqua Calcis absorbendo Acidum fixum e Lacte, hujus motum intestinum inhibet) mixtum prima persistit dulcis & fluida, secunda acida erat & coagulata. 8. Ad conservationem vinorum dulcium Hispanicorum Calce viva utuntur ompopolis. Denique in infantibus, lac coagulatum evomentibus, cum dolore & dejectionibus viridibus, felici cum successu propinata fuit Aqua Calcis post usum inefficacem aliorum absorbentium.

Præter sulphurea subjecta supra dicta, Aqua Calcis quoque, ope caloris, Olea vegetabilia solvit, ea miscibilia reddens aquæ, Resinas quoque pinguedines animales & mucosa solvit coagulum & caseum Lactis & hoc nomine Spiritui Vini, qua tertio menstruo, præferenda est, ille enim pinguedines animales & olea expressa vegetabilium non attingit.

Si loco Aquæ Spiritum Vini dephlegmatum vel Oleum Calci vivæ affundas, nulla fit effervescentia, quia hi liquores sulphurei non solvunt sales Calcis vivæ: hinc Incalescentia ab aqua affusa non videtur deberi particulis igneis, sed potius salibus solutis, quod ulterius patet Experimento sequenti: Si Calx viva tota solvatur Spiritu salis, & post solutionem menstruum abstrahatur per retortam, relicto vero capiti mortuo Aqua affundatur, motus intensissimus caloris excitatur, acido nempe spiritus salis in particulis calcis tota alcalino - terreis, mediante aqua, soluto & cum illis effervescente, qualia phænomena ex Calce tota simplici, utcunque licet igne tractata, non apparet.

Sic ratiocinabantur medici seculi elapsi de phænomenis, a Calce viva exhibi-

tis

tur, verum tandem, ab industria modernorum detectum est in lapide Calcareo alterum principium, hocque magni momenti, scil. *Aër fixus*, seu non elasticus, utpote vinculum cohæsionis, præcipue in lapidibus terrisque calcareis, quo aëre in statu naturali repleta sunt, & hinc Lapis calcareus Terræque Calcareæ fere dimidium ponderis sui, sub calcinatione amittunt, quod non adeo Sulphuri dissipato, quod quidam horum inter calcinandum spirant, tribuendum, quam Aëri, quo hac operatione privantur, Lapides enim *Apyri* seu *Refractarii* dicti, v. g. Granita, Lapis Molaris, Silex, &c. licet magis sint plures quam pures è calcareis, parum ponderis sui amittunt in igne, nec aërem ullum ab affusis acidis exhibent: verum Lapides calcarei aërem suum, vinculum cohæsionis suæ, dimittunt, tum ab affusis acidis, tum ab igne, unde caustici fiunt, & in aqua solubiles; & contra, si Calci vivæ, aëre suo privatæ, in Aqua Calcis restituatur Aër, transferendo ei Aërem, ab Acido & Alcali effervescentibus prodeuntem, coeunt ejus particulæ, mites fiunt, insolubiles, & prorsus redeunt ad naturam Lapidis calcarei crudi (*k*).

Vires Aquæ Calcis. Chirurgi lintea hac madefaciunt, eaque ulceribus, ambustis, inflammationibus, scabiei, herpetibus ulceratis & non ulceratis, ophthalmiis & Tineæ imponunt.

Dentes vacillantes firmat & optimum gargarisma præbet in ulceribus oris & gutturis.

Usu interno acrimoniam acidam corrigit. Convenit in fluxu albo, gonorrhœa, diarrhœa, dysenteria, in strumis; & scorbuto: a quibusdam exhibetur in ulceribus viscerum & pulmonum cum lacte. Infantibus est bonum anthelminticum, & multa insecta necat; notandum vero quod Lacti admisceri non debeat, quoniam inde fit præcipitatio Calcis. Vid. Authores citatos.

Corrodit & comminuit Calculos etiam duros, ei infusos, & usu interno, primarium est è lithontripticis, præsertim si e Conchyliis paretur. In Cardialgia nidorosa commendatur utpote Aëris (vinculi cohæsionis) in oleosis absorbens & proinde oleosa aquis miscibilia reddens.

Notandum vero in usu ejus interno, usum fructuum recentium, Saccharí brunnei & lactis prohibendum esse, quoniam hæc inter concoquendum Aërem suum fixum dimittunt, qui a Calce viva attrahitur & proinde hujus crasin destruit, (*l*) quod & fit si cum cibis sumatur, vapore inter fermentandum in primis viis prodeunte, à Calce absorpto, unde Calx iners redditur.

Nota-

(*k*) *Black*, in Edinb. Essays physic. & literary. *Macbride*, Experim. Essays & *Priestley* on Various Kinds of air.

(*l*) *Macbride* libr. cit.

Notatu quoque dignum est, quod, non obstantibus indiciis supra recensitis, congruitatis Calcis vivæ & falium alcalinorum, unde noxia esse videretur in alcalescente & putrida diathesi humorum, Experimentis tamen manifestum sit, eam potenter Antisepticam esse, scil.

1. Pars una seri sanguinis, partibus tribus Aquæ Calcis admista, expers fœtoris mansit septem septimanas, & similiter Urina (*u*). 2. Protrahit & corrigit putrefactionem carnium & piscium. 3. ℥j Calcis vivæ, addita congio aquæ, hanc dulcem servavit quinque menses in vase ligneo: hinc Nautis admodum utilis ad conservandam Aquam a putredine in longis navigationibus.

Calx lota cum Aceto quiescit, sed bullas excitat cum Oleo Vitrioli & Spiritu Nitri.

Absorbet in se potentissime quælibet Acida corrosiva: adstringit simul & poros firmat, unde exsiccare dicitur & refrigerare in ulceribus venereis aliisque antiquis, malignis, dysepuloticis & cacoëthesis; imprimis autem ad ambustiones optima: hinc de Calce lota Unguenta, Linimenta & Emplastra ad ambustiones usitatissima.

N. *CAMPHORA.* *Camphire.*

Arabibus debetur, veteribus Græcis incognita, necnon Hebræis, a Camphora *Cantic* I. 14, diversa.

Galenus non cognovit, proinde liber de Dynamidiis spurius est.

NOTÆ. E ligno & radicibus Lauri cujusdam Japonensis extrahitur; quin & ex radicibus Cinamomi; ex herba, Camphorata dicta, & ex Abrotono, Rore marino, Salviaque prolecta fuit.

In *Philos. Transact.* A 1737 & 1738, prostat Illustratio generationis ejus, Observatione Olei sassafras crystallisati, & ibidem N°. 389 & 351, notatur similis crystallisatio e Thymo, quæ *Neumanno* Camphora Thymi appellatur.

Odoris est fragrantis, gravis, similis Rorismarini, sed gravior, gustus acris, amaricantis, os valde calefaciens una cum sensu frigoris; & calor cito evanescit. Si conservetur in thecis apertis, disparet. Pinguis est & oleosa, flammam nutriens valde, & semel accensa vix extingui potest, sed tota avolat.

In ore non solvitur, proinde non est Gummi: Solvitur equidem in Spiritu Vini rectificato & Oleis, ut Resinæ, non tamen est Resina: Nam

1. Nulla datur Resina, quæ in vase clauso tota, beneficio ignis, in sublime fertur, ut Camphora, Resinæ vero, vehementiori igne in vase clauso combustæ, phlegma spiritumque acidulum & oleum copiosum largiuntur.

2. Nul-

(*u*) *Alston*, Dissert. on Quick lime.

2. Nulla datur Resina, quæ tota in Spiritu Vini rectificatissimo solvitur. Porro & hoc singulare habet Camphora, quod solvitur Aqua regia, Spiritu Nitri & aliis Acidis fortibus.

Credidi (inquit *Garcias*) odore & partium tenuitate Camphoram esse calidam; sed postquam experimento didici Ophthalmiis & oculorum inflammationibus, tum etiam ambustis nivis frigiditatem retulisse, sententiam mutavi.

Porro, in rubore ingenti & pustulis oculorum commendatur Linimentum sequens, præmissis evacuationibus: ℞. Butyri recentis insulsi, in Aq. pur. loti ℥j ß, tutiæ pp. ʒj ß, Camphoræ ʒj. *M.*

Porro, somnum inducit, foras aut intus exigua quantitate usurpata, si quis vero sæpius odoretur & naribus adhibeat, vigilias creat.

Huic *Hoffmannus* aliique consentiunt sic: Si, ad ℈j in Oleo Amygdalarum vel spiritu Vini soluta, sano homini cum copioso vehiculo exhibita sit, corpori nec sensibilem æstum infert, nec auctiorem pulsum efficit; sed potius manifestum refrigerium, maxime circa præcordia non pauci præsentiunt, neque etiam sitim movet, aut Urinam reddit coloratiorem, quod ab omnibus calidioribus fit. Quinimo ℥j spiritus Vini generosi ingesta plus æstus & caloris quam ʒj Camphoræ infert; nec adeo calefacit ac sales volatiles alcalini. Nec silentio prætereunda est vis anodyna, soporifera & antispasmodica Camphoræ, cum prudentiâ exhibitæ in doloribus, Mania, affectionibus hystericis & Furore uterino, in Aqua Melissæ extinctæ, & in aliis deliriis.

Proinde Camphora, licet ex toto inflammabilis sit, tamen in corpore nostro calorem haud quaquam efficit, sed potius intensiorem corporis fervorem sistit, unde a Veteribus frigida, non calida habita fuit; non tamen admittendum, quod dixere;

Camphora per nares castrat odore mares;

contrarium enim docet Observatio *Tachenii* Venetiis & Amstelodami, ubi purgatores ejus salaces sunt & prolifici.

Est e primariis discutientibus & resolventibus in contusionibus, ecchymosibus, ambustis, quotidie usurpata, & ad dissipanda exanthemata, maculasque scorbuticas, particulæ enim Camphoræ citissime per poros avolant & efficiunt, ut humores stagnantes vel exhalent, vel in motum redigantur & dissolvantur, unde summo cum fructu in omnibus inflammatoriis erysipelaceis affectibus adhiberi Spiritum Vini Camphoratum longo usu compertum est.

Nec modo ad Inflammationum externarum resolutionem laudatur, sed & contra internas, Nitro admista: Sic in Pleuritide curanda post Venæ sectionem

& aliis frustra adhibitis optimum remedium est Nitri gr. xij aut xv cum Camphoræ gr. j, ij, iij, in emulsione ex Oleo amygdalino.

Proficua imprimis Camphora reperitur in refractariis Inflammationibus venereis, aliisque contumacibus, ad gangrænas sphacelosasque corruptiones proclivibus interne non minus quam externe usurpata & in Cholera desperata ceu ultimum remedium applicatur cum lacte multiplicato.

Groenvelt pro correctore Cantharidum ad ℈ß exhibuit ad tollendam stranguriam, plurium annorum experientia fultus.

Antisepticum est insigne, carnem siquidem diutius a putrefactione conservans, quam Sal marinus, unde in febribus putridis valet præsertim Nitro junctus, vermibus, quatenus antisepticum, contrarium, nec sine fructu aliquando gestatur collo suspensa ad febres arcendas vel curandas, & quicunque secum gestat Camphoram, non infestabitur pediculis, authore *Wedelio*.

Dicitur quoque emmenagoga esse, insigniter diaphoretica & Alexipharmacorum efficacissimum remedium in febribus petechialibus, Variolis mali moris, morbillis & exanthematibus expellendis unde & corrigit præparationes mercuriales, earum operationem determinando ad Cutim, & hinc quoque efficax est in Purpura chronica scorbutica, ubi maculæ erumpunt pruriginosæ, & facile iterum recedunt, quando materia retrograda multiplici corpus tortura afficit, & omnis generis symptomata provocat, quæ tum pleraque remittunt quamprimum Maculæ, aut pustulæ aut tubercula prodeunt, aut congruis medicamentis expelluntur. Ad hanc expulsionem præcipue valet Camphora, præsertim adjuncto Nitro, & præmissis, ad primas vias repurgandas, blandis laxantibus.

Verum, non obstantibus his laudibus Camphoræ, bene notandum est, nuperis experimentis patuisse, quod si largiori dosi, v. g. ad ℈j sumatur, venenum sit & delirium inferat; dosi moderata somnum inducere, nimia vero eum impediente.

In usu Camphoræ notatu non indignum est; quod si misceatur cum Sale Tartari & cum Spiritu Vini rectificatissimo destilletur, prodire *Spiritum* Camphoræ, particulis valde saturatum, qui, aquæ infusus, non lactescit, nec Camphora quicquam præcipitatur, ut cum Spiritu Vini camphorato evenit: proinde hæc tractatio Camphoræ inservit egregiis usibus in medicina & chirurgia, utpote miscibilem eam reddens aqueis menstruis, unde commodissime ita miscetur cum collyriis, cum Epithematibus ad caput, & gargarismatibus, itaque ad inflammationem oris & faucium utilissimum fit gargarisma, si Aquæ florum Sambuci, Salviæ vel Rosarum aut aquæ Vegetabili-*Minerali Goulardi*, portio Nitri, & pauxillum hujus solutionis admisceatur.

Verum

Verum methodus nova folvendi Camphoram debetur noftrati *Macbride*, (*a*) nempe; ℞ Camphoræ, Calcis vivæ aa. ℈j; Contritis affunde Aquæ Calcis ℥vj: ftent femihoram. Solutio limpida eft & perfecta, nec dimittitur Camphora in hac folutione diu fervata. Præftantior celebratur hæc folutio, quam ea, quæ fit cum Spiritibus ardentibus, quoniam in hac nulla fit præcipitatio in aqueo vehiculo.

N. *CANCRORUM CHELÆ. Crabs Claws.*

Apices nigri præferuntur.

Spiritus Nitri & Spiritus falis fere totas diffolvit, Spiritus Vitrioli non totas; quippe folvuntur ab omnibus acidis, excepto Vitriolico, & per hoc ab aliis acidis præcipitantur.

Odoris funt fœtidi, & analyfi chemica præbent fal volatile urinofum; hinc forte quibusdam aliis abforbentibus præferendæ: porro ab Acido in ventriculo in falfum convertuntur, & aceto admiftæ faporis falfi funt & quafi pifcem redolent: proinde credibile eft, vi fua diaphoretica, quam practici cancrorum chelis adfcribunt, in febribus calidis & contagiofis peculiarem vim habere.

Scabiem puerorum ab acidis humoribus fanant. Febrium intermittentium paroxysmos arcent.

Terris calcareis conveniunt, calcinatione quoque in calcem vivam converfa, fecus quam Oculi cancrorum.

N. *CANCRORUM OCULI. Crab's Eyes.* magis proprie Lapides Cancrorum.

Spiritus Nitri hos folvit plus quam ullum aliud Acidum, fcil. ℥j Spiritus Nitri optimi folvit ʒiv; Spiritus Salis tantum ʒiij; Spiritus vel Oleum Vitrioli, Acetum, Succus Limonum longe minus.

Acido nitrofo vel vitriolico foluti derelinquunt fubftantiam gelatinofam.

Per retortam destilla . dant fpiritum urinofum & fal volatile.

In Aceto foluti faporem exhibent falfum, amaricantem, & fic fiunt abfterfivi, refolutivi, diaphoretici & infigniter diuretici.

A terris calcareis, & Chelis cancrorum differunt in hoc, quod calcinatione non convertantur in Calcem vivam, eorum enim terra ejusdem eft naturæ ac Cornu Cervi.

Veri

(*a*) Experimental Effays.

Veri a factitiis distinguuntur per gravitatem specificam, quæ.

Factitiorum est . . . . 2480.

Naturalium vero . . . . 840.

In omnibus cruditatibus acidis primarum viarum, in zona, cardialgia, colica valent, & ut febrifugum, adque scopum sudandi: curant insuper fluxus Ventris, Vomitum, Fluorem album & Gonorrhœam.

Differunt a testis Ovorum, quæ, aperto igne combustæ, odorem fœtidissimum spirant, oleum empyreumaticum indicantem; verum Oculi Cancrorum, aperto igni immissi, lenissimum vel plane exiguum, sine ullo Olei empyreumatici vestigio, vaporem volatilem emittunt.

Porro, Solutio Oculorum cancrorum minus amara est, quam Solutio testarum ovorum, & longe minus, quam Solutio Ossis Sepiæ. Quinimo, Authore *Hoffmanno*, Solutio Oculorum Cancrorum, quæ instituitur cum Spiritu Vitrioli, omnis saporis ingrati amaricantis expers est, & non tam stimulante & aperiente virtute gaudet, quam quidem roborante, leniterque adstringente. Insuper in hecticorum æstu temperando, & in malignis febribus, ubi solutio sanguinis putredinosa metuenda, & ubi alvus nimis mollis cohibenda est, eximiam exerunt efficaciam. Tandem Lapidum cancrorum, cum rheo unitorum, usum liberalem adversus pictaviensem colicam, experientia fretus, laudat Celeb. *De Moncey* Med. Roterod. Usu quoque mechanico valent Oculi cancrorum, v. g. dentibus abstergendis inserviunt: & ad Festucam, pulveres aliaque, quæ in oculum inciderunt, ex menda ejus vim sæpe se expertum esse, testatur *Wormius*: integer lapillus oculo inditur, ita ut a palpebra comprehendatur, & compressa ejus pars oculi corpus tangat, convexa palpebram, dein digito, exterius palpebræ admoto, circumrotatur, donec locum affectum tangat, & secum quod inciderat aufert sine omni incommodo aut molestia per aliquod tempus in orbita detineri potest.

In Actis Philosophicis Anglicanis prostat historia hominis, qui, cardialgiâ infestatus, Oculis cancrorum per plurimos annos usus fuerat, in cujus cadavere repertus est Calculus instar Lapidis Bezoardici.

N *CANNELLA ALBA*, falso Cortex Winteranus dicta. Cinnamomum sive Canella tubis minoribus alba C. B. *The Wild Cinnamon tree; Dale, Mat. Med.*

Ab arbore baccifera laurifolia aromatica, fructu viridi calyculato racemoso. *Sloane, Cat. Jamaic.* Prorsus incognita Veteribus Græcis & Arabibus, nec in Europa nota ante Americam inventam.

NOTÆ. Odor ejus est aromaticus, gratus, fere instar Nucis moschatæ, sapor

sapor acris fere ut piperis, subamaricans, subadstringens aliis, & similis sapori mixturæ Cinnamomi, Zinziberis & tantillo Caryophyllorum aromaticorum.

Sudorificus est, carminativus, convenit in colica, paralysi, hydrope, febre intermittente, scorbuto & omnibus morbis frigidis.

Hujus masticatione quidam Medici a morbis contagiosis se defendunt.

C. *CANNABIS* sativa C. B. *Hemp.*

Folia gravis odoris, succus expressus contra aurium dolores utiliter instillatur.

Semen pro cibo aliquando sumitur, sed concoctu difficile, stomachoque & capiti nocet; nam paulo largius sumptum caput ferit, vaporem sursum versus mittens: genituram extinguit, & vitandum est ab eo, qui calidæ est temperaturæ in temporibus calidis, calefaciens & attenuans usque adeo ut medicamentosum sit.

NOTÆ. Folia virosa sunt, odoris ingrati. Vim habent aliqualem opiatam & narcoticam, caput vaporibus, ut ita dicam, replentem, & ad delirium, dementiamque pronos facit homines, hinc rari usus interni.

Aqua, cui Cannabis infusa, insigniter fœtet, estque Venenum potatoribus & piscibus; quinimo Effluvia inde noxia esse perhibentur.

Cæteroquin, ad ambusta utilis est Cannabis, & ad discutiendos tumores strumosos, nam Folia & Semen contusa, & applicata in cataplasmate, potenter resolvunt.

Semen mucilaginosum est, valde oleosum, saporis dulcis & fatui, emolliens, & nonnihil habet Narcotici: hinc *Herodotus* testatur, Scythas affici delirio a seminibus, super carbones vivos injectis.

Odor pulverisati aliquantulum gravis est, sapor subdulcis, nauseosus, subacris in gutture. Medulla seminis pinguis est, inflammabilis, & inter comburendum exsudat Oleum.

Emulsionem dat satis blandi saporis, dicitur tamen caput vaporibus replere & ab immoderato usu delirium facere.

Decorticatorum seminum Emulsio cum Aqua Rosarum Cosmeticum est egregium, ad tollendas maculas variolarum, panno gossypino ei intincto, faciei admoto.

Oleum per expressionem dat admodum ingrati saporis, leniens & emolliens, adversus ambusta utile.

Semen frixum pro cibo usurpatur: nutrit insigniter, aviculas mirum in modum saginat, & Gallinæ, hoc pastæ, tota hyeme ova pariunt. Persæ utuntur in

menstruis secundis ad venerem excitandam. *Sylvius* laudat in ulceribus veteribus in lacte coctum.

Tussi opitulatur; ad affectus viarum urinariarum & gonorrhœam laudatur; privatimque lacte decoctum & calide potum tussim aridam & calidam emendat.

Porro, Authore *Dodonæo*, Belgæ seminis contusi medullam, liquido aliquo expressam, Ictero laborantibus dant, initio mali & sæpe non absque præsidio, si ex sola obstructione citra febrim exoriatur.

Emmenagogum est & diureticum contusum, vino albo infusum.

C. *CANTHARIDES.*

Usu interno *Hippocrati* & *Galeno* cognitæ, sed sub specie Vesicatorii primum ab *Archigene* & *Aretæo* usurpatæ; non autem invaluit earum usus in morbis internis ante annum 1590.

Effectus Cantharidum, quatenus Veneni, apud *Dioscoridem* sic describuntur: „Propemodum ab ore ad vesicam usque iis omnia erodi videntur: pici aut cedriæ simile quiddam in gustu observatur: in dextro hypochondrio inflammationem sentiunt, & urinam ægre reddunt, ac subinde cum lotio sanguinem emittunt: strigmenta, qualia dysentericis, per alvum egeruntur: animi defectionibus, ciborum veluti ex repletione fastidiis & tenebricosa vertigine corripiuntur, tandem vero etiam mente alienantur".

Usu externo adurunt corpus, exedunt, exulcerant, crustas obducunt, hinc medicamentis immiscentur concrescentia, lepras, & asperiores impetigines sanantibus. Tritæ cum farina hordei tela extrahunt. Verrucas cum uva taminia intritæ exedunt. Unguium scabritiem, cum pice solutæ, tertio die tollunt. Admiscentur quoque iis, quæ clavos, quos vocant, ejiciunt, & in pessario adhibentur ad uterum purgandum.

Usu interno, si solæ exhibeantur, vesicam exulcerant; verum parce sumptæ & quibus oporteat admistæ, præterquam quod vesicam nihil offendant, etiam renes expurgant, & urinam maximopere provocant; *Hippocrates* dedit numero quatuor, pedibus, alis ac capite rejectis, cum aliis ingredientibus & vino bibendas, non prodeuntibus mensibus, numero autem tres in potione hydropica in tribus aquæ cyathis.

Attritæ, ac cum radice vitis albæ bibitæ, lumbricos ejiciunt.

NOTÆ. Usum Cantharidum internum, Veteribus celebratum, non tantum tutum esse, sed & efficacem in diversis morbis rebellibus testantur plures è recentioribus illustribus, speciatim *Groenvelt* noster, v. g. ad Urinam movendam, cum alia ratione moveri non possit, ad curandos Hydropes alias incurabiles,

biles, & ad Ulcera Vesicæ, speciatim in fœminis, in quibus via latior est breviorque quam in viris.

In his morbis curandis Autor laudatus dat Cantharides, Camphora correctas, a granis vj vel vij ad ix, tertia quartave quaque [illegible] dosin, & subinde intermittendo [illegible] Vesicæ [illegible], Emulsionibus & emollientibus, ℞ Cantharidum grana vj, Camphoræ Oleo Amygdalarum solutæ gr. [illegible], & singulis tribus horis [illegible] Decocto, Emulsionibus, lactis vel decocti hordei.

Porro, eodem Authore, in virulentis & pertinacibus Gonorrhœis, cedentibus catharticis, nec emeticis mercurialibus, [illegible] cum successu exhibentur.

De vi caustica in usu externo proxime agendum, quam Sali volatili [illegible] nuper instituta experimenta & observationes, tribuerunt Authores. [illegible] Cantharidum recentium Odorem esse fœtidissimum, putrescentem vim [illegible], aquæ infusas multa animalcula generare, & pulverem Cantharidum [illegible], recens extractio ejusque [illegible] reddere. Verumtamen vim causticam non deberi Sali volatili, quoniam [illegible] major quantitas Salis volatilis extrahitur a substantiis insipidis, v. g. [illegible], piscibus & plantis, sed potius tribuendam esse principio, quod solvit Spiritus Vini rectificatus. Extractum aquosum equidem Vesicas excitat, sed hoc debetur substantiæ gelatinosæ, Resinam aquæ miscibilem reddenti, adeoque vires Cantharidum æqualiter extrahuntur Aqua, Vino, & Spiritu vinoso tenuiore.

Cartheuser hanc rem ulterius prosequitur sic. Spiritum urinosum, oleum fœtidum & sal volatile, a Cantharidibus electa, producta esse [illegible] transmutatione, ut in Tartaro, adeoque, vim causticam vero potius hærere in Sale acido, ut in formicis & apibus, & huic convenit ejusdem & aliorum Observatio, quod Acida, v. g. Acetum, potius augeant quam mitigent vim earum vesicatoriam.

Tandem Virtutes & Noxæ, usu externo, scil. quatenus Vesicantia describendæ sunt, scil.

Prosunt ubi opus est magno stimulo. Sudores promovent, & faciunt ut pustularum omne genus a cute promptius foras eruat ad cuticulares meatus, [illegible] impetigine ad aperiendos, [illegible] pervetustis, [illegible] ad fœtum excutiendum, ad [illegible]bercos evocandos, in pleuritide, peripneumonia, gravedine & nervorum distentionibus.

In Febribus, exilissimo pulsu, extremitatibus frigidis, anxietate, ad morbos soporosos propensione, aliisque coagulationis indiciis, dictu incredibile quam proficuos effectus afferant Vesicantia; &, qui gravissima Tussi cum sputo crasso & glutinoso obnoxii sunt, a nullo remediorum genere

 tan-

tantam utilitatem suscipient quam a Vesicatorio, cervici apposito. In Oculorum & faciei morbis cum fluxionibus tanquam specifica sunt cervici applicata: & historiæ quædam proferuntur Membrorum paralyticorum restitutorum usu Tincturæ in Spiritu Vini affrictæ, & Incontinentiæ Urinæ curatæ, Emplastro Offi. sacro & regioni lumborum applicato (*).

Nocent denique Vesicantia in febre acriore cum sanguinis diathesi colliquativa, in delirantibus cum febre acuta, Linguæ ariditate, habitu gracili, regione & temperamento calidis, æstivo tempore sub ardore caniculæ, in plethoricis non præmissa Venæ sectione, & in hecticis, si sudoribus colliquescant.

C *CAPPARIS* spinosa fructu minore folio rotundo C. B. *Capers.*

Hujus admodum frequens usus apud veteres, præcipue cortices radicis, dum folia, caulis & fructus seu gemmæ florum adultæ, antequam tamen explicentur, cibi gratia condiebantur, & coctæ edebantur, quarum vires eædem ac radicis, sed debiliores. Cappares olim natalibus discernebantur, & damnabantur Libycæ, Marmaricæ, Apulæ & quæcunque facultatis causticæ essent. Præterea, authore *Dioscoride*, Capparis, quæ ex rubro Mare & Arabia deferebatur, acerrima erat, cibis inepta, in ore pustulas excitans & gingivas ossetenus exedens; hodie vero videntur omnia genera esse mitia undecunque allatæ, si modo sale acetoque bene sint domitæ.

Fructu utimur, inquit *Galenus*, magis ut medicamento quam ut alimento, Sale consperso. Sale eluto fit obsonium ac medicamentum ad appetentiam collapsam excitandam, præterea ad pituitam, quæ in ventre habetur, detergendam ac subducendam, expurgandasque lienis & hepatis obstructiones. Cappardes in hisce casibus utendæ sunt ante alios omnes cibos ex oxymelite vel oxelæo: sic citra calorem extenuat.

Ferunt, authore *Plinio*, eos, qui quotidie fructum edunt, paralysi non periclitari: &, authore *Dioscoride*, fructus ad ℥ij ex vino potus, ad dies quadraginta lienem absumit, urinam trahens cruentumque alvi excrementum educens. Epotus itidem lumborum doloribus & paralysi succurrit, itemque ruptis & convulsis: menses quoque ciet. Hactenus de fructu.

Radicis cortex præcipue usurpatur ut medicamentum, de quo *Galenus* (cujus Capparis longe minus acris, quam ea, quæ ex admodum ferventibus regionibus afferebatur, quæ plurimum habuit causticæ qualitatis) „ Radicis cortex „ Vir-

(*) London Medical Observations & Enquiries.

„ vincentem habet qualitatem amaram, proxime acrem, deinde acerbam, ex
„ quo liquet, quod diversis pugnantibusque constet facultatibus, quippe, ab-
„ stergere, perpurgare, incidere potest amaritudine, excalfacere, incidere, di-
„ gerere acrimonia, porro contrahere, densare, constringere acerbitate: *Hip-*
„ *pocrates* insuper folio & cortice utebatur ad anum procidentem ".

Radicis cortex valet ubi fructus, sed validior est. Usu externo, Ulcus quodvis vetus, sordidum & callosum purgat & desiccat; oris exulcerationes speciatim in aceto cocta tollit. Cum aceto trita uligines albas extergit. Radix foliaque trita duritias strumasque discutiunt, & parotidas, cortice nempe in aqua elixato & cum vino commixto, facto cataplasmate. Memini me, inquit *Aëtius*, aliquando foliis solis strumosam duritiem intra paucos dies discussisse; admiscendum autem ipsis aliquid quod vehementiam facultatis ipsorum obtundat.

Per aures purgat, & amaritate sua aurium vermiculos enecat succus infusus, vel decoctum in aqua. Dente demorsa, radix ejus dolori auxiliatur.

Spleneticis, seu lienibus induratis, usu externo & interno, si quid aliud, authore *Galeno*, juvat, si nempe cum hordeacea farina, vel hydrelæo subacta, emplastri modo imponatur; nec sufficit per topica fortia medicamenta splenem induratum curare, sed etiam per fortissimas potiones, ex quarum numero primas partes sibi vindicant cortices radicum Capparidis.

NOTÆ. Caules & Fructus, *seu potius* Flores, antequam è gemmis erumpunt, apud nos quoque cibi gratia condiuntur stomachum roborantes, & viribus Cortici radicis respondentes, nisi quod ad omnia sunt imbecilliores.

Folia gustus aliquantum amari.

Cortex radicis apud nos quoque describitur saporis esse amaricantis, subacris, austeriusculi, omni verum qualitate debilior & proinde viribus infirmior quam Capparis Veterum.

D. *CAPRIFOLIUM* Periclymenum non perfoliatum Germanicum C. B. *Wood-bine, hony suckle.*

Legitimum Periclymenum vix adhuc compertum est, proinde vires, Periclymeno a *Galeno* tributæ, Caprifolio non tribuendæ: veruntamen Caprifolii qualitates sensibiles videntur confirmare testimonia quædam de viribus ejus notatu non indignis; nempe,

Flores odoris sunt gratissimi, saporis subdulcis, acris. Decoctum eorum adstringens est, & viridescit addito Vitriolo Martis.

Externe extergent Ulcera sordida, sanant impetigines, aliasque cutis maculas abstergent. Dicuntur esse valde diuretici

Folia recentia & ficca aliquantum mucilaginosa sunt, saporis subdulcis & leguminosi quid redolentis, parumque amaricantis & acris in gutture; acrimonia & calore tarde se expediente: adest & aliquid adstringens, decoctum enim magis fusci coloris fiebat, addito Vitriolo Martis, & infusum inde viridescebat. Porro folia aliquantum rubefaciunt Chartam cæruleam.

Hæc Experimenta favent testimoniis authorum, decoctum vulnerarium esse, & in specie valere curandis vulneribus capitis & crurum, & ad mala gutturis: haud temere damnatur tamen a quibusdam usus foliorum in gargarismis in inflammationibus faucium incipientibus, etsi forte locum habere possit in tumoribus faucium, a frigidis humoribus ortis.

Porro, recentia contusa & lacti ebutyrato infusa, dicuntur affrictu Verrucas absumpsisse; & Succus fertur esse diureticus.

His præmissis, audiri meretur *Linnæus*, Caprifolii decoctis vim sanguinem purificandi insignem inesse afferens.

N. *CARANNA* Gummi.

Adfertur ex Carthagena, Novæ Hispaniæ provincia, improprie dicta Gummi, est enim fere mera Resina, flammam alens, in Oleo & Alcohole solubilis.

Monardes hanc primus descripsit.

Odorem spirat Lavendulæ, si fricetur, fragrantem; si accendatur, Tacamahaca graviorem; saporis est resinosi, aliquantum calidi, acris, amaricantis.

Ea utuntur Indi in tumoribus & omnis generis doloribus, ad eosdem morbos laudata, quos Tacamahaca curare solet, ast minore temporis spatio vires suas exerit. Mira est ejus vis in juncturarum doloribus, nam imposita facile illos curat, modo nulla sit calidorum humorum influxio.

Defluxiones in oculos & alias partes reprimit, pone aures vel temporibus applicata, prius cum terebinthina malaxata. Tumores inveteratos resolvit.

Vulnera recentia, præsertim nervorum & juncturarum sola sanat.

C. 1. *CARDAMINE.* Nasturtium pratense magno flore C. B. *Ladies smock or Cuckow flower.*

2. *CARDAMINE pumila Bellidis folio.* Alpina *Ger emac. Raii, Synops.* *Daisy leaved Ladies smock.* An Sisymbrium alterum & Cardamine *Dioscoridis?*

Forte neutrum horum omnibus notis Sisymbrii alterius *Dioscoridis* convenit, congeneres tamen videntur, & earundem virium, quas Sisymbrio alteri adscribit *Dioscorides*, Cardamine nonnullis dictum, quod gustu cardamum, id est, Nasturtium repræsentet.

Cum

Cum ſiccum ſit, tertii eſt ordinis excalfacientium & deſiccantium, cum humidum & viride, ſecundi. Purgat lentigines ac vitia cutis in facie a ſolis ardore contractas, nocte tota impoſitum & mane abſterſum. Urinas movet. Cruda etiamnum eſtur.

NOTÆ. Calida eſt & acris, ſed minus quam Naſturtium, Sinapi & Raphanus ruſticanus: aliquando eſtur cruda.

In Acetariis uſurpatur & in juſculis verno tempore ad ſanguinem purificandum.

Acrimonia ejus inſigniter volatilis eſt, nam in foliis ſiccis perit (ſecus quam in Siſymbrio ſupra) & Aqua deſtillata inſipida eſt, ut & reſiduum a deſtillatione.

Decoctum prodit amarorem.

C. *CARDAMOMUM.* Græcis Καρδάμωμον, quaſi Naſturtium ſuave, Arabibus Cordumeni. Cardamomi minoris ſemen. Cardamomum in officinis ſimpliciter dictum. *The leſſer Cardamum.*

Conſentio *Caſparo Hoffmanno*, eos, qui Cardamomum noſtrum veterum eſſe nolunt, nimis accuratos eſſe, ut in Cinnamomo & Caſſia. Notæ enim Cardamomi apud *Dioſcoridem*, *Galenum* & *Democratem*, & Cordumeni apud *Serapionem*, ſatis conveniunt Cardamomo noſtro.

Odorem gravem ſpirat, caput ferientem, guſtu acre eſt, ſubamarum, calidæ admodum facultatis, non tamen æque ac Naſturtium, etſi exulcerare dicatur in cataplaſmate impoſitum, adeoque ad iſchiadicos in emplaſtro cum aliis imponitur. Amaritudine lumbricos interficit, & cum Aceto valenter pſoras detergit. Purgat nares. Diſcutit, & ad ſugillata cum myrrha imponitur.

Tormina & inflationes ventris ſedat. Fœtus in utero ſuffitu enecat. Menſtrua & urinam provocat. Ad tuſſim veterem facit, & ex aqua potum ad epilepticos, iſchiadicos, paralyſin, rupta, convulſa, tormina. Ex vino potum renum vitio laborantibus, difficulter mejentibus, a ſcorpione ictis, omnibusque, quos virulenta animalia venenis appetiverunt.

NOTÆ. Odor ſaporque ſuavis eſt, palatum grato afficiens calore & blando; ſapor ſubamarus: Contuſi odor, ut Camphoræ: maſticanti ſalivam elicit; ut piper Anhelitum commendat.

Acre eſt, ſed inflammationem non inducit, quum enim pene ab omnibus aliis aromatibus ardere ſoleant fauces, ſola Cardamoma ſolvuntur ſuaviter & blande penetrant: hinc, authore *Bontio*, nullum aroma eſt ſanius pectori ac ventriculo, utpote nullum empyreuma in ore nec viſceribus relinquens; proinde abſque alio cibo comedi poteſt, ſecus quam Piper & Zinziber, & in cibis con-

condiendis, præsertim carnibus & piscibus elixis, apud Malaios in summo usu est, iis enim fragrantem gustum addit, & concoctioni juvandæ mire conducit.

Ventriculum roborat, intestinorum flatus resolvit, nec minus in vertigine aliisque morbis capitis, & ad confortandam memoriam valet. Qui Cerebrum humidum habent & tabaci fumo delectantur, grana aliquot ei permiscent utiliter, seu & per se si mastucentur mala inde enata præcavent.

Virtus extrahitur non tantum Spiritu Vini rectificato, sed fere integre Aqua; quippe vix ullum e seminibus aromaticis calorem suum æque impertit aquæ, vel adeo abundat gummosa materie, quo principio fit solubilis in aqua; infusum enim adeo mucilaginosum est, ut vix filtrum transeat. Tinctura autem spirituosa longe gratior est quam aquosa.

D. *GRANA PARADISI.* Cardamomum maximum. Grana Paradisi *Park. Theatr.* Meleguetta C. B. *Grains of Paradise.*

Odor aromaticus, sapor fere ut Cubebarum acerrimus, linguam fere exurens, amaricans.

Acrimonia non, ut Cardamomi, hæret in partibus volatilibus, seu Oleo essentiali, sed in resinosis & fixis, ut in Pipere.

Flatus discutit, Urinas ciet, menstrua movet.

C. *CARDIACA* J. B. & *Park.* Marrubium, Cardiaca dictum, forte primum *Theophrasti* C. B. *Mother wort.*

Non est Alysson *Dioscoridis* nec *Plinii*. Consentio tamen *Cæsalpino*, Cardiacam hanc nostram quam proxime accedere ad descriptionem & effectus sensibiles Alyssi apud *Galenum* & *Aëtium*, proinde spero, me hic non temere allegare quæ *Galenus* & *Aëtius*, necnon *Ægineta* de Alysso prodidere, scil.
" siccantem, discutientem, digerentem, & simul nonnihil abstergentem vim
" habet, & hac ratione vitiligines & maculas faciei, a sole provocatas, depur-
" gat. Mirifice juvat morsos a cane rabido, sed & rabientes data sola sæpe in
" totum sanavit" unde nomen suum Alysson habet.

NOTÆ. Odoris est validi, ingrati, instar Lamii, saporis amari, acris, acrimonia in siccâ non sensibili. Decoctum amarum est & calidum, sed non mutatur ejus calor addito Vitriolo Martis, proinde de viribus, hisce attributis a *Dodonæo* & *Gerardo*, adstringendi, inflammationem arcendi & sanguinem sistendi, dubitare licet; verum iis potius fidendum, qui asserunt Urinam & Menses ciere, partum difficilem promovere, in palpitatione cordis & affectibus hystericis mirandæ esse efficaciæ, necnon pectus a pituita detergere, quem in finem datur decoctum herbæ vel pulvis cum saccharo mixtus, & ob speciales vires in affectibus hystericis hæc planta nostratibus audit *Mother wort.*

D. *CAR-*

D. *CARDUUS BENEDICTUS.* Cnicus sylvestris hirsutior, sive Carduus benedictus C. B. *The blessed Thistle*: forte Cnicus sylvestris hirsutior *Theophrasti*: de cujus viribus haud aliquid è Veteribus petendum.

Folia Odoris sunt resinosi authore *Alstone*, saporis amarissimi cum tantilla acredine, &c, secundum experimenta in Academia Berolinensi A. D. 1747. recensita, Sale communi divites, sed in experimento apud *Lewis* in *Mat. Med.* Extractum, aliquot menses servatum, crystallos exhibuit Nitriformes amaricantes cum sensu frigoris.

Guttæ vij spiritus sulphuris, additæ libris duabus decocti fortis Cardui benedicti, amaritudinem sustulerunt paucis diebus.

In fotibus ut & in cataplasmatibus sugillationes discutit. Decoctum sudorem ciet.

Est & antiseptica, ulceribus pravis & cariei repurgandæ utilis; imo & cancrosis ac erodentibus, asperso ejus pulvere, necnon succo & decocto.

Decoctum vel infusum forte Vomitum movet, sed Infusum levius & debilius, unius nempe vel alterius horæ, optimum exerit effectum in appetitu & concoctione perditis, nam præ aliis plantis amaris melius retinetur & minus calefacit.

In febre Intermittente tertiana & quartana laudatur Succus ad ℥ß vel infusum in vino Rhenano. Vinum autem ex eo factum præfertur Absinthiaco, ventriculo magis gratum. Vermes enecat.

Laudatur in pituitosis Ventriculi & Capitis affectibus, hemicrania, vertigine & in Scorbuto.

CARICA. Ficus maturus. Grossus Ficus viridis. Vid. *Ficus.*

C. *CARTHAMUS.* Cnicus sativus, sive Carthamum offic. C. B. Carthamus Arabum. Cnicus Græcorum. *Bastard Saffron.*

Cnici semen, quo solo ad purgationes utimur, est tertii ordinis excalfacientium, uti comperiet quis, authore *Galeno*, si forinsecus admoto ipso uti velit. Pituitam & bilem, sed non vehementer, evacuat. Succus Lac cogit: seminis contusi & expressi succus ex aqua mulsa aut gallinacei jusculo alvum purgat, sed stomacho adversatur. Fiunt & ex eo placentulæ, alvum emollientes, adjectis succo amygdalis, nitro, aniso & melle cocto. Hæ in frusta quatuor magnitudinis nucis juglandis dividuntur, e quibus ante cœnam duo triave sumenda sunt & sic Cnicum aliquando obsoniis indebatur, utpote purgans sanis conveniens & in ptisana ad solvendam alvum senum. Oleum è semine presso simi-

lem præstat effectum. Quidam aniso, melli, amygdalisque commiscent, ac catapotia ad arquatos conficiunt.

NOTÆ. Inodorus est; Medulla pinguis, ex partibus oleosis & mucilaginosis constans, saporis subdulcis, mox leviter amaricantis, nauseosi, & aliquantum acris in gutture, ingrati.

Vomitu & dejectione purgat. Aves quædam hoc esitant, indeque pinguescunt. Temperat acrimoniam lymphæ, pectori tussique convenit, sed stomacho adversatur. tardæ est operationis, unde admisceri solent semen anisi, radix Galangæ, zinziber vel sal gemmæ ad expediendam purgationem.

C. *CARUM.* Careum. Cuminum pratense. Carui offic. C. B. *Caraways.*

Recte *Matthiolus* ait, Cari historiam qui scribat Antiquorum reperio neminem, quo fit, ut alia ratione comprobare nequirem Carum, quo passim utimur, esse legitimum, nisi ab ipsius facultate, quæ facillime gustu deprehendi potest.

Semen moderate acrem qualitatem possidet. Excalfacit, urinam movet, flatum extinguit, stomacho utile orique gratum, concoctionem adjuvat, ac utiliter antidotis & oxyporis admiscetur: non parva est illi cum aniso convenientia.

NOTÆ. Odor & sapor Cari aromaticus est, sapor acris, calidus.

Pani compinsitur, caseis adjicitur, necnon jusculis carnium, piscium & placentis, hos omnes cibos commendans, odore jucundo.

Multum Olei fundit & pars aromatica tota elevatur per destillationem, residuo non amaro, nec ingrato, secus quam in plerisque seminibus calidis in Europa nascentibus.

Spiritus Vini rectificatus totam virtutem extrahit: Infusi aquosi sapor longe debilior est quam spirituosi, proinde exhibendi forma optima est ut Vino infundatur.

Externe Epithemata partibus sugillatis & mammis, a lacte coagulato tumefactis, imponuntur in sacculo lineo: vel panis, ex furno recenter extractus, & dissectus, hinc inde excavatus & hoc semine repletus, calidissime ventri applicatur ad flatus discutiendos. Similiter surdastrorum auribus applicatur. Acidularum potatores hoc semine, sacharo obducto, sæpius utuntur.

Egregium est carminans, & dicitur acidum in primis viis temperare, potenter corrigere, miraque præstare in melancholia & vertigine. In specie expertum est remedium in Colica & torminibus stomachi gravissimis cum diarrhœa ex potu immodico & nocivo, a ℈j ad ʒß in jusculo calido, vel Olei destillati gtt. v ad x. Menstrua pellit.

C. CA-

C. *CARYOPHYLLATA* vulg. C. B. *Avens.* Radix.

Forte Geum *Plinii*, scil. radiculas tenues habens & bene olentes; nec [illegible] discrepant.

Tempore verno diffecta odorem suavem instar Caryophyllorum aroma[illegible]rum spirat. Sapor austerus est, subacris. masticatur ab iis, quorum a[illegible] fœtet.

Infusum foliorum & radicis austerum est & cum Vitriolo Martis nig[illegible]scit. Decoctum radicis cærulescit cum eodem. Radix rubefacit char[illegible] cæruleam.

Succus austerus amaricans cum Vitriolo Martis nigrescit, coagulatur [illegible] Alcalicis volatilibus & fixis, clamor fit cum Acidis; albumen ovi & [illegible] sanguinis leviter coagulat. Dicitur corrigere lymphæ acescentiam.

Authore *Paracelso* aliisque, Cerevisiæ indita eam a corruptione & præ[illegible]tura præservat acescentia, articulos & viscera roborat; necnon Vinis medicatis, ut summum Antacidum inditur, [illegible] odore & sapore jucundissimo commendans, quod calide potum dolorem ventriculi a frigiditate aut flatibus ortum sedat.

Vulnera sanantur decocto; quo & Ulcera eluuntur bono cum successu. Fistulas & Carcinomata purgat & mundat Vinum, in quo radix decocta fit.

Diuretica est & leniter diaphoretica.

Venerem stimulat, & infusum in palpitatione cordis prodest.

Decoctum radicis affectibus catarrhalibus chronicis, mediante sudore, mirabiliter medetur & ligni sassafras locum forte supplere potest.

Decoctum ex ℥ij, in aquæ aut zythogalactis ℔j, ad ½ consumptionem ad febres tertianas, duabus horis ante paroxysmum aut etiam in paroxysmo ipso, optimo cum successu propinari solet.

Pulvis ad sanguinem dissolvendum in iis, qui ex alto deciderunt, usurpatur, quin & ad hernias, dysenterias, hæmoptoën & menses nimios.

Radix & folia in nodulo ligata, amuleti instar appensa, plurimum valere dicuntur ad robur oculorum, ad epiphoram & affluxum humorum ad oculos arcendum effluviis suis balsamicis.

N. *CARYOPHYLLI AROMATICI.* Cloves.

Non inveniuntur apud *Dioscoridem* nec *Galenum* nisi in libris spuriis. *Plinii* Caryophyllon videtur ab his diversum.

Innotuerunt Arabibus & forte *Paulo*. Caryophyllus, authore *Avicenna*, calidus

dus & siccus est in tertio. Oris odorem bonum efficit. Confortat stomachum & hepar, vomitum & nauseam sistit.

NOTÆ. Caryophyllorum odor aromaticus est & gratus, sapor acris, linguam fere urens, subamarus, masticanti salivam copiose elicit; simul adstrictione non vacat, quam patefacit addendo Vitriolum Martis ejus infuso, quod inde nigrescit, etsi authores de hac qualitate sileant.

Longe calidiores sunt quam Nux moschata.

Oleo essentiali valde scatent: Acu confixi oleum emittunt ut Nux moschata, & instar candelæ inflammabiles sunt.

Tenentur in ore ab Indis ad oris halitum corrigendum, ad præcavendum contagium, & pro sialogogo in paralysi linguæ. In sacculis admoti sistunt vomitum

Acori peregrino in corpore nostro resistunt & phlegma incidunt, affectibus frigidis nervinis succurrunt, v. g. lipothymiæ, vertigini, paralysi, caput, cor, stomachum ac nervos confortantes.

Usu interno quoque Vomi[illegible]unt, Ventriculum roborant, flatus expellunt, & speciatim in diarrhoea [illegible]ca flatuosa valent.

Dicuntur urinam ciere & menses.

Tinctura spirituosa calida indole superat Caryophyllos ipsos, & magnam in carie ossium efficaciam monstrat, si cum aliis appropriatis ad justam quantitatem misceatur.

N. *CARYOPHYLLUS RUBER.* Tunica Vetonica. Caryophyllus altilis major C. B. *Clove July flower.*

Odor aromaticus lenis, qui, ut in Rosa, perit in siccis (& proinde vires cardiacæ reperiuntur, præcipue in infusione recentium) sapor subamarus, dulcis, subadstringens, acris in gutture, succus quoque acris est in ore & gutture.

Infusi aquosi color ruber mutabatur in fuscum, addito Vitriolo viridi, in uno experimento & in altero in cæruleum vividum.

Succus cum alcalicis viridis erat, cum acidis pulchre ruber.

Inter Cardiaca non immerito locatur, ad animi deliquia, palpitationes & omnes cordis affectus; ad vertiginem, convulsiones & tremores utilis; in febribus malignis laudatur: stuporibus & vertigini obnoxios levat.

C. *CASEUS.* *Cheese.*

Damnatur plerumque apud veteres omnis fere Caseus, utpote alimentum crassum & glutinosum exhibens, quod ægre concoquatur, ac flatum, adstrictionem & obstructiones pariat. Caseo frequentius vescentibus lapilli in renibus sæpe gignun-

gignuntur, & capillosis similia in urina efferuntur. attamen aliquando mirabiliter gracilibus profuisse fertur.

Permagna est in caseis differentia, tum pro animalium natura, tum pro præparandi modis, & ipsorum caseorum ætate. In quibusdam aciditas superat, in aliis acrimonia, aut pinguetudo aut dulcedo. Ubi butyrum cum toto lacte coagulatum fuerit, seroso duntaxat humore per coagulationem separato, pinguis caseus efficitur.

Dum paratur, assumit ab injecto coagulo acrimoniam, atque humiditatem omnem deponit, &, potissimum si inveteraverit, acrior & calidior evadens, sitim magis excitans, & ad concoquendum difficilior. Oxygalactinus (qui ex acido lacte fit) minus ægre concoquitur, & minus ægre transit, neque valde crassi succi est. Magnum rustici vulnus conglutinavit impositus. plus quoque glutinat vulnera quam caseus recens mollis, &, præter vim repercutiendi & refrigerandi, digerendi etiam levem quandam vim obtinet.

Moderate salsus potior est eo qui nullum salem accepit. Is omnium præstantissimus est, qui nullam vehementem habet qualitatem, sed cui dulcedo supra alias parum eminet.

Recens inveterato contrarii est temperamenti; sanguinem enim recens incrassat, ac, si bonæ speciei, succum minus crassum & non vitiosum obtinet, qui inveteratis adest, ast flatuosior est minusque adstringit; præterea, authore *Dioscoride*, recens ac minime salsus, in cibo sumptus probe alit, stomacho utilis est, ac facile in membra distribuitur, corpus auget, alvumque leniter mollit, a quibusdam alvi subducendæ gratia ante cibum cum melle editur, & mirabiliter gracilibus conferre autor est *Hippocrates*.

Recens & mollis vim habet repercutiendi, leniter refrigerandi & glutinandi; namque vulnera simplicia glutinare potest in cataplasmate, circumpositus foliis vitis aut lactucæ, in dysenteriis & torminibus immittitur.

Caseus recens salitus, si comedatur, minus alimenti præbet; impositus valet ad sugillata ipse quidem caseus obstruendi meatus vim habet, sed discussoriam & aliquatenus adstringentem ex sale. Sic & Caseus recens cum melle sugillata emendat.

Vetus siccior est & acrior gustu & olfactu, magisque adstringens, alvum sistit, præsertim decoctus & expressus, dein assatus: in farina tritus, præcipue ovillus vetus, cœliacis & dysentericis datur, cyatho casei in cyathis vini tribus.

Caseus vetus, ubi forte fortuna in corpore fuerit supercalfactus, humorem melancholicum parit: prodest tamen, authore *Dioscoride*, oculorum inflammationibus atque sugillatis.

Arthriticus quidam, teste *Galeno*, in articulis tophos habens, caseo vetus-

simo & acerrimo, adeo ut edi non posset, decocto cruris suilli pinguis, veteris ac saliti macerato, & probe in mortario subigendo unito, magnifice adjutus est, rupta enim sponte sua cute effluxere quotidie, citra dolorem, tophorum particulæ; sæpius deinceps hoc cataplasmate uti perseveravit, & experientia multiplici fretus quosdam amicorum, similiter affectorum, ejusdem usum docuit.

NOTÆ. Quemadmodum supra notatum est, Butyrum non expers esse materiæ caseosæ, sic nullus caseus butyri expers est, nisi incoctilis: hinc Spiritus nitri unice casei Hollandici integre solvebat butyraceam materiam, in superficie natantem: Spiritus salis Ammoniaci & Oleum Tartari per deliquium corrodebant, mixturam turbidam exhibentes cum Oleo, superficiei innatante, sed Lixivium alcalinum causticum totum dissolvebat.

Analysi chemica valde differt a Lacte & Butyro; hæc enim exiguam Acidi quantitatem exhibent, sed Caseus magnam quantitatem Alcali volatilis, juxta experimenta *Neumanniana*.

Ex ℥xvj Casei Hollandici, in retorta destillati, elevatæ sunt phlegmatis urinosi ℥vij ʒj gr. x, Spiritus volatilis urinosi ʒij gr. xxx, Salis volatilis urinosi ℥vjß, Olei empyreumatici ℥ij ʒiiß, Capitis mortui ℥ij gr. L.

Exinde patet, hunc Caseum speciem putrefactionis subiisse, ei analogam, qua Vegetabilia in animalem naturam convertuntur; unde hinc illustratur efficacia Casei veteris quatenus Antacidi.

In *Ephem. Germ.* prostat historia Dysenteriæ pervicacis, nullis remediis cedentis, donec æger Caseum veterem ad dosin ℥ij simul & semel devorasset.

C. *CASSIA VETERUM.* Cassia sacræ Scripturæ. Cassia cinnamomea. *Herman. Hort. Lugd. Bat.* Cinnamomum offic. vel Canella sic dicta, quia, ut canna, inanis est Cassia fistula Veterum, a vulgari Cassiâ prorsus diversa. Cassia lignea & Xylocassia Veterum. *Cinnamon.*

Omnem Cassiam, sibi cognitam, Veteres in duo genera diviserunt, in Cassiam ligneam surculis constantem, & Cassiam fistulam, ex cortice solo compositam, in tabulas sive fistulas convoluto.

Nota 1. Cassia lignea vulgaris nostra forte est Pseudocassia *Dioscoridis*, a verâ pro soli cœlique ratione solum differens. 2. Cassia nigra apud *Dioscoridem* & *Galenum* est subdivisio Cassiæ veræ. 3. Forte optimo Cinnamomo Veterum caremus.

Aromatum more odora est, simulque Vini odorem refert, gustu mordax, & cum multo fervore adstringens. Vim habet calfaciendi: incidit digeritque, quæ in corpore sunt, recrementa, & ad hæc etiam robur instrumentis addit.

Pro

Per os data provocat sudorem. Urinas ciet & menstrua, ac prodest, tum insessu tum suffitu, ad laxandos muliebres locos. A vipera demorsis auxiliatur.

Convenit ad ea medicamenta, quæ exacuendæ oculorum aciei concinnantur. Lentigines tollit ex melle illita; &, authore *Dioscoride*, confert epota internis inflammationibus omnibus, renibusque affectis.

NOTÆ. Odoris est suavissimi, gustus suavis, aromatici, gratissimi, acris, subadstringentis.

Infusum aquosum, addito Vitriolo Martis, fiebat primo coloris atro-viridis, dein nigri: Decoctum inde nigrescebat.

Decoctum injectum vasa animalium contrahit.

Spiritus Vini rectificatus, & Spiritus Vini tenuior virtutes extrahit melius, quam Aqua; Infusum vero & Tinctura vinosa longe præstantiora sunt, quam Infusum aquosum.

Sudorem ciet, & præstans est præsidium ad atoniam, virium imbecillitatem, motuum necessariorum languorem & defectum, lipothymiam, paralysin, morbos cerebri & nervorum a relaxatione, palpitationem cordis & passionem hystericam: prodest quoque in fluore albo & febribus intermittentibus.

Porro, ad varios primarum viarum morbos, fœtorem anhelitus, ructus, diarrhœam, hypercatharsin, cardialgiam, colicam flatulentam, & in affectibus capitis ex vitio stomachi ortis; ut & ad pallidos virginum colores, mensium suppressionem, & ubi ex partu difficili partiumque debilitate deficiunt dolores, & amittitur conatus. Contra, decoctum valet in profluvio mensium immodico.

Denique nihil existimatur præstantius & efficacius Oleo Cinnamomi ad præcavendum progressum diri Sphaceli.

N. *CASSIA FISTULA* Arabum. Cassia nigra *Actuarii*, sed non Cassia nigra *Dioscoridis* & *Galeni*: nam Græcis antiquis fuit ignota, ejusque usus primum ostendebatur ab Arabibus.

Lenit pectus & guttur, sedat sitim, acrimoniam bilis & sanguinis frangit. Caret acuitate & mordicatione: tam benigna & innoxia est, ut omni ætate, ipsis etiam pueris & prægnantibus, tuto sumatur.

Confert febribus calidis, & apostematibus internis secundum *Rhazin*.

NOTÆ. Pulpa odoris est aliquantum ingrati, quasi oleosi, glutinosa, valde dulcis, instar Pruni dulcioris, subacris.

Orientalis præfertur, utpote dulcedinis gratioris & minus acris.

In aqua soluta, & in loco frigido reposita, crystallos exhibet ut Tamarindi, vel similes crystallis Tartari.

Interiora rotunda frustula, fistularum loculamenta parietis intergerini instar distinguentia, pulpæ modo purgare dicuntur.

Durante ejus usu Urina sæpe viridis fit, si autem largius sumatur, coloris fusci vel nigrescentis.

Externe tollit asperitatem cutis, & in tumoribus calidis promovet suppurationem, quando cataplasmatibus lenientibus & resolventibus additur.

Alvum lenit, &, dosi ℥j diu usurpata, utilissima est quibus alvus adstricta: a superflua bile aliisque acribus humoribus corpus liberat, & sine dolore purgat, nisi hypochondriacos & flatulentos, vel ubi glutinosa viget bilis, quando murmura & tormina ventris affert, nisi admisceantur semina carminativa.

Calorem immoderatum temperat in febribus ardentibus ubi Alvus adstricta, in renum affectibus, in inflammatione pectoris, abdominis, & morbis ubi alia cathartica lædunt.

Prodest in Ardore Urinæ & Tussi. *Monardes* & *Matthiolus* pro infallibili præservativo a calculo habent ℥ß, quotidie sumptâm tribus horis a prandio.

C CASTANEA SATIVA C. B. *The Chesnut.*

Fructus hi sunt Nuces Euboicæ Veterum, aliis Sardianæ glandes, quas aliqui apud *Dioscoridem* Castaneas aut Jovis glandes appellant.

Cibum hominibus suavem præbent, & ubi aliæ fruges deficiunt, vice panis adhibentur, elixatæ, tostæ vel frixæ, unde flatuositatis plurimum remittunt.

Indi Oleum ex iis facere dicuntur.

Nutriunt eum, qui eas digerit, nutrimento multo crasso; minus tamen acerbæ sunt quam glandes, adstringentem qualitatem valde imbecillem possidentes, (maxime vero adstringunt tunicæ, quæ carnem & putamen intercursant) ventrem minus adstringunt, &, quam alteræ, facilius concoquuntur, nec mali succi quicquam obtinent: fugienda tamen harum copia, utpote crassi succi, ventrem supprimentes, ægre concoctæ, flatum procreantes, & capiti graves, dolorem ejus inducentes.

Sistunt stomachi & ventris fluxiones, sanguinem exscreantibus prosunt. Caro iis, qui ephemerum biberunt, conveniens est.

NOTÆ. Nuclei saporis sunt dulcis, grati: multum Olei continent, quod in torrefactis manifestum fit.

In Italia urbani sub cineribus tostas & decorticatas cum succo Arantiorum aut Limonum & tantillo sacchari mensis secundis apponunt.

Membrana interior rubens adstringit, & pota in vino austero, aut in aqua

aqua, ad tertias cocta, in fluore albo, fluxibus alvi & sanguinis rejectionibus valet.

Cæteroquin Castaneæ non tam adstringunt, quam ad incrassandum & involvendum aptæ sunt ob spissum mucilaginem, pinguibus quibusdam moleculis temperatum.

Si crudæ sumantur multos gignunt flatus, qui ventriculum extendunt & caput turbant.

C. *CASTOREUM.* *Castor.*

Etsi de historiâ Castorei prorsus erraverint Veteres, virium tamen ejus probe gnaros fuisse ex sequenti enumeratione abunde patebit.

Odoris est gravis, sternutamenta olfactu movens, gustus virosi, acris, mordacis, amari.

Quod excalfaciat, manifestum est: nam, si ipsum, ad unguem lævigatum, parti cuipiam infrices, evidenter illam incalescere percipies; & quoniam est abunde tenuium partium, ejus vis major est quam cæterorum, quæ æque calefaciunt & exsiccant: hinc vires ejus ingrediuntur, & penetrant ad imas admotorum corporum, ac potissimum ubi densæ illæ fuerint, ut sunt nerveæ.

Castoreum cum melle pro psilothro per plures dies laudatur.

Lethargicos & alio quocunque veterni genere correptos excitat, vel irrigatum ex aceto & rosaceo, aut fronti colloque impositum, aut suffitu: perfrigerata enim recalefacit, tum foris adhibitum, tum potum, etiamsi utentes eo moderate febricitent: sed *Oribasius* in his affectibus, quibus adjuncta febris est, jubet Castoreum ex rosaceo capiti colloque imponere potius quam ex Oleo.

Duabus drachmis cum pulegio potum Menses ciet, partus secundasque morantes ejicit.

Mensibus retentis, (inquit *Galenus*) ubi per venam, quæ in talo est, modice evacuassem, oblato Castoreo una cum pulegio aut calamintha, semper medicamen hoc expertus sum purgationem ciere absque fœminæ læsione: quod omne ex melicrato potum efficit. Olfactum vel & subditum excitat strangulatas ex utero.

Ex aceto contra inflationes, tormina, singultus & exitialia venena bibitur: imo eos, qui ægre curationem admittunt ob frigidos crassosque humores aut crassos flatulentosque Spiritus, ex Oxycrato potum adjuvat. Injectum valet in Coli dolore. Ad Ileos & inflationes cum dauci semine & petroselini, quantum ternis digitis sumatur, ex mulsi calidi cyathis quatuor.

Prodest tum potu, tum etiam illitu ad tremores, convulsiones, omniaque nervorum vitia, speciatim longinqua horum vitia, quæ nimiis doloribus contrahuntur, eliminare potest. In palpitationibus ex humore frigido, vel *spiritu*

 crasso,

crasso, nebuloso, caliginoso aut flatulento, epotum & extrinsecus impositum, generosum est medicamentum. Comitialibus in aceto cum mulsi cyathis tribus jejunis datur; his vero, qui sæpius corripiuntur, clystere infusum mirifice prodest. Castorei drachmæ duæ sumuntur, mellis & olei sextarius, & aquæ tantumdem. In paroxysmo autem olfactu subvenit cum aceto.

Tremulos adjuvat si ex Oleo perungatur: medetur & ischiadicis, stomachicis & paralyticis perunctum.

Si quis suffitum ejus, in prunis impositi, inspiratione hauriat, maxime proficuum inveniet ad affectus humidos & frigidos in pulmone aut capite. Capitis doloribus medetur cum peucedano & rosaceo extrinsecus admotum.

In aurium dolore Castorei & papaveris succi par pondus, tritum & passo dilutum, instillatur, quod non solum aurium sedat dolorem, sed etiam oculorum, imo & dentium cum Oleo tritum, in aurem lateris affecti instillatum. Ad sonitum aurium internum *Celsus* Castoreum adhibet cum aceto, vel oleo lirino, aut laureo.

In phlegmonis cerebri & ejus membranarum, phlegmonis jam inclinantibus, est utilissimum, quum non continuo his, sed officiis intervenientibus, occurrat; & in phrenitide, si malum traheret, imponebant Castoreum capiti: porro somnum conciliat per se potum ex aqua, & ob id phrenitidem unde

NOTÆ. Castoreum Russicum unctuosum est, inflammabile, & fere liquabile igne. Solvitur tam in spirituosis & oleosis quam in aquosis menstruis, in Spiritu Vini rectificato gratior autem solutio. Porro, solutionem & tincturam dat fortem Aquæ Calci æque ac Spiritui Vini.

Infusum ejus in Aqua animalcula non generat, secus quam infusum Millepedum ac Cantharidum, quod animalcula generat: hinc confirmatur Castorei vis antiseptica.

Antacidum est & videtur esse quasi species salis volatilis oleosi, cui multæ partes terrestres sunt admistæ, hinc saponaceum & non tantum stimulans, sed detergens. In morbis biliosis & inflammatoriis vero noxium.

In tinnitu & similibus affectibus Aurium egregium est, bombaci involutum & auribus applicatum.

Anodynum est, Opii virulentiam corrigit, & ubi Opium defecit, v. g. in Vigilia pertinaci post febrem lentam, Opio non cedente, datum est Castoreum felici cum successu. Porro, sedativos effectus præstat in cardialgia & singultu.

N. *CASSUMMUNIAR*, vel Casimunar. Rikgod. *Mus. Reg. Societ.* Zedoaria radice lutea, *Breyn.* *Cassumunar.*

Radix est plantæ Indiæ Orientalis non bene cognitæ (p).

Odor fragrans, aromaticus, gravis, non absimilis Zinziberi, sapor acris, amaricans fere instar Zedoariæ.

Decoctum Heliotropii solutionem rubefacit, Syrupum Violarum viridem reddit, adeoque notas tum Acidi tum Alcali exhibet.

Flatus expellit: laudatur in affectibus hystericis & lapsu memoriæ: Virtute pollet cephalica & stomachica, Tinctura inde parata cum Spiritu Vini, cochleatim sumpta & etiam extrinsecus illita.

C. *CATAPUTIA* major. Ricinus vulg. C. B. Ricinus *Dioscoridis*, vulgo Palma Christi. Granum regium majus *Mesuæ*. Cici arbor *Plinio*. Cherva *Serapioni*; unde Oleum Cicinum & Oleum de Cherva.

„ Non potui, animadvertere vires & qualitates Ricini Americani ab iis „ discrepare, quas *Dioscorides* & *Galenus* Ricino attribuerunt " inquit *Piso*.

Fructus vim habet purgandi, detergendi & per halitum evaporandi. Grana tusa & imposita varos & vitia cutis, a sole contracta, depurgant. Numero triginta, purgata tritaque, potu pituitam, bilem aquasque per alvum extrahunt: cient quoque vomitiones; veruntamen admodum ingrata laboriosaque est ejusmodi purgatio, siquidem valenter stomachum subvertit.

Semen nullum animal attingit, ex quo Oleum nomine *Cicinum* exprimitur, cibis quidem ineptum, sed alias lucernis & emplastris utile. Substitui potest Oleo veteri, sed tenuiorum partium est, & ad discutiendum potentius. Exterit vitiligines, maculas solares, lentigines, assiduo illitu. Rarefaciens est, seu cutis meatus reserans: colorem cutis commendat, capillumque sterili natura evocat.

Porro, quum pus moveant pix & resina, oleo & rosaceo subactæ, & ad ferventes phlegmonas ex rosaceo eas liquare oportet, ad frigidiores vero id fieri debet ex calfacientium quopiam, v. g. Cicino. Utendum & hoc oleo ubi durities in ulcere fit, & in sedandis doloribus permultam utilitatem præstat.

Bibitur quoque ad purgationes ventris cum pari aquæ calidæ mensura; aquas per alvum ducit & lumbricos pellit: privatim dicitur purgare præcordia.

Valet

(p) Hanc *Dalæus* inter Zedoarias recenset, eique vim sedantem, roborantem, reficientem, ventriculique tormina pungentes lenientem, tribuit. Celeb. *Pechy* eam pro Cort. peruviano correctorio habet, & ab *Allenis* in Memoriæ lapsu maxime commendatur. Vide *Marloatii* observ. & *Dalei* pharm.

Valet ad psoras & ulcera capitis manantia: prodest sedis inflammationibus, vulvis conversis atque praeclusis, item indecoris cicatricibus & aurium doloribus. Emplastra efficaciora reddit additum.

Authore *Plinio* prodest articulorum morbis, duritiis omnibus, vulvis, auribus, ambustis; cum cinere vero muricum sedis inflammationibus, item psorae.

Confer *Balanum myrepsicam*.

NOTÆ. Ricinus dicitur acidum suum monstrare ex colore rubeo resultante per ejus affrictum ad chartam caeruleam.

Nucleus pinguis est, saporis subdulcis, acris, nauseosi, quippe, notante *Hillo* nostro, duplex praebet Oleum (aeque ac sinapios semen) unum mite & dulce, alterum calidum, igneum, linguam & labia fere exurens, cui vis cathartica debetur.

Grana, intus data, aquas potenter & vermes expellunt.

Oleum e seminibus expressum, tenuiorum est partium & calidius quam Oleum commune, ac proinde etiam discutit & alvum movet à Cochleari j ad iij haustum, quin & gr. viij vel x purgant supra & infra. Pediculos in capitibus infantum necat & apud Ægyptios frequentis est usus in Scabie.

Tres aut quatuor Nuclei comesti valide purgant, & quidem nimis, si pellicula interior non separetur, quae ideo semper adimenda.

C. *CATAPUTIA* minor. Tithymalus latifolius, Cataputia dictus, *Hermann. Cat Lugd. Bat.* Lathyris major C. B. Granum regium minus *Mesvae*. *Garden Spurge*.

Lathyris apud *Dioscoridem* convenit huic plantae, & hoc nomine catalogo nostro inseri meretur, quod usque adeo mitior sit quam plerique tithymali, ut antiqui dubitarint an inter tithymalos collocanda esset. Semen enim apud eos & nostrates describitur gustantibus dulce aut subdulce: saltem, *Dioscoridi* grana, corticibus exuta, dulcia: sed qui vehementius purgari volunt, grana cum folliculis ipsis sumant oportet, authore *Plinio*: itaque inventum est ut cum pisce aut jure gallinaceo sumerentur.

Vim purgatoriam maxime possident, stomachum laedunt. Authore *Dioscoride*, grana vij, vel viij, *Aëtio* x vel xv majora, & xx minora in catapotio, vel esitata, & cum caricis aut palmulis devorata, alvum purgant, trahunt bilem, pituitam & aquas; aqua vero frigida postea sorbenda.

NOTÆ. In hortis nostris frequens est.

Folia ob vim corrosivam vix in usu sunt. Etiam sicca calorem excitabant in ore & gutture septem horas durantem, & linguam excoriabant.

Folia trita cum lacte bubulo adhibentur ubi scopus est locum depilem reddere, adeo ut nunquam posthac crescant pili.

Deco-

Decoqui possunt in jure carnium, & in potu usurpari ad purgandam alvum & vomitiones movendas.

Lac tollit Verrucas, & cum oleo miscetur ad depilationem, acrius quam herba & semen.

In Experimentis *Floyeri* Lac bullas excitavit cum aceto, sed quiescebat cum Sp. C. C.

Grana seu semen tantum pro usu pharmaceutico adhibentur, quæ, etsi ab authoribus describantur subdulces, acrimoniæ non sunt expertes, verum acria & calida in gutture.

D. *CENTAURIUM MINUS*, C. B. *Small purple Century.*

Flores valde amari, magis quam folia, minus amari quam Absinthium. In loco montano ubi humilis erat herba, notavi odorem leniter aromaticum & acrimoniam sensibilem. hoc singulare de centaurio nostro notat *Hillius* in sua *Materia Medica*, quod inter destillandum in retorta phlegma primum destillans acre sit.

Vis leviter adstringens haud temere ei tribuitur; nam adstrictionis aliquid sentitur in decocto, palatum & labia leviter corrugante, & per infusum florum siccorum in aqua color corticis Aurantiorum mutabatur in fuscum cum sedimento fusco, addito Vitriolo viridi.

Acetum Decocto affundebatur, effervescebat mixtura, Amaror evanuit, & simul Aciditas, acido & amaro se mutuo destruentibus.

Succus fluiditatem retinet cum liquoribus alcalinis, secus quam succus Eupatorii cannabini, Euphrasiæ, Verbenæ, tanquam ad Alcali magis tendens. Succus enim summitatum Centaurii minoris magis pellucidus fiebat, & color flavescens fere ad rubedinem evehebatur ab affusis Alcalinis, contra ab Acidis turbidus evasit & lacteus. His tamen non obstantibus, notante *Tournefortio* flores & folia satis rubefaciunt chartam cæruleam.

Herba confert glutinandis vulneribus recentibus & ulceribus inveteratis, quæ abstergendo siccandoque glutinat, & carne replet.

Decoctum in aqua, appositum externis partibus contusis & sanguine diffusis, discutit sanguinem extravasatum, coagulatum. Ulcera putrida egregie repurgantur decocto ejus elota.

Si in lixivio decoquatur capillos optime deterget & dealbat, unde Italis *Biondella* vocatur; sic enim etiam ex brodio decoctum furfures & scabiem capitis pediculosque fugat.

Succus cum melle Oculis illitus caliginem tollit.

Gentianæ viribus convenit, ventriculum roborando.

Vermibus magis infestum quam Absinthium, Ascaridum colluviem extinguens.

Urinam & menses movet, venasque hæmorrhoidales aperit.

Vocari solet planta febrifuga, ad ʒj sumpta, ob egregium ejus usum fugandi febres Intermittentes, etiam chronicas, præmisso Vomitu, &, sic curati, dicuntur minus obnoxii esse recidivis.

Si m. j cum floribus dimidia mensura vini albi vel aquæ ad dimidias coquatur & potetur, bilem crassosque humores per alvum exigit, authore *Trago*; & eandem potionem, mane & vesperi per aliquot dies sumptam, jecoris lienisque obstructiones solvere refert.

Exemplum prostat in *Ephemeridibus Germanicis* duorum Hydropicorum curatorum sumpto pulvere per novem dies continuos.

C. *CÆPA*, vel Cepa vulg. C. B. *Onions.*

Omnes mordacitatis sunt participes, quæ minus odoratum quam gustum offendunt. odor lachrymas ciet, nec linguam solum mordicat, sed & omnem reliquam nostram carnem. Est ex quarto ordine calfacientium. Cuti imposita hanc erodit & exulcerat.

Iis, qui Cæpas amplius comederunt, acris, mordax calor thoracis sentitur, manu thoraci ad explorandum applicata.

Rufa acrior quam candida, cruda quam assata, aut sale condita. Radix caule & foliis acrior.

Extrinsecus inter alia, quæ per sternutamenta evocantur, & quæ odore fœtido movent, ad lethargicos excitandos admovetur.

Infusus succus caput per nares purgat. Succus cum melle permistus & auriculæ instillatus, auditus gravitatem minuit, auriumque sonitum sedat, purulenta expurgat, vermes enecat, aquam etiam quæ ingressa fuerit, & omnem humorem educit. Dolores aurium, a sola frigiditate obortos, curat, atque in hunc usum quidam rustici magnas cæpas exsculpunt, deinde oleo eas explent, & in fervente cinere moderate calefaciunt, atque ita auribus infundunt. In dolore ad dentes colluendos succum instillavere.

Olfactu ipso & delachrymatione oculorum caligini medetur, magis vero succi inunctio ex melle, quæ & oculorum hebetudinibus, albuginibus, nubeculis, & incipientibus suffusionibus præ crassitudine humorum auxiliatur: & anginati eo perunguntur.

Detractis corticibus, in oleum conjectæ, hæmorrhoidas reliquosque excretionum exitus reserant, subditæ pro balanis, vel cum aceto inunctæ.

Psoras, necnon Alopecias fricuere quidam, tusis cæpis, ad pilos evocandos.

Suc-

Succus, cum aceto in sole perunctus, vitiligines sanat, cum pari spodio scabras & lippitudines sedat. Varos quoque cum sale reprimit.

Cocta & cum uva passa aut fico imposita, panos seu tubercula maturat & rumpit.

Ulcera oris sanare traduntur commanducatæ cum pane: & succum instillavere plagis bestiarum omnium, privatum scorpionum

Coctas dysentericis vescendas dedere, & contra lumborum dolores.

Ad urinas commodæ sunt, ast coctæ dicuntur potentius urinam pellere. Menses cient Strangulatas ex utero olfactu excitant, & earum lachryma in uteri strangulatione ex vino aut aqua prodest.

Flatus gignunt, fastidium pariunt, expurgant, sitim creant, alvo utiles sunt, præcordiis & concoctioni; in cibo quoque ad colorem pulchrum conciliandum, & si jejuni quotidie edant, firmitudinem valetudinis custodire & alvum mollire dicuntur: aviditas coitus putatur cibis e cæpa fieri, ut viro erucâ, pecori cæpâ.

Humores crassos tenuant lentosque incidunt, si tamen bis terve fuerint elixæ, acrimoniam deponunt, tenuant tamen adhuc, & alimentum corpori dant paucissimum, quod certe priusquam elixæ essent, omnino non dabant. Quatenus cibus unice iis, qui succum pituitosum, crudum vel crassum ac lentum acervarint, accommodatæ, supervacuum per alvum, sudorem & urinam secernentes.

Sic Gallinaceos pituita tentatos sanare solent, & Cæpa fructuose utitur senex, qui cibis obstruentibus usus sit.

Ex aquâ bibendum succum dedere repente obmutescentibus.

Usus earum immoderatus aliquando febrem suscitavit. Copiosius sumptæ caput replent & inflammant, capitis dolores cientes, & largius per adversam valetudinem esitatæ, quantumvis coctæ, lethargum accersunt.

NOTÆ. Succus fere lacteus, aliquantum mucilaginosus & dulcis, acrimonia minor quam Allii, & longe volatilior, nec in aqua destillata, nec in decocto sensibilis, vi omni levi cocturâ evanescente.

Eâ vescentium Lac odore & sapore suo inficit, & odorem suum retinet peracta fermentatione, secus quam fit cum Vegetabilibus aculis.

Ad Pilos revocandos applicatur Cæpa recens transcissa mane & vesperi donec locus rubeat, pruriatque, vel Cæpa cruda in binas partes dissecta, melli intincta & toti capiti, novaculâ prius raso, inuncta.

Cocta & imposita maturat & rumpit Apostemata. assata tumores duros emollit.

Pernioni confert cocta & imposita. Cataplasma e Cæpis tostis & butyro præstans est ad hæmorrhoidas.

In

In ambustis leviter mollita cæpa aut ejus succus levat, vel cruda & cum sale subacta, statimque imposita parti dolenti priusquam pustula excitetur; empyreuma enim extrahit, & vesiculas prohibet.

Calculi frustula indebantur Massæ Cæparum, Cochleariæ & radicis Raphani rusticani & seorsim digerebantur in fimo per xiij dies: successit nil mutationis a Cochlearia nec a Raphano rusticano; verum a Cæpa corrodebantur; quod quoque eveniebat a Succo Cepæ cum Aquâ.

Acidos ructus sedat, transpirationem insensilem promovet; usus ejus continuus semen genitale auget. Mane cruda cum sale & pane loco Theriacæ esitari solet contra aëris contagium.

Externe Diuresin excitat renibus aut pubi applicata, necnon usu interno.

Alvum laxat copiose in cibo sumpta.

Pituitosis prodest, & cibus conducens est iis, qui phlegma viscosum in ventriculo fovent; biliosos lædit.

Convenit in Asthmate pituitoso & morbis pulmonis cum melle cocta & agitata; in Tussi desperata quoque laudatur decoctum. Vermifuga est.

Exemplum insigne prostat in *Ephem. Germ.* viri Ascitici ad sanitatem restituti, sumendo Cæpas crudas, & coctas in cibo, & decoctum in potu per mensem, unde Urinæ fluxus largus.

Succus cum æquali parte Spiritus Vini instillatus ad guttas aliquot auditus difficultatem tollit.

Ad cephalæam commendatur Epithema sequens: ℞. Cæpam albam per medium incisam; in Spiritu Vini maceretur & capiti applicetur.

C. *CERA ALBA & FLAVA. Wax white & yellow.*

Optima subfulva, pinguis, odorata, & halitum quadantenus melleum referens. Candida fit coquendo in aqua marina, insperso nitri momento, & postea insolando. Nova pro medicamento melior, magis pinguis, & magis mollis.

Cera frigore congelatur, igne liquescit: minus acris & calida est quam Pix.

Nonnullæ Ceræ acres sunt, quas sequenti methodo eluere oportet. Liquantur primum ad ignem, deinde in aqua fontis pura demerguntur, ubi permoventur & purgantur. Cera Pontica amara est, ex absinthio amaritudinem acquirens ita ut si sexcenties eam laveris, prorsum tamen omnium amaritudinem haud elueris. Fugienda vero est hæc, & illa Cera, quæ ex acri & thymoso melle conficitur, cum exinde ab omni mordacitate alienum præparare medicamentum nequires.

Cera dulcis est ex mitigantium natura; fuerit autem Cera dulcis quæ natura talis est, vel quæ in aqua bona elota est, ea enim mordacitatis expers.

Em-

Emplasticam vim obtinet Cera elota, deposita quam habebat a melle acrimoniam, & nervis detectis cum aliis prodest.

Quum temperata sit, aliorum medicamentorum materia est, medium quodammodo tenens calefacientium, refrigerantium, humectantium & siccantium. Ipsa vero per se ipsam ex leniter concoquentibus est, habet enim quidquam digerentis eandemque potentiam, quæ plurima melli inerat ipsa tamen per se vix atque adeo calida, ut pus movere possit, sola phlegmonis ferventibus apta, ex calidorum oleorum quopiam liquata.

Est ex primo ordine emollientium, emolliens lenissime, quo ad exiguas durities, & in mollibus seu teneris corporibus uti expedit, qualia sunt Butyrum, Colophonia & Cera candida, non vetusta. Emollientium autem imbecillimum est Cera cum butyro liquefacta.

In Hordeolo, sive tuberculis oculorum, quæ κριθαὶ i. e. Hordea appellantur, aquâ decoctionis hordei fove oculos, vel Cerâ albâ.

Authore *Dioscoride*, Cera vim habet Ulcera mediocriter explendi, verum notat *Galenus*, ad malignorum & difficulter cicatrisantium Ulcerum curationem eligendam esse Ceram recentem & pinguem, sed per se solam non convenire ulcerum dictorum curationi. Ulcera enim, carne implenda, pharmaco exsiccante & detergente sine morsu indigent; verum, Cerâ solâ imposita, Ulcus sordidum evadet, ut quæ nec detergere nec exsiccare possit. Ærugine autem adjecta mordet, rodit & phlegmonem excitat, quare horum utrumque si evitandum sit, medium aliud ex ambobus conficiemus, imbecillius quidem ærugine, valentius autem cerâ: dura autem corpora, v. g. agricolarum ac venatorum ex copiosiore ærugine admista carnem recipiunt; molliora vero corpora, v. g. mulierum & puerorum, ex pauciore.

Additur Cera porro ad sorbitiones dysentericas, & ejus deglutita milii magnitudine grana decem præveniunt lactis in stomacho coagulum.

NOTÆ. Cera est sudor oleosus plantæ, vi solis eductus & inspissatus, ab apibus collectus, eam ope pedum suorum rastratorum abradentibus, & ad alvearia deferentibus; ideoque Cera pertinet ad Vegetabilium, non Animalium classem, quum apum corpora non ingrediatur.

Longe minus tenax est quam Pix, inflammabilis, & tota in igne avolat. Solvitur in Oleo, non in aquosis menstruis in Spiritu Vini rectificato soluta transit in substantiam gelatinosam, quæ, ut & Cera ipsa, addendo solutionem spissam gummi Arabici, vel hujus pulverem, solvitur ad parandam Emulsionem.

Alba proprie est flava, multiplici insolatione albescens; hac enim particulæ volatiles & calefacientes inde avolant, unde flava magis ad resolvendum, alba

ad refrigerandum usurpatur; & Candelæ cereæ, ad vias urinæ & calculum vesicæ usurpari solitæ, magis ex cera alba parantur.

Magisterium seu Butyrum Ceræ fit ex ea, soluta in Spiritu Vini filtrataque, ut remaneat in chartula instar Butyri, quod edulcoratum, & ad ℈j propinatum, valet eximie ad Dysenteriam, flatus discutit & colicos dolores sedat.

Est & alius modus hoc præparandi, nempe per destillationem, ubi Spiritus, Ceræ dictus, est phlegma cum tantillo salis acidi; reliquum in retorta non durescit, sed remanet substantia mollis, pinguis, Butyrum Ceræ dictum.

Butyro Ceræ hoc singulare est, quod quo sæpius destillatur, eo liquidius fit contra naturam Oleorum reliquorum; omnia enim alia Olea cohobata relinquunt post se terram in retorta, hoc vero neutiquam.

Butyrum hoc emollientissimum est, & præcellens ad fissuras mammarum, labiorum & papillarum, convenit in Ulceribus sordidis cum scirrhositatibus, demulcens, mundans & cicatrice obducens. Est & bonum resolvens in tumoribus frigidis & doloribus juncturarum.

Cera ipsa usu externo suppurans est quatenus poros obstruit, perspirationem inhibet &, licet viribus concoctricibus nostris haud vincatur, usu tamen interno non prohibenda est, quia & contra Dysenterias pertinaces egregium est medicamentum.

C. *CERASA* rubra & nigra. *Red & black Cherries.* Cerasa sativa C. B. Primitus *Cerna*, postea mista appellatione *Cerna Cerasa* appellata.

Authore *Plinio*, ante victoriam Mithridaticam *L. Luculli*, non fuere in Italiâ, è Cerasunte, Ponti oppido, ad Romam allata.

Plinius, præter alias differentias, meminit rubræ & nigræ; verum apud nos magna est varietas, quæ quotidie insitione & cultura augetur.

Quædam sunt moris similia, cujusmodi sunt ea, quæ minimam habent adstrictionem, alia ruborum fructui, ut ea quæ evidentius adstringunt; quædam alia autem valentius iis adstringunt.

Recentia matura, dulcia, humida & lenta sunt, bonam & lubricam alvum faciunt, & quæ in intestinis sunt subducunt; sicca, immatura & austera alvum sistunt.

Acida pituitosis excrementosisque stomachis sunt apta: desiccant & nonnihil etiam incidunt: porro, refrigerant, corporis squalorem caloremque æstate curant, sed minus refrigerant quando dulcedinem adustam habent.

NOTÆ. Reperiuntur dulcia, acida, acido-dulcia, amara. Acida in febrili æstu, & siti utilia, antiseptica sunt, appetentiam invitant, pituitam incidunt.

Dul-

Dulcia matura diarrhœam excitant, & sunt quasi sapones acidi solventes succos & in obstructionibus viscerum & atra bile valent.

Rubrorum Aqua destulatæ sapor amaricans gratus est, qualis & est Spiritus Vini, cui nigra infusa sunt, & inter destillandum adscendit aliquid amaroris.

Rubrorum residuum a destillatione dulce est, acidulo, adstringens; sed non mutatur addito Vitriolo viridi.

Recipientibus exhaustis indita per plures dies emittunt magnam quantitatem Aëris.

Commode exsiccantur pro siticulosis febrientibus; in pulpam etiam excoquunt Brasilienses. Ex lbs Succi rubrorum & nigrorum, balneo vaporis exhalati, fere ℥j Extracti subacidi, dulcis, grati, austeri acquisivi.

Nuclei, qua valde amari, abstergunt, & Oleum eorum maculas & lentigines aufert.

Aqua, e Nucleis destillata, fortis est; scil. lbij ex lbxiv Nucleorum Venenum est, simile Veneno Aquæ Laurocerasi.

C. *CERUSSA.* *White Lead.*

Usta fit Sandyx Græcorum, quod Minium nostrum.

Est ex eorum genere quæ, potu sumpta, lethalem vim obtinent, cujus effectus & curationem vide libro 6° *Dioscoridis* de Venenis.

Gustu non acris, neque mordax, neque digerens, imo adusta, in Sandycem, quam vocant, transeuns, fit medicamentum se ipso tenuius, nondum tamen excalfaciens.

Secundum *Dioscoridem* refrigerat, spiracula cutis obducit, mollit, explet, attenuat, insuperque excrescentia leniter reprimit & cicatricem inducit, in eosque usus miscetur ceratis, emplastris & lenibus, quæ lipara vocantur, itemque pastillis. Addit *Galenus*, vim habere stypticam & desiccantem.

Lavatur, Cadmiæ vel Argenti spumæ modo, ut mordacitatem in aqua deponat; tunc parum quid adstringens habet, fit pharmacum emplastricum, inter calidum & frigidum temperatum, & in morbis oculorum conveniens. Ex Cerussa loto, amylo & papavere conficitur collyrium anodynum in morbis oculorum. Usurpatur tandem ad candorem fœminarum.

NOTÆ. Vera cum spiritu Vitrioli & salis ebullit, non cum Aceto: at adulterata, ob admixtam Cretam, cum Aceto ebullit.

Styptica est & refrigerans, utpote Plumbum aceto corrosum.

Odor mihi semel deprehensus est (scil. ut reor veræ & illotæ) subacidus, sapor subdulcis, austerus: quippe antequam in Emplastrorum, Unguentorum

 aut

rum Collyriorum compositiones veniat, debet ablui aqua simplici aut rosacea, ut mediocriter desiccet & adstringat sine aliqua mordicatione.

Partibus exoriatis inspergitur, & usus est egregii, ad absorbendos humores acidos & salsos, unde Ulceribus saniosis Oculisque inflammatis inspersa plurimum juvat.

" Venenum est dia pulverizantibus aut contercntibus; & fœminæ, notante „ *Brasavolo*, quæ Cerussa pro fuco utuntur, cum veneni maleficium Cerussa „ habeat, halitus inde fœtorem trahunt, dentiumque putredinem, & ante „ tempus facies universa rugis aratur."

D. *CHÆROPHYLLUM* sativum C. B. *Garden Chervil.*

Sylvestris Folia, Caulis & Radix similis sunt odoris & saporis ac sativi, nempe aromatici, suavis, fere instar Fœniculi, palato & ventriculo grati; & Aqua destulata similis est Aquæ destillatæ Fœniculi. Tota planta dulcis est & odorata, acriusculo quodam accedente sapore, vix sensibili, in jusculis gratissima. Estur cruda & cocta cum aliis herbis in acetariis, stomacho & capiti conducens.

Usu externo, fotu & cataplasmate sanguinem coagulatum in partibus contusis & lac in mammis coagulatum resolvit.

Per pannum trajectum, & cum butyro admotum, laudatur in doloribus ventris & retentione Urinæ.

Interne Diureticum est insigne, privatim in Hydrope, succo ad ℥iij vel iv sumpto cum Vino quarta quaque hora in flatibus hypochondriorum egregium, & somnum suaviter inducere, dicitur; quin & in pleuritide, morbis pectoris, & in affectibus, phthisin minitantibus, dicitur bono cum successu usurpari, imprimis Hederæ terrestri associatum.

Succus, cum jusculo assumptus, contra vertiginem specificus est, authore *Dolæo*. Est & Emmenagogum.

C. *CHAMÆDRYS* minor repens C. B. *Germander*

Forte in hoc climate minus calida quam apud *Dioscoridem*, vel quam Cretica: notat tamen *Galenus* in Italia, vere sicco existente, plus redolentem inveniri, quam Creta advectam, quin imo nostræ satis convenit *Galeni* Chamædrys, quæ intense amara est, quodammodo acris, crassitudinem humorum incidens & viscerum obstructiones repurgans.

Excalfacit perunctione. Succus cum Oleo caligines oculorum discutit. Efficax est ad repurganda vetera vel sordida Ulcera cum melle: necnon extrinsecus usurpatur in auribus verminulosis, scabie & pruritu.

Lic-

Lienem induratum ex aceto pota colliquat. Est & adversus venenata animantia potu ex vino illitoque efficax, & ad laterum dolores, pituitamque in gula cohærescentem.

Viridis in aqua decocta & pota ruptis, convulsis, tussi veteri, urinæ difficultate laborantibus, ac incipientibus hydropicis auxiliatur. Menses trahit & fœtus, atque in mulieribus frigidis, fluore albo laborantibus, utilissima esse dicitur.

Authore *Aëtio*, decoctum ipsius, diutius coctum & assidue potum, febre quartanâ correptos liberat.

NOTÆ. Odor ejus est aromaticus, graviusculus, fere instar Lupuli, sapor valde amarus, aliquantum calidus [exoticæ calidior] subacris, & in recessu, ut ajunt, adstringentis; adstrictionis enim participem esse docent Experimenta sequentia, tum a me ipso, tum ab aliis instituta, scil. Decoctum & infusum coloris fusci, & aliquando atro-viridis fiebat addendo frustulum Vitrioli Martis, & succus spissescebat cum liquoribus alcalinis volatilibus & fixis, contra vero fluidior evasit acidis, quemadmodum fit cum infusis adstringentium vegetabilium. Folia non rubefaciunt Chartam cæruleam. Syrupus Violarum inde subviridis fiebat.

Sudorem movet: humores viscidos attenuat, &, vasa roborando, eorum regenerationem præcavet.

Valet contra rheumatismum, podagram, scorbutum utpote attenuans sine multo calore, & communiter præscribitur ad dolores articulorum tam vagos quam fixos, præcipue scorbuticos.

Decoctum remedium est non contemnendum in tussi veteri in temperamento frigido & humido.

Pulvis celebratur apud Ægyptios contra febres intermittentes & testatur *Chomel*, se vidisse febres intermittentes, resistentes Quinquinæ, curatas infuso Chamædryos & Centaurii minoris in vino albo commixtis. Est & Vermifuga.

C. 1. *CHAMÆMELUM* vulgare. Leucanthemum *Dioscoridis* C. B. Anthemis, aliis Chamæmelum dictum, quoniam odorem mali habeat. Anthemium *Theophrasti*. *Chamomile*. Flores & Folia.

Virtus & efficacia cum suavitate calfactoria, & cum dulcedine temperata.

Tenuitate Rosæ persimile; calore vero ad olei vires proxime accedit, tum homini familiares, tum temperatas. Quapropter lassitudini, ut si quid aliud, præprimis confert, doloresque mitigat, tensa remittens & laxans, indurata molliens & constipata rarefaciens.

Calfacit & desiccat, secundum *Galenum*, primo ordine, & est tenuium partium, ac proinde discutiendi, laxandi & rarefaciendi vim obtinet. *Dioscorides* ei vim tribuit excalfaciendi extenuandique.

Si Chamæmelum parti inflammatæ posueris, hæc rara, fusa, mollis, laxaque evadet, multumque illius superfluitatis, quæ sub ipsa continetur, transpirabit, nec livida amplius atque erit, etiamsi plurimis deinceps diebus Chamæmelo utaris, fundere enim ac digerere per halitus potest, haudquaquam contrahere, condensare aut transpirationem prohibere.

Siccum, tritum, oleo perfusum, cute valenter perfricatâ, sudorem provocat: & nonnulli, authore *Dioscoride*, in farinam trito cum oleo utuntur ad illitiones, idque ad febres periodicas abigendas. *Nicephorus Ægyptius* florem purum in summo vigore colligere jubet, eumque in mortario tundere, probe conterere, pastillos mediocres fingere, eosque in umbra diligentissime siccare ac reponere, usûs autem tempore unum ex ipsis terere, oleo primario quod satis est affuso, indeque universum corpus à capite usque ad pedes illinire, in omnibus febribus, ac ægrum, stragulis coopertum, fovere. Sudor enim, inquit, movebitur bonus iis, qui evasuri sunt, & a febre liberabuntur. Nam in plurimis experimento hoc cognitum est, & in peregrinationibus maxime congruum existit ob circumstantiarum facilitatem.

Præcipit etiam in potu pastillos exhibere febricitantibus fabæ quantitate ex aqua calida: &, authore *Galeno*, febres, quæ citra visceris alicujus inflammationem infestant, & percussus solvit, ac præterea, quæ ex humoribus biliosis aut cutis densitate proveniunt. Hypochondriis, si quid aliud, gratum existit; propinatur quoque adversus inflationes & ilei tormina.

In capitis dolore ex vino foveatur caput oleo chamæmelino: capitis dolor febrilis quoque mitigatur irrigationibus ex eodem, in frigidioribus habitudinibus ac hyeme, quinta parte aceti adjectâ.

Est & oleum chamæmelinum mitigatorium in punctúris nervorum.

Exanthemata, quæ ex febris excessu orta sunt, in capite, sanat Chamæmelum, si viride sit, oleo mixtum, si aridum, aceto prius conspersum. Est etiam idoneum in iis, in quibus materia nondum ferri ad caput cessavit, nam eam, quæ in capite est, digerit, & aliunde non trahit, (q) quod nulli, præter hoc, medicamento usu venit.

Ægy-

(q) Hi effectus congrui [illegible] aliquantulum adstringentibus, quas detexerunt in Chamæmelo [illegible] experimenta recentiorum

Ægylopiis seu oculorum fistulis, emplastri modo impositum, medetur, & commanducatum ulcerum eruptiones, quas aphthas nominant, in ore sanat.

Infessione pellit menstrua, partus mortuos, calculos & urinas. Bilem suffusam expurgat atque jecinoris vitia sanat.

Datur drachmæ pondere contra serpentum omnium ictus.

2. *CHAMÆMELUM NOBILE*, seu Leucanthemum odoratius C. B. Romanum *Ger*. *Sweet Scented Chamomile*. Magis odoratum, activum, amarum est quam alterum, fortius in digerendo & sudores ciendo, sed in leniendo & mitigando debilius.

Errore usurpatur flore duplici, nam, quod flore simplici gaudet, duplo fortius est.

Odor aromaticus, subdulcis, sapor amarus, acris & calidus diu masticanti, necnon simul adstringens, præsertim in decocto vel infuso, quod, addito Vitriolo Martis in uno experimento viridescebat, in altero nigrum evasit instar atramenti cum sedimento grumoso, nigro; cui experimento convenit illud hostratus *Hale*, decoctum injectum vasa animalium contrahere.

Decoctum florum in aqua viridem reddit Syrupum Violarum, sed rubefacit solutionem Heliotropii: quin & Chamæmelum vulgare insigniter rubefacit Chartam cæruleam, adeoque notas exhibet Acidi & Alcali: quin & succus non mutabatur ob affusis liquoribus alcalinis nec acidis.

Acidum tamen flores Chamæmeli destruere patet experimentis sequentibus

1. Digerantur florum ℥ij in Vini Rhenani ℔ij per bihorium, novis floribus ad tertiam vicem additis: liquor salsus reddetur tanquam pugilli aliquot salis culinaris in eo liquefacti fuissent.

Hujus decocti Cochlearia ij vel iij ex haustulo vini calidi Colicam nephriticam in pluribus experimentis mirifice curavit.

2. Acetum, decocto admixtum, amarorem florum destruit, & simul aciditatem suam amittit.

Confer dicta de *Centaurio minore* & *Carduo benedicto*.

Denique patet ex *Pringlæi* periculis, his floribus inesse vim antisepticam egregiam, longe validiorem quam salis marini, arcendo putredinem carnis, qualem quoque effectum præstant in fluidis: quinimo Vitellum Ovi putridum dulce reddit, ut & Carnem putridam, simul firmitatem restituens fibris.

Vires suas impertiunt hi Flores tum Aquæ, tum Spiritui Vini rectificato. Ex Vino decoctum Chamæmelum in passione colica dolores instar incantamenti sistere dicitur, & in cardialgia specificum est, decoctum vel in essentia.

Oleum fundunt cæruleum, juxta plures authores, quos redarguit *Elsholtius* expe-

experimentis, nuper institutis Berolini, à *Mangeto* citatus; sed arguit, hoc Oleum cæruleum, per vesicam arte chemica paratum, Chamæmelo fœtido, *Dog's Fennel* dicto, competere, verum Chamæmelum vulgare flavum Oleum præbere, quod forma Elæosacchari in doloribus colicis utile.

Usu externo, præter vim discutiendi, v. g. in duritie mammarum a lacte coagulato, emollit & maturat in Cataplasmatibus, in contusionibus & sanguine congrumato, tumoribus flatulentis post partum, quando mulieres se exponunt aëri frigido, unde uterus inflatur: tunc sacculi inde parati & vino incocti felici cum successu calide applicantur. Admiscetur insuper Clysteribus ad sopiendos dolores infimi ventris. & Decoctio inveteratis malignis ulceribus utilissima est.

Celebrati fuere flores in curandis febribus Intermittentibus a tempore *Dioscoridis* ad hunc usque diem, dato nempe pulvere sæpius in die a ℈ij ad ʒj, etiam ubi Cortex Peruvianus frustra fuisset exhibitus, vel succo ad Cochlearia ij vel iij cum guttulis aliquot Spiritus Vitrioli exhibito.

C. *CHAMÆPITYS* lutea vulgaris, sive folio trifido C. B. Ajuga sive Chamæpitys *Diosc.* Adv. *Lob.* Iva arthritica. *Common Ground pine.*

Tertia species Chamæpityos seu Ajugæ *Dioscoridis* huic optime quadrat.

Odor pino similis, gustus amarus, sapor validior, acer, &, secundum *Galenum*, est in siccando ordinis secundi, in calfaciendo vero tertii

Vires habet acres, diureticas, sudores elicit perunctione, & in urinæ difficultatibus ex aqua decocta bibitur.

Extrahit quæ in utero morantur cum melle subdita in pesso. Menses ducit tum pota, tum apposita cum melle, mortuosque partus, ex aceto cocta & pota, ejicere protinus creditur.

Herba viridis mammarum durities discutit.

Drachmæ duæ tritæ, cum ficubus vel cum melle cocto sumptæ, in catapotiis multam pituitam ducunt. Trita ex vino ventrem movet & prodest intestinorum doloribus.

Herba viridis vulnera magna conglutinat, & ulcera putrescentia sanat. Ad nervos vulneratos privatim idonea, utpote amaritudinem sine adstrictione referens, vel acrimoniam quandam non tamen immodicam.

Expurgat, abstergitque viscera potius quam quod calefaceret, proinde aurigonosis & omnibus, quibus facile jecur obstruitur, bonum est remedium, ex aqua decocta vel in vino pota: ex hydromelite morbum ischiadicum sanat; & ʒß pondere in vino dicitur lumborum dolorem & tussim recentem sanare.

NOTÆ.

NOTÆ. Odor gratus est, balsamicus, sapor amarus. Aliquantulum rubefacit chartam cæruleam.

In mictu sanguinis laudatur, necnon in asthmate convulsivo & in catarrhis. In utero gestantibus interdicitur, utpote abortum faciens.

Infusum instar Theæ torporem & inhabilitatem artuum longo usu restituit; & affectibus frigidis capitis, paralysiac vertigini confert.

CHEIRI. Vid. *Leucoium luteum.*

C. *CHELIDONIUM MAJUS* vulgare C. B. *The greater Celandine.*

Chelidonium minus nostrum Chelidonio minori *Dioscoridis* per omnia convenit, excepta vi acri, nostro omni fere acredine vacante. An ratione soli? Nostrum proinde iis morbis haudquaquam convenire potest, quibus illud conferre, quod in Græciâ nascitur, tradidere *Dioscorides* & *Galenus.*

Chelidonii majoris succus croceus est, acris, mordax, aliquantulum subamarus, graveolens, extergentis admodum & calidæ facultatis.

Ex foliis, radice & fructu, ineunte æstate, succus exprimitur, qui, siccatus in umbra, digeritur in pastillos.

Succus ad acuendum visum commodus est, utique in quibus crassum quiddam in pupilla colligitur digestione atque discussione indigens. Ad hunc finem melli admiscetur, & in æreo vase leniter cinere ferventi decoquitur. Sunt quoque, qui tradiderunt, si quis ex hirudinum pullis excæcatus fuerit, matres, admota herba, illius cæcitati mederi, adeoque visum restituere.

Radix (in multa capillamenta crocea fibrata) imposita cum vino, herpetibus medetur, & commanducata dentium dolorem sedat.

Suppurationes, collectiones & situs ulcerum Chelidonio siccantur, vulnera etiam, adeo ut pro spodio utantur. Strumis medetur. Datur ex vino percussis a serpente.

Radix cum aniso, ex vino albo pota, regium morbum sanat.

NOTÆ. Tota planta odoris est ingrati, gravis instar ovorum coctorum, saporis subamari, subacris, cum sensu caloris in gutture per sesquihoram: in radicibus acrimonia major quam in foliis, quæ extrahitur tum ab aqua, tum a spiritu Vini rectificato. Exsiccatione odor & sapor longe debilior.

Succus croceus linteum tingit colore indelebili, acerrimus est, amarus & urens, saponaceus, acrior quam huis cui alias similis est: non nisi leviter rubefacit chartam cæruleam. Adhibetur a vulgo ad destruendas Verrucas prius incisas, ut succus Tithymali & aliarum plantarum corrosivarum (extrinsecus calo-

calefaciens, inflammans & exulcerans) & ad caligines ac suffusiones oculorum, & ad ulcera oculorum detergenda, sed lacte copiose dilutus.

Illitus Herpetem miliarem compescit & sanat. Dolores dentium finit, &, authore *Brasavolo*, eosdem confirmat, modo putridi non sint. Externe quoque adhibetur Succus in tumoribus pedum, & ad coagulationem lactis auferendam.

Usu interno guttæ 3 vel 4 præscribuntur in Vini haustulo vel alio idoneo vehiculo, egregium forte aperiens in cachexia & hydrope.

Tota planta, contusa & cum Spiritu Vini applicata, potenter resolvit, & a multis tum interne in vulneribus & ulceribus fœdis, scabie, impetigine, pustulis siccis, lentigine, excrescentiis carnosis, clavis pedum, & contusionibus laudatur. Herbæ pulvis vulnera & ulcera purgat, sanatque inspersus.

Folia, flores & radix dicuntur bilem educere per alvum & urinam, alvum nempe laxantes, urinam moventes.

In *Ephemeridibus Germanicis* laudatur, tanquam Febrifugum exploratum, Succus ejus ad Cochleare j vel ss in vino sumptus, vel portio quædam radicis ante paroxysmum in febribus intermittentibus, ægro se ad sudorem componente in lecto, & si opus sit, dosin iterante.

1. C. *CICER ALBUM* Offic. Cicer sativum C. B. Cicer sativum album *Park. Theatr.* *White Ciches.*

2. *CICER RUBRUM & NIGRUM* Offic. Cicer arietinum nigrum vel rubrum *Park. Theatr.* *Red & black Ciches.*

Cicera apud Veteres in cibario usu erant; &, authore *Galeno*, valentius nutriunt, quam Fabæ.

Olerum medicina est Cicer; arcet enim erucas. & Ciceri nullæ bestiolæ in horreis innascuntur.

Inter cibaria calida numeratur, iis convenientia, quibus dominatur frigiditas. Coloris bonitatem eum conciliat.

Huic major est abstergendi facultas quam Fabæ.

Flatuosum est & excretorium, copiosi alimenti, unde valentiorem ventriculum postulat. Jusculum ex hoc præfertur, quod & abstergit & urinam ciet, quandoquidem qualitate id quadam salsilaginosa participat, quamobrem hoc potius, quam ipsius substantia admittendum: & purgat in ictericia.

Ad venerem excitat, equis admissariis exhibetur, seminis & lactis generando aptum.

Alvo movendæ habile & ciendæ urinæ; imo album per alvum secedit, & per urinam ejicitur & alit. Urinam ciet, dato cum Rosmarino adversus morbum

bum regium & hydropem ejus decocto: porro & decoctum, maxime nigri, calculos in renibus atterit, laedit tamen exulceratam vesicam & renes.

Frixum flatum deponit, verum difficilius concoquitur & ventrem magis sistit, crassiorisque succi alimentum corpori exhibet.

Menses ciet, partusque expellit. Farina manantia ulcera sanat. Gangraenis utile est cum melle, & ulceribus cacoethicis.

NOTÆ. Album & nigrum, seu potius rubrum promiscue in usu sunt.

Apud nos & Italos in cibario sunt non tantum cocta, sed & cruda, viridiaque.

Gustu pisum quodammodo resipit, subdulce, subacre in guttore & amaricans: decoctum inodorum est & mucilaginosum, leniens & nutriens; eccoproticum est si liberaliter ad libras aliquot hauriatur: siccum & frixum alvum sistit.

Utimur in cataplasmate ubi emollire & resolvere opus est, v. g. in tumoribus mammarum, testium, parotidum, ad psoras & lichenas.

Inter omnia grana tosta hoc optime imitatur Coffee, & testatur D. *Huxham*, eximias esse Ciceris vires in aqua decocti in variolis maturandis, morbo ad statum procedente; quas vires possidere potionem Coffee ipse quoque asserit, & *Hoffmannus* refert, se plures novisse, qui in calculo comminuendo non sine fructu usurparunt, & cum Milkepedibus praeparatum inter medicamenta calculum depellentia praecipuum esse. Confer dicta de *Lente* infra.

D. *CICHOREUM* sylvestre sive Offic, C. B. *Wild Succory.* Seris Graecorum. Intubus Latinorum. Endivia & Cichoreum *sativum* & *sylvestre*.

Cichorei varia nomina cichoraceis obscuritatem attulerunt: genus enim pro specie, species pro genere, & una species pro altera ponitur, & eodem nomine designatur.

Tota planta repleta est succo amaro, *Picris* ob amaritudinem nuncupato; recens valde amara & magis amara quam hortense. Folia & Radix valde amara, Flores minus.

Exsiccationem non fert, sed arena tectum servatur. Coctionem lenem fert.

Folia & radices aliquantulum rubefaciunt chartam caeruleam; magis autem Flores. Hinc solvitur phaenomenon pro miraculo habitum, scil. flos Cichorei caeruleus, cumulo formicarum abditus, caeruleum colorem in rubeum mutat, videlicet ob odorem subacidum, quem spirant formicae.

Succus Lacteus, amarescens, saponaceus est, dissolvit lentorem humorum, per

urinam eos expellit & alvum leniter stimulat, sordes primarum viarum abstergens, ideoque prædicatur Radix tanquam peculiariter studiosis benefica, quibus sæpe primæ viæ lenta materie obsessæ sunt.

Acuit bilem torpescentem, &, quum lenem temperiem accepit, tum teneris debilioribus, quos aggredi validiore medicamento non tutum est, commodum præbet auxilium, tum præcipue in obstructionibus viscerum incipientibus, vitiis hepaticis, biliosis, ictero, atrophia, catarrhalibus, acribus, serosis humoribus, ulceratione interna hectica aut phthisica, non valde provecta, detergente suaviter ac temperante sua qualitate Radix decocta optime solatur.

Professor quidam Patavinus diu, pluribus medicamentis frustra usus, tandem jusculis cichoraceis, in prima mensa haustis, melancholiam hypochondriacam profligavit.

C. *CICUTA* major C. B. Cicuta Veteribus & Neotericis J. B. *Hemlock.*

Quænam fuerit Cicuta, Venenum Atheniense, nondum patet. D. *Mead* vult non simplex, sed compositum quid fuisse.

Nostra satis convenit Cicutæ *Dioscoridis.* Nomen vetus κώνειον, παρὰ τὸ κωνεῖν, quod est circumagi vel circumverti, quadrat effectui fere perpetuo Extracti ejus in experimentis nuperis: porro & nostram, æque ac illa Veterum, in majori dosi venenum esse nuperrime experientiâ deprehensum est; & *Galenus* inquit, Cicutam non nocere nisi in quantitate.

Folia odoris gravis, tumorem omnem doloremque & epiphoras sedant, & trita igni sacro medentur. Podagras refrigerat cum lithargyro vel axungia; præcipuus autem Succi usus est ad cohibendas epiphoras æstivas & oculorum dolores sedandos circumliti.

Cacuminibus seu coma ipsa, priusquam semina siccescant, contusis succus exprimitur, qui deinde sole densatur atque cogitur in pastillos. Hujus autem rarefacti multiplex in medicina usus, siquidem collyriis, doloris sedandi vi præditis, commode miscetur, & Erysipelata ulceraque serpentia illitu restringit; eatenus usus hujus olim, teste *Oribasio*, notus fuit, ut efficacissimus existimabatur Creticus, Megaricus, Atticus, & is denique, qui in Cilicia conficiebatur

Herba cum coma, trita testibusque circumlita, libidinis in somno imaginationi, simul & seminis profusioni obnoxiis opitulatur, sed & genitalia illita effœta languidioraque reddit. Lac mammis imposita extinguit, Sororiationem impedit, ac puerorum testes nutrimento augeri prohibet.

Pota vertiginem excitat, & oculis caligines offundit: mentis alienatio & artuum

artuum gelatio insequitur; præfocantur tandem, qui eam sumpserunt & nihil sentiunt (r).

Sturnos non modo non refrigerat & enecat, sed eos alit & nimium calefacit. Porro & Asini & Oves eâ impune vescuntur.

NOTÆ. Sapor foliorum est herbaceus & salsus: ac puerorum, Cicutæ fistulis ludentium aut modulantium, qui intra labia eas aliquamdiu continuerunt, labia & os inflantur.

Petiver apud *Raium*, quin & *Raius* ipse, Cicutam in Anglia nascentem non esse venenatam volunt; sed quo argumento? quoniam radix ad ℥j vel ʒj dedevorata sit absque ullo damno, quin & pulvis radicum ad ℈j in febribus malignis, & in quartana ante paroxysmum exhibitus, omnibus aliis diaphoreticis antecellat: addit porro, radicis saporem satis gratum esse, sapori Apii dulcis, *Cellery* vulgo dicti, non absimilem. Sed dicta non impediunt, quod folia & radices ejusdem plantæ sæpe diversis polleant viribus.

Folia enim venenosa esse, imo lethalia plura exempla tristia olim & nuperrime probarunt. Recentia exempla quoque confirmaverunt, foliorum extractum vim possidere, similem aliorum Narcoticorum: ab hac enim herba comesta perierunt plures vertigine, stupore & convulsionibus. Apud *Boerhaavium* prostat historia xij hominum in eadem familia, ex usu foliorum cicutæ fere extinctorum, qui tamen ab usu largo Aceti & Vini post aliquod tempus evasere.

Notari meretur, quod Lac, copiose sumptum, solum se præstitit Antidotum hujus Veneni in exemplo notabili apud Germanos, simile quod & parum a *Dioscoride* notatur.

In nuperis tamen experimentis minore dosi & forma Extracti sumpta medicamentum non contemnendum se præstitit, (s) quare operæ pretium erit pro more qualitates & effectus ejus sensiles describere.

Præter fœtorem, qui caulibus major, ut in recentibus foliis, quam in siccis, acrimonia quoque sensibilis adest, & aliquid caloris in ore & gutture, satis diu durantis.

Spiri-

(r) Effectus allegatos tribuere Veteres vi refrigerandi Cicutam refrigerando enecare ut & Opium similiter explicant, quærere tamen velim, an odor gravissimus huic explicationi non obstet, & an hi effectus ejus vi digerendi & dissolvendi non potius deberent adscribi, & proinde calori potius quam frigori tribuendi sint? Ajunt cum gelatione artuum enecare Cicutam, sed & simile quid obtinet in ebrietatis summo gradu ab usu liquorum fermentatorum: Quis tamen Vinum frigidum ausit affirmare?

(s) Anglus quidem nuperrime detexit, Extractum, ex seminibus paratum ei, quod ex foliis, longe lateque ad usum Medicum esse præferendum. vide *Medical Comment.*

Spiritus Vini rectificatus perfecte extrahit odorem foliorum, tum Extracti. Folia parum rubefaciunt chartam cæruleam. Extrinsecus tumores duros & ganglia potenter discutiunt, cocta cum lacte felici cum successu applicantur hæmorrhoidibus: applicantur quoque locis arthriticis; & *Henr. ab Heers* valdopere commendat recentia applicata in inflammatione, & tumore penis ex nimia venere.

Extractum è foliis sumptum fuit ad ℈ij & ultra; Succus aliquando ad Cochlearia duo in 24 horis. & Extracti devorati Foliorumque, externe applicatorum, in civitate *Dublinensi*, per annos aliquot, Effectus sequentes videbantur præcipui;

1. In tumoribus scrophulosis potenter discutiebant & sæpe curationem perfectam absolvebant.

2. In Cancris, tam occultis quam exulceratis, vis eorum palliativa non deneganda, eorum enim progressum retardando, tumores & dolores minuendo, humorum malignitatem corrigendo, & ad cicatrizationem disponendo.

3. In curatione Ulcerum sordidorum corrosivorum, etiam Mercurio non cedentium, optimi sæpe præstabantur effectus, & sæpe curatio integra perfecta in pessimis hujusmodi casibus.

His adde vim anodynam in curandis doloribus excruciantibus, firm.

Ex ℔j succi, subsidentiâ depurati, decantati & colati, obtinui, Insolatione facta per 3 dies, ℥ß Extracti, quod Extracto Veterum respondet, & proculdubio vires plantæ magis retinet, quare hanc præparationem commendare ausim.

Vid. Annotata ad *Coriandrum* ex *Galeno*.

C. *CINNABARIS NATIVA.* *Native Cinnabar.*

Vox Cinnabaris & Minium apud veteres & recentes res admodum diversas significant, scil. 1. Minium *Dioscoridis* & *Plinii*. Cinnabaris nativa. *Theophrasti* Cinnabaris. *Native Cinnabar.* 2. Minium nostrum. *Red Lead.* Sandyx Veterum. 3. Sanguis draconis. *Dragons blood.* Cinnabaris *Dioscoridis* & *Plinii*.

Parum de viribus Cinnabaris nativæ tradidere *Dioscorides* vel *Plinius*. Prior hæc habet. „ Halitum in fodinis strangulantem exspirat, ideoque, qui in officinis illam tractant, faciem vesicis obvelant, ut per illas spectent, neque tamen vaporem lethalem exspirando trahant." *Plinius* inter venena refert.

Apud posteriores Græcos invenio Emplastrum è Cinnabari admirandum ad tophos in articulis, & ad omnis generis induratos tumores.

NOTÆ. Basis est mercurialium fumigationum, salivationem excitans in suffitu, & ad sanandam luem veneream & scabiem usurpatur.

Alvum

Alvum mollit tum nativa, tum Cinnabaris Antimonii.

E modernis plures negant ejus fieri translationem in sanguinem & vires ejus prorsus similes esse Æthiopi minerali asserunt. D. *Traller* testatur, eam sæpe egredi ut ore ingesta fuit, ex observatione in infantibus. *Cartheuser* pronunciat, Cinnabarim concretam esse iners & fatuum, utpote neque solutam a menstruis aqueis, salsis, spirituosis, neque a concentrata solutione salis Tartari, digestioni calidæ, nostrum calorem superanti, commissam, neque absorbendi acida virtute præditam esse, quum non corrodatur a concentratis acidis: veruntamen notat *Lieutaud*, aliquando ab usu ejus diuturno salivationem excitari, adeoque Mercurii particulas in sanguinem transferri; & huic congrua est Observatio sequens apud Germanos: „ Si Cinnabaris singulis diebus ad ℈j exhibeatur, nullum est dubium, quin Salivationem promoveat; sed raro illa dosis „ ab Autoribus diu exhibetur; idcirco quidem in corpore aliquid movet, sed „ non promovet, & potius nocet Porro & a Cingulo, è Cinnabari cum Sulphure & Pinguedine composito, Lumbis applicato, sequuta est mors infantis „ in duobus exemplis."

N. *CINNABARIS FACTITIA* nostra. *Vermilion.*

Cinnabaris Sulphuris instar olet; & nativa & factitia, & Antimonii Cinnabaris ex iisdem principiis constat.

Minium quoque apud Veteres (ut Cinnabaris apud nos) duplex erat, fossile & factitium; factitium à nostrâ Cinnabari factitiâ longe diversum, alias dicebatur Rubrica Sinopica, ex Ochræ quadam specie, Attica dictæ, facta.

NOTÆ. Fit ex Mercurii ℥xxv & Sulphuris ℥vij: & proinde de Dosi magis constat, cur nativæ præferenda.

Accensa odoris sulphurei est & flammam cæruleam emittit, residuo nigro; & fumus, ore receptus, acidus vel instar aluminis sentitur.

Fumigatione salivationem excitat, & ad ʒj in die, sæpius vel tardius per septimanam usurpata, in ulceribus venereis faucium, in ozænis, & in cancris venereis omnibus aliis remediis præfertur.

CINNAMOMUM. *Cinnamon.* Vid. *Cassia.*

„ Universa Cinnamomi natura similis est quodammodo optimæ Cassiæ." *Galenus.*

C. *CITRIA MALUS.* Malus Medica C. B. *The Citron-tree.* Fructûs, Cortex, & Succus.

Malus Citria, Medica, Assyria vocatur, quia apud Medos, Assyrios, & imprimis apud

apud Persas frequens est. Hinc in Italiam translata fuit, postea in Hispania in usum devenit, ut nemora & campos occuparit hodie. *Fructus Plinii* tempore nondum mandebatur. *Galeni* tempore edules fuere.

Tegumentum suaveolens est & aromaticum, odore & gustu acre. Concoctioni nonnihil confert, & parce sumptum stomacho robur inducit. Arcis vestiariis impositus vestes ab erosionis vitio vindicare creditur.

Acetositas seu succus frigefacit, incidit, tenuat. In Acetum imbecillum conjicitur quo ipsum reddatur acrius. Decocto succoque colluitur os commendandi halitûs gratia.

Estur maxime fructus mulieribus contra malaciam.

Albedo corticis cocta in diarrhœis & albo fluore laudatur.

NOTÆ. Cortex odoris est fragrantis, saporis suaviter amari, subacris, nonnihil fervidi, odoratior quam cortex Limonum, & antidotis convenientior; vires possidet similes iis corticis Aurantiorum, sed majoris lenitatis & suavitatis analepticæ.

Abundat Oleo, quod, derasa flavedine, exprimitur & datur a guttis iij ad vj cum saccharo pro carminativo, & in paralysi linguæ. Per destillationem dat Aquam fragrantem frequentis usus. Vires extrahuntur menstruis aqueis ac Spirituosis.

Lumbricos fugat. Præfertur corticibus Aurantiorum & Limonum ad sedandos motus spasmodicos, & ad dissipandos flatus, unde laudatur in affectibus hystericis, palpitationibus, vertigine, cardialgia, Lypothymia, &c. quin & alvo laxandæ conducit, in quem usum ex eo paratur Electarium de Citro solutivum, ad humores frigidos & pituitosos utile.

Succus seu Acetositas Citrorum quorundam dulces sunt, sed plerorumque succus acidus est, subadstringens, paulo minus acidus, quam succus Limonum, sed plerumque adeo acidus, ut acetum ipsum, frustulo in id injecto, magis acescat.

Succus expressus, colatus, & calefactus ad consumptionem superfluæ humiditatis & in locum frigidum repositus, sal essentiale forma crystallorum dat.

Sitim extinguit, nauseam tollit, vomitum sedat, stomachum roborans.

In morbis & febribus ardentibus, petechialibus tum præcavendis, tum curandis usitatissimus, æstum temperans, &, quum a sudoribus deficiunt spiritus & imbecillitas oritur, sanguinem nimis fluxilem moderate coagulat & malignitati resistit, in scorbuto ex *Aëris* inquinamento præsens est remedium.

Syncopen ex bile, in os ventriculi effusa, arcet abigitque, cruditati nidorosæ & ciborum fastidio succurrit, ebrietati resistit & vertigini conducit.

D. *CITRULLUS*, & fimul *de* reliquis è *feminibus quatuor frigidis*.
N. B. Veteres fub uno nomine σικυς, quod Latini Cucumerem dicunt, intelligunt Cucumerem noftrum, Citrullos & Angurias.

1. *ANGURIA*, Citrullus dicta C. B. *Citruls*.

Semen eft farinaceum, mucilaginofum, faporis aquei & fubdulcis, fimul aliquando fubamaricantis, amygdalis amaris fere convenientis, in gutture fubacre eft, inflammabile, oleumque fudat, & expreffione Oleum exhibet album & dulce, cutim molliens.

Acrimoniam obtundit, temperat ftranguriam æftumque fanguinis in Emulfionibus; ob levem amaritiem & acrimoniam vim blande diureticam & abfterfivam obtinet.

2. D. *CUCUMIS* vulgaris fativus C. B. *Garden Cucumber*.

Seminis fapor fere ut farinæ avenaceæ, fubdulcis, unctuofus, non ingratus. Mucilaginofum eft, flammam nutrit, & expreffione Oleum præbet.

Emollit cutim extrinfecus admotum. Diureticum eft, acrimoniam involvit.

Vid. infra de *carne Cucumeris*.

3. D. *CUCURBITA* major feffilis flore albo C. B. *The Gourd*.

Seminis medullæ fapor dulcis fere ut Avellanæ, vel dulcis aqueus, & fimul leviter acris in gutture: inflammabilis, Oleum copiofe fudat & expreffione, cutim molliens.

Acrimoniam humorum involvit.

4. D. *MELO* vulgaris C. B. *Melon*.

Semen faporis eft aquei, fubdulcis, in gutture fubacris: Mucilaginofum eft, tuffi medetur: Sitim fedat Emulfio, & vigilias in febre maligna abigit. Oleum valde anodynum ex eo trahitur per expreffionem, utile in acrimonia pectoris & ad tollendas maculas rugafque Cutis.

Urinam moderate ciet & ardori ejus medetur: in febribus ardentibus refrigerat.

Omnia, fcil. fingula è Seminibus quatuor dictis refrigerantibus, ficcitatem linguæ tollunt, & Emulfio in fotu temperat æftum partium ambuftarum, & humectat membranas oculi in ophthalmia ficca.

Minus nutriunt quam Amygdalæ, fed magis refrigerant.

N. *COFFEE*. Jafminum Arabicum, Lauri folio, cujus femen *Caffé* dicitur *Juffieu*.

In ufum diæteticum apud nos recepta eft centuria xvij.

Semen recens nullum fere odorem spirat, id quod de tosto verum, nisi fabarum adinstar torreatur. Sapor leguminosus, farinaceus, leviter unctuosus, amaricans. In experimentis D. *Percival* aliquid adstrictionis prodit, colore purpureo inducto Tincturæ ejus cum Spiritu Vini, addita solutione Vitrioli Viridis. Infusum vulgare itidem acquisivit colorem fusco-nigrescentem, addito sale Martis, viridem autem postquam stetisset per biduum. Exinde levis ejus affirmatur adstrictio.

Destilando ex retorta dat fere duplo majorem olei quantitatem, quam Fabæ equinæ, & triplo fere, quam Triticum: nempe ℔j fere ℥iij olei, instar Butyri crassi, dedit (*t*).

Stomachicum est, dosi Medica Sumptum, concoctionem juvat, dissipat flatus; prodesse dicitur phlegmaticis & arcere somnum.

N. *COCCINELLA.* *Cochineal.*

Est novi Orbis (Americæ) novum Medicamentum.

Odoris est mucidi, saporis subacris, subamari, subadstringentis, qui extrahitur menstruis aqueis & spirituosis; salivam sanguineo tingit colore: porro Spiritu Urinæ melius solvitur & ei tincturam præbet saturatiorem quam Aquæ aut Spiritûi Vini; sed ab Acidis fit rubor minus saturatus: qualitas adstringens ulterius patet addendo Salem Martis infuso ejus in aqua, quod inde nigrescit.

Usta fœtet instar Cornu vel pilorum ustorum, & analysi chemica exhibet principia animalibus communia.

Antacida est & fere easdem vires, quas grana Kermes, possidet, cardiacas nempe & sudoriferas (unde in peste & febribus petechialibus sæpe exhibetur;) sed iis virtute stimulante longe superiores, adstrictoria vero longe inferiores, quare Urinæ fluxum potentius ciet, imo & potentius quam Millepedes, ob Salem volatilem fortissimum: urinam tingit colore saturate rubro, & sabulum renum ac vesicæ valde pellit.

Quidam eam adhibuerunt in laxitate dentium ob vim adstrictoriam; quin & præscribitur contra fluxum ventris & abortum.

Vulgo

(*t*) *Mortyn's* Abr. of the phil. Trans. & *Hill*, Mat. Med. *Neumannus*, destillando ℔j, obtinuit

Aquæ - - - - - -	℥v, ʒi ß.
Olei crassi fœtidi - - -	℥vj, ʒß.
Capitis mortui - - - -	℥iv, ℈j.

Vulgo præscribitur dosi à gr. ij ad vj vel viij; sed D. *Alston* ait, tuto dari ad ℈j.

Fertur, celebrem D. *Le Clerc* cum optimo successu in Epilepsia dedisse grana iv ex aquis appropriatis per tres ultimos dies Lunæ.

C. *COCHLEA TERRESTRIS.* Cochlea cinerea maxima edulis, cujus Os operculo crasso gypseo per hyemem clauditur, *Listeri.* *House Snail.*

Cochleæ magni pretii erant apud Veteres, tam ut alimentum, quam medicamentum. Ægre concoquuntur, cum aceto vero & succo aperiunt, ut, qui eis vescantur, pinguescant.

Omnibus testaceis succus est qui ventrem subducit, quare etiam Cochleis terrestribus: quum hæ duram carnem habeant, quæ ægre concoquitur & nutrit, malumque succum generat, quidam, jusculum per oleum & garum condientes, ad Alvi subductionem ipso utuntur. Hujus animalis caro, si hac ut cibo esculento uti velis, prius in aqua elixetur, in aliam aquam dein transferatur, in qua iterum coquenda, & ita condienda donec diligenter flaccida reddatur: in hunc modum præparata alvum quidem sistet, cæterum corpori alimentum egregium dabit.

Est hyemalis cibus. Sanguinem generat crassum & nigrum, proinde senibus cavendum a multo earum (ut Caseı) usu.

Venerem concitant fluviatilium carnes sale asservatæ, & in potu ex vino datæ.

Resocillabis vires Cochleas exhibendo: stomachi enim humiditatem eximunt, &, in modica mole magnam vim possidentes, cumulatim corroborant.

In narem injectæ, extractæ testis, sanguinem è naribus fluentem sistunt, ut & contritæ, fronti illitæ. Prosunt sanguinem exscreantibus, demptâ testâ, tritæ & ex aqua calida à jejunio bibitæ.

Terrestris fluentem Pilum glutinat & cohibet, si quis lentorem viscidum hærentem mucroni acus, trajectæ per carnem ipsius, admoverit.

Carne, ut etiam muco, utitur *Hippocrates* ad procidentem anum illiniendam utpote valide desiccante & glutinante citra morsum & asperitudinem. Si decidat sua descendat testium alter, spumam Cochlearum illitam remedio esse tradunt.

Minutæ latæ, contritæ, illitu pruritum sedant. Crudæ, tritæ cum aquæ tepidæ cyathis tribus, si sorbeantur, tussim sedant.

In stramis exulceratis veteres cum testâ sua illiniuntur, maxime quæ fruticibus

cibus vel falcibus adhærent. Pernionibus ulceratis imponuntur quæ nudæ inveniuntur.

Ad Panos discutiendos quidam Sinopidem admiscent Cochleæ contusæ.

Menses tritæ & impositæ cient: in cibo sumptæ accelerant partum. Eædem ex amylo & tragacantha illitæ profluvia sistunt.

Inanes (sine carne) in potione calculosis datæ medentur. Crudæ, contritæ cum testis suis & ex passo per dies septem aut novem potui datæ, efficaciter dysuriæ prosunt. Exemptas testis tritasque tres in cyatho bibi, sequenti die duas, tertio die unam, ad stillicidium Urinæ emendandum, author est *Plinius*.

Cruda, cum sua testa imposita, hydropicorum tumores discutit, neque prius amovetur quam totus exhauriatur humor. Similiter imponitur in arthriticis articulorum tumoribus, impense deliccans; idemque faciendum in tumoribus, ex ictu natis, difficile solubilibus, & ex contusione facta in auribus, illos enim deficcant.

Arundines, tela, quæque alia extrahenda sunt è Corpore evocant, quæ gregatim folia sectantur, contusæ impositæque cum testis. Podagricas inflammationes leniunt impositæ cum testis.

Aliquando in agro, inquit *Galenus*, carnes ipsas in vulnus, cum nervi vulneratione & contusione factum, tritas imposui, ipsumque vulnus pulchre glutinatum est, & nervus phlegmonem haud perpessus: miscui illis pollinem farinæ a pariete molæ.

Crematæ testæ calfaciendi urendique lepras, vitiligines, ac dentes etiam extergendi vi pollent: oculorum cicatrices & albugines, maculas a Sole contractas ac visûs hebetudines emendant, si testæ cum sua carne ustæ & contritæ cum melle illinantur.

Psoris quoque illinitur cinis, authore *Plinio*, & inanium cinis prodest ad calculos pellendos.

NOTÆ. Saporis mucilaginosi sunt & continent succum glutinosum, sed gelatinam copioso sale volatili temperato imprægnatam. Caro densioris est consistentiæ quam Ostreorum.

Vegetabilibus pascuntur, & proinde minus ad putredinem tendunt quam ea (insecta) quæ animalibus pascuntur.

Vulnera glutinant. Ulcera sanant. Maturant & rumpunt anthraces. Cum testis contusæ, in consistentiam cataplasmatis redactæ, impositæque prosunt in resolvendis & discutiendis tumoribus scrofis & aquosis.

Interne usurpantur ad corrigendam acrimoniam sanguinis in hæmoptoë & Phthi-

phthisi, & plura exempla prostant in *Actis Germanicis* phthiseos his curatæ; & apud nos Decoctum Limacum in Lacte ad hunc usum mense Majo sumendum præscribitur.

Testæ crudæ inter absorbentia, crematæ inter lithontriptica a modernis locantur; quin & crudarum pulvis subtilis a ʒß ad ʒj in vehiculo commodo apud Germanos celebratur (ut apud Veteres) ut remedium contra calculum, utpote potentissime glaream, ex qua generatur calculus, dissolvens, Sabulo multo ab ejus usu cum urina excreto: necnon Cochleas, una cum testis calefactas, & instar cataplasmatis applicatas, usûs esse insignis in doloribus circa juncturas articulorum, & in genere nervoso, discutiendo & attenuando lympham coagulatam.

N. *COCHLEARIA* folio subrotundo C. B. *Garden Scurvygrass.*

Odoris est pungentis, saporis acerrimi, calidi, salsi.

Infusum foliorum tantummodo dilutat Syrupum Violarum, nec chartam cæruleam mutat.

Phlegma, quod inter destillandum primum prodit, turbidum est ab Oleo quodam tenui, acri, pungente, & summe volatili, a quo plantæ odor & sapor acris præcipue pendent.

Folia acria, in decocto perit acrimonia sed restat amaror: proinde datur optime in infuso vel succo.

In hujus Aqua, Alembico *Cold still* dicto destillata, hoc singulare, quod acrimonia ejus adscendat in Aqua, quæ (scil. recens) notabilem acrimoniam possidet, non tamen ultra mensem hanc retinet. Hoc experimento differt a pluribus aliis plantis Antiscorbuticis calidis, v. g. Nasturtio aquatico, Cardamine & Porro, quarum acrimonia perit inter destillandum, nec in Aqua, nec in Extracto sensibilis.

Vis ejus extrahitur menstruis aquosis & spirituosis.

Succus potenter resolvit & cum herbâ contusâ, faciei per sex horas applicata, tollit maculas, sed debet ablui decocto furfuris: & folia, aspersa Spiritu Vini, applicantur in contusionibus.

In aqua cocta Folia Ulcera putrida oris sanant, si sæpe eo colluantur: An ab amarore? perit enim acrimonia coquendo.

Usu interno Bilem inertem acuit. Diuretica est & diaphoretica.

Egregia est in sanandis morbis ab aqua inerti, & a pituita, in scorbuto inerti, & speciatim in morbis ex acido viscido oriundis, & spleni vulgo dicatis, modo viscera sana sint; sed, ubi gingivæ putredine diffluunt, nocet.

C. *COLOCYNTHIS.* Cucurbita sylvestris. Colocynthis fructu rotundo major, quæ Colocynthis *Matthioli* C. B. *Coloquintida.*

Fructus vehementer amarus. Virentis succus spinæ & lumborum ac coxendicum doloribus succurrit, si cum oleo infricetur.

Siccati fructus tritique utilissime miscentur his, quæ clystere infundenda sunt contra coxendicum dolores, nervorum resolutionem & coli vitia, ut quæ pituitam, bilem strigmentaque, & interdum cruenta etiam, eiciant.

Subdita fœtus enecat.

Purgatoriam facultatem vehementem in se continet, detrahens per ventrem tam pituitam, quam bilem luridam,* nonnunquam & atram si cum aqua mulsa detur. In quibus vehemens humorum densatio, quæ ægre dissolvi potest, purgatio ex colocynthide auxiliatur. Dandi proinde iis, qui caput affectum habent, vertiginosis, alteram capitis partem dolentibus, a cephalæa vexatis, comitialibus, sideratis, canino modo convulsis, diutina oculorum fluxione laborantibus, & in obtusa acie oculorum, asthmaticis, diuturna tussi vexatis, in ilearum doloribus inveteratis, singultibus, insuperque arthriticis, in coxendicum morbo, & iis, qui circa renes aut vesicam affectionem habent. Est amarissima, verum homines ad cibum promptiores reddit.

Medulla teratur diu, & ussis tempore quam optime lævigetur in mortario cum aqua mulsa, nam asperitudines, ipsius internis partibus adhærentes, tormina, contractiones, ulcerationes & nervorum per consensum affectiones inducunt. &, si quis mitius purgare voluerit, semen ejiciendum est, & affuso vino dulci intra corticem, lento igne coquendum, vel absque igne per noctem stet, & mane iis propinetur quorum cutem lividæ papulæ deformarint. Purgat optime morbum regium.

NOTÆ. Odoris ingrati Pulpa mucilaginosa, amara, imo felle amarior, & in gutture nauseose amara, dum contunditur afficit os sensu amaroris; est quoque acris.

Non ebullit cum Aqua forti, nec cum Spiritu Vitrioli, verum colorem rubrum satis vividum dat solutioni Heliotropii, qui destruitur addito Oleo Tartari per deliquium; & ejus tinctura in Spiritu Vini magis rubefacit solutionem Heliotropii quam Spiritus Vini solus.

℥viij Aquæ dant ℥ij extracti Gummosi, sed eadem quantitas tantum ʒß extracti Resinosi Spiritûs Vini exhibet.

Decoctum aqueum inspissatum magnam quantitatem, scil. dimidiam ponderis Colocynthidos præbet, quod fortiter purgat, sed tutius & cum minore irritatione quam Colocynthis ipsa, & videtur hæc optima esse ejus præparatio.

A Spiritu Vini totam acrimoniam amittit.

Si dimidium Salis Tartari addatur, nil fere purgat: & sal Tartari cum aqua simplici, vel Spiritus Salis Ammoniaci dicuntur optimi esse ejus correctores.

Violentiam ejus hoc indicat, quod solo tactu & odore abunde & cum magna perturbatione alvum dejiciat, quod experiuntur qui eam pinsunt aut alioqui tractant: unde prudentiores ea non per se utuntur, sed tanquam stimulo aliis purgantibus mitioribus admixto.

Colliquatas sordes sub forma mucosa solet evacuare.

In iis Malis, quæ in imo ventre sunt, sufficit fere inunctio umbilici partiumque vicinarum. Sic felli taurino admixta, ventri infantum applicata, laxat alvum & vermes expellit: ubi inunctio non sufficit, Clysteribus addatur quibus incoquitur pro fortiori Alvi stimulo in affectibus soporosis; sed tum ligari debet in petio, aliter intestina exulcerat.

In suffitu menses ducit, eosque cum aptis corrigentibus valide promovet: Correctio autem potissima consistit in exactissima pulverisatione; nisi enim hoc fiat, partes quædam substantiæ, intestinis adhærentes & vasorum ora arrodentes, instar hirudinis sanguinem trahunt. Porro, authore *Riverio*, corrigitur amaror & operatio ejus vehemens infusione in urina; sic enim vehementia illius infringitur adeo ut ad ℨj tuto exhiberi queat, fitque excellens ad morbos capitis a causa frigida oriundos remedium. Sic equidem ab urina extrahuntur partes actuosæ, quod & Aqua & Vino fieri potest.

Ad pituitam crassam vitream & viscidissimam expurgandam, imprimis in incrustatione a pituita acida nil melius.

Seminis multo majorem dosin quam Medullæ dedit *Lobelius*, majore commodo & multo minore tumultu.

C. *CONSOLIDA* major C. B. Symphytum alterum *Dioscoridis*. *The greater Comfrey.* Radices.

Glutinosæ sunt, & *Galenus* simul iis tribuit aliquid amaroris & mordacitatis. Carnium frusta, quibuscum coquuntur, cogunt ita, ut coalescant.

Tritæ & potæ sanguinem excreantibus, ruptisque proficiunt, & recentia vulnera imposita conglutinant.

Inflammationibus sedis cum Senecionis foliis utiliter illiniuntur.

NOTÆ. Radicis Succus spissior est, quantitas ejus major, magisque viscosus quam radicis Altheæ, & subdulcis; Caulis quoque valde mucilaginosus.

Radix rubefacit chartam cæruleam plus quam Folia, & proinde plus acidi continere videtur.

Extrinsecus vulnerum sanguinem sistit & vulnera consolidat.

Chirurgi utuntur, quando Fistularum orificia, admodum angusta, dilatare volunt;

volunt; quando ex hac radice turundam parant, radicem in aqua emolliendo; deinde orificiis fistularum intrudunt turundam, quæ a liquido intumescit & dilatat orificia.

Si in vulnere læsus sit Nervus & dolores intolerabiles adsint cum tumore insigni, recipitur mucilago Symphyti & applicatur toti loco affecto: sic evanescit dolor & tumor. Laudabile suggerit præsidium in relaxatione partium, luxationibus, & fractura; confert herniosis; & in balneo usurpatur Virginibus defloratis, mire adstringens partes genitales.

Usu interno acrimoniam involvit & prodest in diarrhœa, dysenteria, hæmoptoe, fluore albo, tussi, mictu cruento, & ardore urinæ.

Saccharo conditæ phthisicis & iis, qui tenuibus acribus humoribus obnoxii sunt, prosunt.

Radices recentes, concisas & impositas ad dolores podagricos, & nonnunquam etiam ischiadicum, leniendum valere iteratis experimentis constitit, quin & multos iis usos fuisse ad brachiorum dolores cum privatione motûs author est *Raius*.

N. *CONTRAYERVA* vel Drakena, a *Francisco Drake*, qui in Angliam primum attulisse videtur, & anno 1581 *Clusio* donavit, qui in *Drakei* honorem eam Drakenæ Radicem nominavit.

Contrayerva dicitur quasi contra Venenum. Odoris est folii ficulnei, saporis aromatici, subacris, (scil. diutius masticata tenuem suavemque acrimoniam linguæ imprimit) amaricantis & nonnihil adstringentis, sed, notante *Alstono*, Vitriolum Martis inde non nigrescit. Pulverisata acrimoniam diutius retinet, quam aromatica leviora, utpote in partibus fixioribus residentem.

Vires ejus extrahuntur calore Aqua & Spiritu Vini rectificato.

Potenter sudorifera est & antiseptica: in febribus lentis malignis mediocriter calefacit, quin & in pleuritide & artuum doloribus, & in omnibus morbis, ubi sudore opus est, valet.

Febrium intermittentium, ante paroxysmum sumpta, paroxysmi vigorem minuit, ejusque usu continuato plane tollitur febris. Ventris animalia pellit.

D. *CONVOLVULUS MAJOR* albus C. B. *Great Bindweed.*

Radix & Planta succo lacteo turget & gratum Suibus alimentum præbet, quod miratur *Joannes Bauhinus*, quum catharticæ sint: Succus ejus lacteus tamen, authore *Listero*, fatua acris est.

Radix *Hoffmanno Scammonium Germanicum* appellatur, vim habens catharticam.

Folia, caulis & radix subdulcia sunt, subamara & subacria in gutture.

Præ-

Prævotius in *Medic. Pauperum* inter benigne evacuantia locat: usurpatur in decocto a m. j ad ij.

D. *CONVOLVULUS* maritimus, Soldanella dictus.

Foliorum sapor subamarus, subacris vel nauseosus in gutture, subsalsus a loco natali.

Vires hærent in lacte. Dosis incerta, quibusdam ℈j in substantia, aliis à ʒ.j ad ʒiv. *Prævotius* dat Extractum è foliorum Succo expresso depurato & condensato, addita quarta parte Macis & Mastiches, a ℈j ad ʒ.j.

Magma decocti mucilaginosum est.

Est hydragogum vehemens, ventriculo adversatur, torsiones & molestias adferens.

Fallopius asparagos hujus commendat in Hydrope.

C. *CONYZA* media. *Middle Fleabane.* Conyza media Asteris flore luteo, vel tertia *Dioscoridis* C. B.

Dioscorides tria genera describit, inquiens, tertiam multo gravioris esse odoris, sed inefficaciorem: &, secundum *Galenum*, major & minor amara est, acris, excalfactoria, & tertii ordinis in excalfaciendo siccandoque

Nostra, media nempe vel tertia *Dioscoridis*, ut videtur, odore saponis à reliquis Conyzis distinguitur, & acrimoniæ non expers est, & dicuntur pecora eam non decerpere: proinde vires insigniores, Conyzæ majori & minori a veteribus adscriptas, huc allegare non gravabor: scil. Herba, ex oleo peruncta, contra rigores, qui per circuitus redeunt, est efficax. Flores & folia ad menses, partusque pellendos in vino bibuntur; & *Hipp.* in libro *de Nat. muliebri*, jubet Conyzam & Castoreum virgini in uteri adscensu jejunæ in vino exhibere. Quin & decoctum insessu Vulvæ vitiis medetur, mensesque purgat, subditus autem Succus abortum infert.

Porro, folia & flores cum vino bibuntur contra urinæ stillicidia, arquatum morbum & tormina.

NOTÆ. Videtur esse minus acris & minus amara quam major & minor Veterum.

Folia recentia odoris sunt satis validi, & digitis compressa instar Saponis vel instar linteorum, sapone repurgatorum, mihi ingrati, saporis acris, amaricantis & aliquantum nauseosi in gutture. Succus quoque subsalsus est, & os aliquantulum calefacit.

Decoctum quoque subacre est in gutture, simul adstringens, & cum Vitriolo Martis viridescit. Infusum subadstringens est, valde amarum in gutture, & cum Vitriolo Martis nigrescebat.

Vires ejus forte Conyzæ Veterum majoris & minoris Inferiores ulterius investigari merentur.

Decoctio herbæ ad Urinam ciendam a vulgo commendatur.

N. *CORALLINA* J. B. Corallina Anglica *Ger.* *Sea Coralline.*

Muscus marinus est duorum generum, alterum *Dioscoridis*, alterum *Plinii*; sed an horum alterutrum sit Corallina nostra non satis liquet: Vires equidem non quadrant: vim anthelminticam non agnovere Veteres, nec quod solvat alvum; contra *Dioscorides* & *Galenus* Musco suo marino vim refrigerandi, spissandi vel adstringendi tribuunt.

NOTÆ. Recens odoris est fœtidi, piscosi, seu concharum marinarum simili, saporis salsi, ingrati. Salsedo est in superficie, & proinde recens a mari melior est.

Omnes Corallinæ, secus quam Algæ & Fuci marini, Salem volatilem notabili copia præbent, & usta fœtent ut Cornu; quin & ab experimentis nuperis patuit, eas esse habitacula Polyporum, & proinde animalis naturæ participes

Solvitur fere integra ab Aqua forti, & valide ebullit cum Aqua forti, Oleo Vitrioli & Aceto. Calcinatione fit Calx viva vera.

Authore *Etmullero* aliisque ad lumbricos infantum remedium est, plerisque Vegetabilibus vermifugis præferendum, & tanto magis si detur crassiuscule contrita, utpote asperitate sua vermes lædens; porro, &, quum vim habeat purgantem, lumbricos non tantum occidit, sed & educit: datur ad ℨj.

Felici cum successu a quibusdam exhibetur in fluxu ventris (sed ablui debet) & in saburra acida ventriculi.

C. *CORALLIUM.* Lithodendron. Corallium rubrum. C. B. *Red Coral.*

Adstringit leniter & refrigerat: contra sanguinis rejectiones exscreationesque efficacissimum: dysentericis convenit.

Excrescentia coërcet. Oculorum cicatrices abstergit. Ulcera eorundem cava explet, ac cicatrices extenuat.

Urinæ difficultate laborantibus auxiliatur. Potum ex aqua lienem absumit.

NOTÆ. Inodorum est & insipidum. In recenti adsunt partes balsamicæ æstuosæ, quæ pereunt ubi diu extra mare servatum fuerit.

Est substantiæ partim animalis; ustum enim odorem emittit qualem Pili, Cornu, Ostrea, prorsus diversum ab odore Fucorum vel Confervarum usto-

aliorum, quæ sæpe odorem emittunt instar Vegetabilium terrestrium.

In igne vulgari leviter calcinatum album fit: similiter infusum vel decoctum in cera alba, oleo terebinthinæ vel in lacte albescit; sed menstrua rubra fiunt, quod non fit a menstruis aqueis, nec ab Oleis expressis olivarum, juglandum & amygdalarum, nec Spiritu Vini.

Succus Citri tincturam extrahit, sed vix durabilem.

In Coralliis rubris menstruum quoddam martiale, in cærulescentibus venereum, in cæruleo-rubicundis venereo martiale principium accedit.

Ebullitio magna fit ab affusis Spiritu Nitri, Oleo Vitrioli vel Aceto.

Solvitur in omnibus Acidis nisi vitriolico, sed per hoc præcipitatur a solutione sua in aliis Acidis. Proinde acida destruunt vim ejus alcalinam & balsamicam, &, ut cum aliis Absorbentibus fit, acidis in corpori as animalium saturatum generat compositum salinum restringens; hinc explicari potest vis adstringens huic tributa a Veteribus.

A Calcinatione fit Calx, & quidem Calce vivâ vulgari acrior.

Corallium album & rubrum minus Acidi saturant quam Creta, Ostrea vel Margaritæ, sed plus quam alia testacea.

Usus externus nullus est nisi mechanicus, v. g. in dentrificiis vel pro insufflatione in oculis equorum.

Usu interno Acidum temperat & obtundit, in diarrhœis, dysenteriis & hæmorrhagiis paulum adstringit. Ardorem ventriculi a bile acida compescit.

Vires habet anodynas & antispasmodicas in doloribus & convulsionibus a saburra acida in primis viis, morbo communi infantium; & forte hac de causa fit ut dicitur Epilepsiam præcavere, si recens nato infanti ante omnem cibum dentur gr. x ex lacte materno.

C. *CORIANDRUM* majus C. B. *Coriander*. Herba & semen.

Odoratum est, acre, amarum, ori gratum. Inter obsonia apud *Galenum* (de attenuante victu) connumeratur cum alliis & cæpis: & authore *Hippocrate*, (de Diæta) somnum conciliat, si postremum edatur.

Effectus ejus, epoti qua veneni, sic a *Dioscoride* describuntur „ Odor Coriandri spirationis & totius corporis venenum prodit: vocem exasperat:
„ insaniam affert a temulentiis non abhorrentem: qui sumpserunt pudenda
„ dicta blaterant. "

Ructu acido affectis Coriandrum, Cochlearii mensura, ante reliquum cibum edendum datur, & merum superbibendum.

Cum faba fresa strumas panosque discutit, &, secundum *Plinium*, omnes tumo-

tumores collectionesque sanat cum melle aut uva passa; panos vero ex aceto tritum.

Authore *Galeno*, succus, cum lacte muliebri oculorum angulis instillatus, ad vehementes oculorum dolorum molestias prodest; &, authore *Marcello Empirico*, viride tritum Coriandrum & mixtum lacte mulieris, super tumorem oculorum inunctum, statim sanat.

Juxta *Dioscoridem* & *Plinium*, vis viridi magna ad ardores refrigerandos, ac, cum pane aut polentâ impositum, erysipelata &, quæ serpunt, Ulcera sanat: cum melle vero & uva passa epinyctidibus, testium inflammationibus carbunculisque medetur.

Succus, cum cerussâ aut lithargyro, necnon & aceto atque rosaceo perunctus, ardentes in summa cute inflammationes emendat.

Verum *Galenus* negat Coriandrum esse refrigeratoriam herbam, utpote tenuium partium & essentiæ amaræ, & quod ad unguem est Erysipelas (quod utique inflammatum est & flavum) haud unquam sanare posse Coriandrum, sed illud quod jam refrigeratum est, scil. postquam inflammatio, fervor & biliosum illud abierint, livorque occuparit, tum Coriandrum cum polentâ salubre esse medicamentum, addit autem, hoc remedium, in intro exhibitum, notabilibus noxis ansam dedisse.

Porro ait, ex iis, quæ scripsit *Dioscorides*, patere, longe lateque a vi refrigerante abesse Coriandrum; nam chœradas sive strumas cum eregmo sive lomento, inquit, discutit, nullum autem refrigerantium medicamentorum idoneum esse discutiendis chœradibus. Confer annotata supra de *Cicuta*.

Semen, exigua quantitate e passo bibitum, lumbricos pellit & genituræ abundantiam facit, at si largius sumptum fuerit, animæ facultates non sine periculo turbat, quamobrem ab ipsius copiosiore frequentioreque usu cavendum.

NOTÆ. Foliorum recentium Odor horrendus, Cimicum instar, digitisque comminutorum teterrimus malignitatem arguit: succus quoque potu venenum est æque ac Cicutæ juxta Veteres.

Semina quoque recentia, certe in Italia, si non in Hispania, halitum gravem emittunt, odore quasi Cimicum ingrato & Anethi grato mixto, exsiccata autem suavem acquirunt odorem, sapore sunt aromatici, amari &, secundum quosdam, subadstringentia, stomachica & carminativa. porro, ad arguendum vitium narcoticorum non experta esse, dicuntur vendi cauponibus coquenda in liquore, *Wort* dicto, ut fiat Cerevisia inebrians. Cerevisiæ tamen, pani & [illegible] valde gratum conciliant saporem, & post cibum assumpta commendantur.

Oleum

Oleum essentiale præcipuam odoris, saporis & activitatis causam materialem constituit. proinde vires perfecte extrahuntur a Spiritu Vini rectificato, minus aquâ.

In *Actis Germanicis* prostat Exemplum Quartanæ curatæ, sumendo ante accessionem ℥ss, infusam Vini albi ℥v per 24 horas.

Authore *Matthiolo* trita & carnibus adspersa impediunt, ne putrescant tam cito quam solent æstatis tempore. Urinam provocant. Quidam dant in hæmoptysi & alvi fluxu.

C. *CORNU CERVI.* *Hartshorn.*

Rasura inodora, insipida, coctionis beneficio gelatinam præbet, adeo ut ex ℥j rasuræ restent tantum fere ʒij & pauca grana.

Errore Rasura hæc dicitur antiseptica; nam si paulisper digeratur in calore simili, qui Ventriculo humano est, statim fœtidum fit & acre, authore *Alstono*, & proinde in morbis acutis, vel ubicunque adsit diathesis ad putredinem, noxia est, contra autem laxis, acido in primis viis laborantibus prodest.

Crudum (mecum, secus quam apud *N. Grew*) non effervescebat cum Oleo Vitrioli etsi cum Spiritu Salis evidenter, adeoque haud inter absorbentia locandum est.

Semiuncia cubica apicis Cornu Cervi destillata præbuit Aëris Uncias 117 & ⅐ partem ponderis totius Cornu.

Gelatina temperata est, analeptica, obtundit quæcunque acria in corpore.

C. *CORNU CERVI* ustum. *Burnt Hartshorn.*

Vis ejus est exsiccatoria & extergens sine mordacitate: hinc affrictum dentes expurgat, candorem iis restituit, & ad contrahendas molitie fluidas gingivas usurpatur, vinoque admistum, postea superimpositum, dentes vacillantes firmat, & ad porriginem prodest similiter adhibitum. Porro utilis est oculorum destillationibus & ulceribus.

Si duorum cochlearum mensura bibatur, confert sanguinem exscreantibus, dysentericis, cœliacis, regio morbo, & vesicæ doloribus cum tragacantha. fœminis item, fluxione vulvæ laborantibus, cum liquore ei affectui accommodato. Suffitur ad strangulatas ex Utero excitandas.

NOTÆ. Convenit Coralliis & aliis testaceis in hoc, quod effervescat & solvatur Acido nitroso, marino & vegetabili, & ab iis præcipitetur Acido vitriolico: porro, solutio ejus in Acido vegetabili manifeste restringens est, unde

 de

de forte derivanda vis ejus in curandis fluxibus, ab unione ejus acidis vegetabilibus in primis viis.

Notandum vero, terram puram Cornu Cervi (ut & aliorum Cornuum & ossium aliorum animalium) a Corallio & reliquis testaceis differre, quod igne non convertatur in Calcem vivam.

Sudores ciet. Vermes necat.

Virtus ejus præcipua est acida corrigere, ab empyreumate tamen acrimoniam aliquam acquisivisse arguit *Hoffmannus* a dolore ab eo excitato, vulneri asperso.

C. *CORNUS.* *The Cornel tree.* Cornus mas sativa. Cornus mas *Theophrasti.* Cornus *Dioscoridis* C. B. Fructus & Folia.

Corna acerba sunt, ut sorba & mespila, dulcedine tamen simul participant. Iis rustici passim vescuntur. Aliquando Sapa condiuntur, aliquando instar olivarum in muria servantur, & ex iis vinum paratur. Exiguum habent alimentum & pravi succi. Alvi profluvio & dysenteriæ salutaria sunt, & pro gargarismis.

Folia quoque & germina gustu acerba sunt, valenterque siccant; itaque maxima vulnera glutinare possunt, potissimum durorum corporum, at parvis vulneribus & mollioribus corporibus contraria, nam nimium ea contendunt, & plus satis desiccant.

Sanies, quam virentia folia torrendo exsudant, impetiginibus utiliter illinitur.

NOTÆ. Fructus immaturus acidus est & valde austerus, maturitate dulcis fit, grate acidus cum tantilla adstrictione. Chartam cæruleam rubore vivido inficit ut Alumen.

Sicca contrita, & cum oleo myrtino aut omphacio mixta, in formam emplastri præsenti auxilio sunt contra vomitiones ventriculo imposita: contra fluxum alvi abdomini imposita: contra menses immodicos pectini & coccygi applicata.

Matura ardorem febrilem & sitim grata aciditate sua lenit.

N. *CORTEX PERUVIANUS.*

In Hispaniam a Peru primum illatus A. D. 1649, & inde in reliquam Europam.

Odoris est mucidi, gravis, subaromatici, saporis amari, nonnihil adstringentis, ingrati. In vero (adulterari enim solet) diffracto cernuntur particulæ splendentes.

Infusum ejus in aqua pulchre viride fit, addendo solutionem salis Martis, non autem nigrum, aut purpureum; porro infusum syrupum Violarum tantum-

commodo diluebat, & solutionem Heliotropii vix rubefecit; proinde Corticis Vires haud acido aut adstringendi facultati insigniori tribuendæ.

Spiritus Vini rectificatus vires ejus extrahit longe plus quam Aqua, magis quam Vinum, & Spiritus Vini tenuis plus quam Aqua.

Spiritus salis Ammoniaci cum Calce viva, & spiritus salis Ammoniaci dulcis intra paucas horas tincturam saturatam extrahit; imo & Calx viva ipsa sequenti modo ℞ Cort. Peruv ℥ij, Calcis vivæ ℥j. Conterantur: dein affunde Aquæ Calcis ℥xxx: stent per xij horas, dein filtra: Dosis ℥iij ter die (*v*). Hæc Tinctura præferri meretur spirituosæ, quoniam non, ut illa, præcipitationem subit additis liquoribus aquosis.

Infusum frigidum ex ℥j ad ℥viij vel xij Aquæ in 24 horis extrahit ejus gummi & resinam plus quam coctio & hac ratione conservatur aroma, ac dosi ℥ij vel iij diu usurpatum in febribus Intermittentibus curandis efficax est.

In experimentis D. *Hale* vasa animalium contrahit, & secundum experimenta D. *Havers* mucum glandularum coagulat; veruntamen sanguinem dissolvit; si enim admisceatur infusio ejus sanguini, hic non coagulatur, quin & qui coagulatur priorem statum suum resumit.

Antisepticum est potens, carnem conservans, ejus putredinem arcens 120^{ies} diutius quam sal marinus in experimentis D. *Pringle*; quin & Caro putrida restituta est decocto Corticis & simul fibris firmatas. Cuti applicatus specie Cataplasmatis dicitur optimum esse remedium contra gangrænam.

Experimentis D. *Macbride* accelerat fermentationem vegetabilium cum carne, & hinc æque ac a vi roborandi vires ejus antisepticæ deducendæ.

Usu etiam interno vires ejus antisepticæ ulterius patent in Gangrænis cum relaxatione vasorum & sanguine dissoluto, in febribus petechialibus cum hæmorrhagiis, in Ulceribus sanosis, sordidis & putridis, in variolis cum maculis purpureis & dejectionibus sanguineis, etiam ubi pulsus celer, ad ℈j secunda vel tertia quaque hora.

In tumoribus glandulosis resolutionem promovet: hinc in Ophthalmiis inveteratis, tumoribus strumosis incipientibus sine cute vel dolore insigni, & in pustulis strumosis prodest (*x*).

Vires ejus roborantes abunde patent, utpote Herculeæ antidoti Hæmoptoes, cum febre recurrere solitæ, authore *Mortono*; audiri tamen meretur *Mead*, scil. perniciosum esse Hecticis illis, quæ cum exulceratione partium ali-

(*v*) *Macbride* Experimental Essays.
(*x*) Lond. Med. Essays.

aliquarum internarum conjunctæ sunt, licet circuitus suos hæ frequenter habeant, & intermittentis aut quotidianæ speciem præbeant.

Calorem sanguinis & mensium fluxum, hunc provenientem, præ quibuscunque aliis remediis, lenit.

Omnia alia superat roborando nervos, a febribus petechialibus debilitatos: & tinctura a ʒj ad ℥ſs quarta, sexta vel octava quaque hora cum guttis x, xv vel xx Elix. Vitrioli ad finem febrium lentarum nervosarum & in putridis malignis vasa roborat, præcavetque ulteriorem sanguinis dissolutionem, & hujus crasin restituit.

Vel simplex vel Chalybi junctus roborat Ventriculum, eupepsiam infert, & ad spiritus stabiliendos summarum virium est. Vermifugus est.

Adversus febres Intermittentes, præsertim quartanas & tertianas autumnales certum est remedium, ad ʒj ter die, vel & ad Uncias tuto aucta dosi, & in Clysteribus æque feliciter succedit, sæpe repetendo, & corticis dosi non parcenda. non tamen in duplici tertiana, semitertiana & quotidiana adeo certum, quin & in continua cum diathesi inflammatoria nocet.

Notandum quoque, in Intermittentibus cum doloribus atrocibus Venæsectionem ejus usui præmittendam esse; & in tempestatibus humidis frigidisque utiliter ei adjungi amara, salia fixa & volatilia.

In affectibus spasmodicis, hystericis, hypochondriacis sine labe Viscerum præstans est remedium, necnon in Chorea Sancti Viti, & in Pertussi, non quidem in recenti nec in pulmonum infarctione, sed potius inveterascente morbo & præsertim præmissa V. S. & emesi, monente *D. Cullen*.

Quinimo usus ejus est insignis in plerisque morbis periodicis, in sudoribus colliquativis, mensium fluxu nimio, fluore albo &c. Aliter dicitur menses & urinas ciere.

Juxta celeberrimum *de Haen* non tantum febrifugum omnium tutissimum est, sed in febre lenta imminutam vim vitalem incitat, pulsum celeriorem reddit, criticosque juvat motus.

D. *COSTUS DULCIS* Offic. *Pharm. Lond.* Costus Arabicus *Dioscoridis*. C. B. *Sweet & bitter Costus.*

Quippe ætate tantum differunt, scil. recens dulcis est, vetus amarus & odoris expers.

Huic Arabicus noster proxime accedit, forte minus acris quam *Galeni* aut *Oribasii*.

Eximii est suavisque odoris, saporis mordacis ac fervidi, leviculam plane amaram, plurimam autem acrem & calidam qualitatem in se continens, adeo ut

ut etiam exulceret, unde ex Oleo corpus eorum, quibus per circuitum rigor invadit ante accessionem illo confricant, ut & paralyticis & ischiadicis.

Porro, lumbricum latum ex aqua pellit ob amaritiem, &, propter eandem proprietatem, discolorem a sole cutem emendat ex aqua & melle illitus.

Per os datus provocat sudorem. Costus in oleo & affrictus expurgat colorationes in ictericis, & sudores movet. A vipera demorsis succurrit semunciæ pondere. Venerem ex mulso stimulat. Urinas ciet. Menses ducit. Utera vitiis humido, tum etiam sicco fotu opitulatur appositus.

Bibitur præterea cum vino & absinthio utiliter contra pectoris dolores, convulsa & inflationes.

Ictericis ob vasorum circum hepar obstructionem auxiliatur, sed non iis, qui ab inflammatione icterici fiunt.

NOTÆ. Dulcis odor similis est Violarum aut Iridis Florentinæ cum aliquantilla hirci graveolentia mixta, & urinam reddit ejusdem odoris, saporis aromatici, acris, subamari: viribus videtur Aristolochiæ convenire.

Ad Cinnamomum in multis accedit, sed minus Olei destillati præbet.

Masticatus a febre maligna præservat.

In ventriculo frigido, colica flatulosa, ut & in asthmate humido proficit; datur chloroticis cum effectu, & in morbis frigidis capitis, ut paralysi & vertigine.

D. *COTULA FOETIDA.* Chamæmelum fœtidum C. B. *Stinking Mayweed.*

Odor ejus fortis est & valde fœtidus; sapor acris, ita ut ab acrimonia puerorum, eam e segete evellentium, excorientur digiti: adest & amaror.

Apibus ingrata & funesta est, ideoque Apiarii hac suas fricant manus cum alvearia castranda sunt, atque sævientium impetus cohibendi, illico enim furore, hujus sensu edomito, mitescunt.

Acrimonia ejus non perit in foliis siccis, nec elevatur in destillatione, sed restat in decocto & extracto: quin & spuma subolescens supernatat decocto, quæ quoque valde acris: unde patet utilitas ejus in cataplasmate caustico *Plunkett* nostri, in curandis cancris celebrato.

Chartam cæruleam vix rubefacit, secus quam Chamæmelum vulgare, quod eandem insigniter rubefacit, argumento Cotulam fœtidam minus acidi, sed plus Olei fœtidi continere.

Decoctum & Infusum ejus viridescebat vel atro-viride fiebat, addito Sale Martis; indicio huic Chamæmelo æque ac Chamæmelo nobili aliquid adstringens adesse.

Huic Experimento quadrat alterum; nempe quod tusa & emplastri modo imposita vulneribus, illa conglutinare reperta fuit.

Geoffroy & alii dicunt, Chamæmeli flores destillando præbere oleum coloris elegantis cærulei instar *sapphyri*, verum experimentis nuperis patuit, hoc competere tantum Cotulæ fœtidæ, Chamæmelum vero nostrum oleum flavum exhibere.

Carminativa est, menses movet, & decoctio in fotu vel cataplasmate insessu & odoratu in suffocatione uterina, æque ac Castoreum valere dicitur. In fotibus valet ad tumores & dolores, & in oleis & unguentis aptius est quam Chamæmelum vulgare ad tumores scrophulosos.

Apud D. *Langrish* prostat historia viri, rheumatismo chronico laborantis, cui artuum motus perditus erat, decocto ejus in Cerevisia theriaca edulcorato, sudorem movente, curati.

An & de hac herba intelligendus *Raius*? „ D. *Strachey* M. D. rei herbariæ „ & totius Medicinæ peritissimus, hujus herbæ decoctum felici successu ad „ scrophulas propinare solet."

C. *CRETA. Chalk.* Terra Cretica *Galeni.* Creta argentaria *Plinii* (y).

Duo apud Veteres veniunt sub nomine Cretæ, scil. Argilla seu Terra pinguis & Terra macra hodie Creta dicta: hinc de medicatis Cretarum viribus tradita reperias, quæ, non Cretæ hodie dictæ, sed terris unctuosis bolaribus competunt; v. g. ubi *Celsus* lib. 2 cap. 3 loquitur de Creta figulari corpori illinienda ad siccandum.

Creticæ terræ inest vis extergendi, quamobrem vasa argentea sordida splendorem ab ea recuperant, itaque & hæc usui fuerit ad ea omnia, ad quæ aliæ omnes, sine morsu extergentes, idoneæ sunt.

Convenit achoribus, i. e. Ulceribus capitis manantibus. Confer vires *Cornu Cervi usti.*

NOTÆ. Omnium terrarum pinguedine orbatissima est, & ex omnibus terris margaceis maxime ebullit cum acidis: linguæ adhæret.

Exigua tantum ejus portio solvitur in acido vitriolico concentrato vel diluto, & parum inde aciditatis suæ perdit; omnia alia Acida eam integre solvunt, etiam Acetum.

Acidum tamen Vitriolicum magnam habet cum ea affinitatem; quippe eam, in aliis Acidis solutam, absorbens & una cum ea materiem selenitica vel gypseam constituens & præcipitans.

Quando combinatur cum lacte acido, vel cum acidis vegetabilibus, qualia occur-

(y) *Eman. da Costa* Nat. Hist. of Fossils.

occurrunt in ventriculo humano, fit compositum magis austerum quam a conjunctione absorbentium animalium cum iisdem acidis; & hinc in alvi fluxibus pertinacibus testaceis & cornu cervi usto præferenda est: in cardialgia & morbis ab acida saburra utilissima: præcavet coagulationem lactis in ventriculo, sed nihil prodest in acrimonia a putredine, vel ab æstuante bile.

Usus est insignis in edulcorandis Aquis, dans dictis, acidum illarum destruendo.

Ad ℈j sumpta cum Vino vel lacte caprino vermes interimit, &, ne altius adscendant, prohibet.

Externe siccat ulcera herpetica, corrodentia, & ea cicatrice obducit: valet ad ichores manantes, ad intertriginem similiaque mala.

Notandum, a largiore usu ejus interno cavendum esse, quoniam inde stypticum crama coit, & noxam inferre potest, quod experiuntur puellæ, palloris aucupes, ab ejus usu immoderato.

C. *CRITHMUM* Crethmum. Romanis Batis. Crithmum seu Fœniculum marinum minus C. B. *Sampire*.

Vix omnibus notis Crithmi apud *Dioscoridem* quadrat, videtur tamen planta ejusdem generis & earundem virium.

Folia salsi simulque odorati & jucundi saporis sunt cum paucula amaritate: cruda coctaque eduntur oleris in modum, ac in muria quoque servantur.

Radix æque grati est odoris & jucundi saporis.

Alvum solvit decocto urinamque, & à renibus humorem trahit. Præsertim usurpantur ad stranguriam Folia, Caulis vel Radices ex vino, daturque Succus ad ciendam Urinam. Colorem corporis gratiorem facit, verum æquo largior usus inflationes.

Datur succus apud *Hipp.* ad menses ciendos. Folia, radix & semen, incocta vino, menses cient, ægre meientibus & regio morbo laborantibus auxiliantur.

NOTÆ. Folia recentia & succus odoris sunt dulcis, aromatici, affinis quasi fœniculo & pastinacæ, saporis salsi, dulcis, aromatici, os & fauces calefacientia instar aromatici, & pro condimento usurpantur ventriculo palatoque grata ac in acetariis & intinctibus.

In siccis fere perit odor & sapor aromaticus.

Radices ejusdem sunt saporis, sed non salsæ, salsedine in foliis in superficie hærente, & a mari derivata.

C. *CROCUS*. Crocum. *Saffron*.

Odoris est jucundi, acuti, præsertim quando diebus serenis colligitur, acrimoniæ

moriens lenis. *Galenus* hunc ponit in secundo ordine excalfacientium, mistæque esse facultatis, discutientis nempe cum paucula adstrictione.

Aqua crocata uti solebant Veteres in rosaceis, vinoque crocato & crocus per se spargebatur in theatris (z). Coronæ ex eo confectæ mulcent ebrietatem. Qui ex passo biberint, crapulam non sentient. Authore *Plinio* somnum facit, & unguentum crocinum cum irino ad somnum conciliandum adhibetur apud *Celsum*.

Mitigat omnes dolores mistus collyriis & antidotis.

Quidam ex ejus usu caput offendi credantur, & in affectionibus, circa caput obortis, vitari oportet; mentem enim perturbat, si largius sumatur, & quidam crediderunt lethalem esse, si drachmarum trium pondere bibendus detur.

Venerem stimulat: amabilem coloris bonitatem facit. Urinam ciet.

Inflammationes concoquit, & vi discussoria præditus est: mollit.

In doloribus oculorum cum lacte instillatur, eorum discutit sistitque inflammationes ex Ovo mistus, vel ex humano lacte impositus.

Quercetus maturans convenit apostematibus oculorum, & doloribus propter humores clausos in anterioribus corneæ.

In doloribus quoque & inflammationibus aurium cum ulceribus prosunt collyria ex croco.

Vergentes ad ignem sacrum inflammationes lenit.

Utiliter inditur cataplasmatibus & nodulis subdendis in uteri & sedis vitiis.

Tollit pruritus. Pharmacis anodynis, colicis dictis, additur utpote crudorum humorum concoctorium. Corrigit putrefactiones. Tussi & pleuritidis utilis est.

NOTÆ Crocus non dicuntur stamina, sed superior pars Styli vel appendix Ovarii, quæ dividitur in tres partes graciles, tubiformes.

Odor ejus acris est, penetrans, non ingratus, & bene siccati magis quam recentioris. Vapor diu eum tractantium oculos afficit fere quemadmodum fumus a ligno accenso. Curlandi & Poloni eo condiunt edulia. Dicitur quoque halitus ejus somnum inducere decumbenti super pulvinar, eo infarctum, quin & majore quantitate soporem lethalem inferre. Sapor acris est, calidus, subamarus, unctuosus. manus tractantium inficit & salivam colore flavo, a tinctoribus usurpatur.

Equis, cum vehentibus, noxius esse dicitur mictum sanguineum inducens, canibus non noxius.

pol-

(z) Not. *Harduin* in *Plinium*.

Præter volatiles, multas quoque fixas partes habet, unde persistat in vigore pulverisatus diutius quam alia aromata. Extractum ejus acrius est quam Crocus ipse.

Tincturam suam & vires impertit Aquæ, Vino, Spiritui Vini rectificato, Spiritui Vini, *Proof Spirit* dicto, & Aceto. Oleum ex eo nihil extrahit.

Substantia ejus solubilis non respondet Balsamo vel Resinæ, nec Gummi; nam Tinctura spirituosa non lactescit cum aqua, sed clara manet, nec Tinctura aquea grumescit, addito Spiritu, ut solutiones substantiarum gummosarum, sed perstat limpida.

Usu externo insignem vim obtinet discutiendi, emolliendi, concoquendi & maturandi tumores & abscessus, item dolores sistendi, unde cataplasmatibus & emplastris, v. g. Oxycroceo dicto Emplastro, pro his scopis immiscetur. Sic, v. g. aliquando cum lacte applicatus fuit ad cruciatus hæmorrhoidum cæcarum & ad dolores podagricos: & paralyticis membris, ac induratis nervis in emplastro oxycroceo apprime confert.

Diaphoreticus est potens & ad Variolas expellendas frequentissimi usus. Urinam eum sumentium tingit colore fere rubro, & Lac inficit.

In Syncope & cordis palpitationibus egregium habetur remedium, modica dosi v. g. a ℈ß ad ℈j sumptus, sensus vegetiores reddens; sed largiore dosi inebrians, cephalalgiam, tremores, risum convulsivum & tandem soporem inducens.

Menses, lochia & secundinas expellit: fœtum vivum ac mortuum educit, unde mulieres quædam eo usæ sunt tanto successu, ut tandem ingens hæmorrhagia secuta est uteri; unde observatum fuit, quod Crocus vim habeat fœtum in utero tingendi, & usus ejus prohibetur iis, qui hæmorrhagiis sunt obnoxii.

Laudatur ad hepatis & lienis obstructiones, & ad morbum regium, ad quem morbum, quæ tenuium sunt partium & ad tingendum apta, plerumque conducunt.

Ob naturam partim resolventem, partim sedantem & balsamicam pulmonibus valde conducit, adeo ut Anima pulmonum propterea audiat. In Asthmate præcipue convulsivo prodest.

D. *CUBEBÆ VULGARES* C. B. *Cubebs.*

Quid sint Cubebæ adhuc ambigitur, aliis hoc, aliis illud Veterum esse Cubebas proferentibus. *Werberus* negat, Cubebas nostras esse Cubebas Arabum, & proinde in horum præscriptionibus non esse usurpandas.

Odor earum est aromaticus, gratus, sapor acris, subamarus, instar piperis, sed minus calidus, adeoque in calidis affectibus in usum vocari potest. Acrimonia earum diu hæret in lingua & salivam copiose elicit.

Ut Piperis, sic harum, acrimonia non hæret in partibus volatilibus, sed fixis; namque Oleo essentiali æthereo abundat, quod præcipuam fragrantiæ, substantia autem resinosa fixa acredinis rationem in se continet.

Usus earum præcipuus est culinarius; iis condiuntur cibi; flatus discutiunt, frigus primarum viarum corrigunt. Masticatæ præservant a contagio aëris & halitui oris conciliant gratiam.

Apud Indos magni usus est ad excitandam Venerem.

Practici utuntur fumo harum & Tabaci accensarum ad salivationem excitandam, & in paralysi linguæ.

Inprimis ad vertiginem, è stomacho ortam, conducunt, & memoriam confortant.

D. *CUCUMIS* seu Cucumer. Cucumis vulgaris sativus C. B. *Common Garden Cucumber.*

Dioscorides & Græci omnes nomen habent σικυς, quod nostri Latini *Cucumerem* dicunt, sub quo nomine non tantum eum fructum, quem Cucumerem appellamus, intelligunt, sed omnia Melonum genera, Cucumeres, Citrullos & Angurias.

Dioscoridis Cucumerem sativum non esse nostrum patet, quum ipsius Cucumis odore suo revocet animo deficientes, quod nostro non convenit, utpote nullius odoris existit.

NOTÆ. Succus aquosus est, viscidus & mucilaginosus, hinc concoctu difficilis: æstate acidus fit.

Recens, in tenues particulas sectus, ac impositus quascunque inflammationes sedat, & ariditatem linguæ in febribus ardentibus aufert, si frequenter in ore retineatur. in phrenitide, maxime fervidâ, caro applicata capiti, abrasis capillis, dicitur singulare esse remedium.

Contra vulgum afferunt quidam, carnem æstivo tempore inter omnia edulia saluberrimum esse, stomachum refrigerans, sitim sedans, bilem æstuantem compescens, renes demulcens, urinam movens.

Olim coquebant & edebant cum Oleo, aceto & melle, & conceditur coctum humectare, refrigerare, acrimoniam humorum lenire, & sanguinis motum nimis rapidum compescere.

In Italia pulpa præscribitur jusculis incoquenda, non sine insigni solatio febricitantium. Seminis sapor fere ut farinæ avenaceæ, subdulcis unctuosus, non ingratus. Mucilaginosum est, flammam nutrit, & expressione Oleum præbet.

Emollit cutim extrinsecus admotum. Diureticum est & acrimoniam involvit.

C. CU-

C. *CUCUMIS* Sylvestris asininus dictus C. B. *Wild Cucumber*.

Succus fructûs inspissatus, Elaterium dictus, Radix & Folia usurpantur.

Elaterii vocem late vel stricte capiebant antiqui, *stricte* pro Cucumeris tantum succo, *late* pro omni deleterio medicamento vel valide purgante.

Succus inspissatus albus & optimus Veterum solus apud nos hodie usurpatur, è fructu sine pressione exstillans.

Elaterium gustu amarissimum est, & leviter calidum; scil. ex secundo ordine excalfacientium: tale protinus digerendi vim obtinet. Bilem & pituitam per inferna pariter & superna trahit: optima suspiriosis est purgatio.

Integra dosis est obolus, minima semiobolus; copiosius haustum periculum adfert.

Efficacissime in anginis illinitur cum vetere oleo, melle vel felle taurino. Obscuritates & vitia oculorum sanat, genarumque ulcera.

Ciet menses & partus enecat in pesso subditum, & bibendum datur, authore *Hippocrate*, ad secundam purgandam.

Morbo regio medetur cum lacte naribus infusum, & hoc modo a diuturnis capitis doloribus liberat.

Frutex in totum amarus sit.

Radicis & Foliorum succus Elaterio similem vim habet, sed imbecilliorem.

Radicis succus sesquioboli pondere bilem pituitamque dejicit, præsertim in hydropicis, dejectiones autem citra stomachi injuriam movet. Cortex, ex aqua mulsa potus, abunde & citra noxam pituitam ducit, neque ventriculum quidquam offendit.

Est plurimum discussoriæ facultatis, sed partim in oleo, partim in aqua decocta emollientis medicamenti vim induit. Ex polenta illita vetus quodvis œdema discutit, & in oleo cocta scirrhis admovetur, in aqua moderate decocta, cum pane atque adipe contrita, tumores scirrhodes resolvit: &, authore *Celso*, in vetustiore duritie testiculorum maxime proficit radix ex mulso cocta, dein contrita.

Oleum ex radicibus rarefacit, seu cutis meatus referat.

Ischiadicis clystere decocta utiliter infunditur. Podagras discutit decocta ex aceto & illita.

In dolore capitis ex vehementiore frigore fotus ex radice prodest, cui modicum Euphorbii addere licet.

Arida, cum resinâ imposita, tubercula rumpit, parotidas & panos sanat.

Aurium meatus a dolore liberant quæ tenuium partium sunt citra mordacitatem, ut ne dolorem exacerbent, ex quorum numero est Cucumeris sylve-

stris

ftris radix: emblum amarorum. Succum insuper ad sonitum aurium prodesse monet *Celsus*. Ejus decocto dentes dolentes colluuntur.

Aridæ farina impetiginem, lepras & vitiligines abstergit, nigris cicatricibus colorem reddit, & in facie maculas expurgat.

Foliorum infusi succus aurium doloribus confert, & cum aceto auribus surdis instillatur.

NOTÆ. Fructûs Succus [illegible], acris, amarus cum nausea, & odoris virosi recens [illegible] Cochl. [illegible] fortiter purgat, [illegible] est, [illegible] in tumoribus [illegible] & [illegible].

Radix [illegible] est acris, cum [illegible], amari & [illegible] odoris [illegible] quod recens [illegible] tota herba, [illegible] amaras.

Datur radix [illegible] pulvere [illegible] gr. xv ad ℈ss, authore [illegible].

[illegible] & quasi stuporem inducunt labiis & [illegible].

[illegible] Syrupum Violarum & [illegible] Heliotropii.

R[illegible] & [illegible], et [illegible] quam Fructus (radice magis forti quam folia, sed minus forti quam Fructus) externo usu adhibentur in anginis, & in ulceribus veteribus bonos præstant effectus.

Radices, cum oleo contusas & nodis podagricis impositas, laudat *Crato*.

Elaterium amarum est cum nausea & acre dum paratur, dicitur vultum in pustulas attollere, & manus exulcerare, hinc Errhina ex eo nimis acria sunt [illegible] admistis.

Inflammabile quoque est ob resinam cum salibus combinatam & dum accenditur odoris non ingrati.

Quà purgans non usurpatur nisi in morbis pertinacibus, comatosis, apoplexia & [illegible].

C. *CUCURBITA* major sessilis flore albo C. B. An Cucurbita esui apta *Dioscoridis*? [illegible] Græcis, herba edulis. [illegible] autem est genus sylvestre, inter purgantia locatum. *The Gourd.*

Cucurbitarum numerosior est usus, & primus Caulis, ut cymarum Brassicæ, in cibo. Pituitam, crassos viscososque humores gignit, stomachum lædens & concoctu difficillima, præsertim quam frigidum nacta fuerit ventriculum, imprimis si cruda [illegible] elixa [illegible] tum postquam elixa fuerit, aut sartagine frixa aut assa, homines hanc edere consueverant; sic enim quam plurimum de pro-

propria humiditate deponit, & in jure carnis cocta celerrime concoquitur, quemadmodum fit apud Italos, unde datur febricitantibus.

Lubricando & ventri subducendo idonea est, præsertim si quis, ea sumptâ, in sole leniter obambulet, nihil tunc differens ab oleribus, ventrem mollientibus. Vinum, in Cucurbitam excavatam infusum, si mistum sub divo fervetur, posteaque dilutum jejuno bibatur, alvum emollit.

Sitim propellit. Exiguum corpori alimentum præbet ejus succus tenuis aquosus.

Ramenta infantibus contra capitis ardorem, quem Syriasim vocant, in sincipite illinuntur, & in phrenitide ac in capitis dolore cum ardore ramenta exsuccata ad uvæ immaturæ succum admista. Oculorum inflammationes podagrasque illita refrigerant. Succus è ramentis tusis per se, aut cum rosaceo infusus, aurium doloribus cum phlegmone auxiliatur. Valet illitus ad perustam ardoribus cutis superficiem.

Æstatis tempore sumi potest ad totius corporis squalorem caloremque curandum, in febre cum tensione & inflammatione, & in cancro pro victu.

Refrigerat, & vim habet semen supprimentem. Confer *Cucumis*.

N. *CUCURBITA* major sessilis flore albo C. B. Semen.

Hujus nulla fit mentio apud *Dioscoridem* & *Galenum*. De hac vide pag. 129, N. 3.

C. *CUPRESSUS* C. B. *Cypress.* Folia, Germina, Fructus, Coni, Nuces, Pilulæ Cupressi quibusdam.

Folia, germina, pilulæ recentes & molles reficcandi vim habent, absque insigni acrimonia aut caliditate, sicut certe & gustus testatur: apparet enim in iis levis quidem acrimonia, sed plurima amaritudo, multoque plus acerbitatis in tota planta. Tanta ei est acrimonia caliditasque, quanta satis sit deducendæ in altum acerbitati, ac nullam tamen mordicationem aut caliditatem in corporibus efficiat; proinde in alto latentes, in flaccidis putrescentibusque affectibus, humiditates innoxie tutoque depascitur atque absumit.

In Oriente Cupressus resinam fundit acerrimam sapore.

Pilulæ parotidi & strumæ cum farina imponuntur. Exprimitur succus tusis cum semine, qui, mixtus oleo, caliginem oculorum aufert.

Cum fico tusæ duritias emolliunt, ac narium polypis medentur. Ex aceto etiamnum decoctæ & cum lupinis tritæ scabros ungues detrahunt. Ramices quoque intestinorum reprimunt, qua de causa bibuntur pilulæ Cupressi virides. Ex vino vetere, ad tertias, forma decocti cyathus banis quotidie jejuno

 her-

herniofo potui dari, cum foliis ejusdem tritis, testiculo impositis, mire proderit.

Contusæ, ex vino bibitæ, ad sanguinis rejectionem, dysenteriam, alvi fluxionem, orthopnœam atque tussim conveniunt: quin & earum decoctum idem præstat.

Folia fere eadem præstant ac fructus.

Apud *Aëtium* prostat Emplastrum *Nisephsoys* è Cupresso, quod facit ad strumas, tumorem gutturis, parotidas & totum tumorum laxorum genus: nempe Cupressi folia virentia in vigore minutissime terito, vino insperso, quod à vinaceis, post primi vini collectionem, exprimitur, efficitque solidi strigmenti crassitudinem, ac locis affectis imponito; omnem enim tumorem discutit, & vasa, materiam ad locum affectum afferentia, constringit. Si strumis imposueris, tertio die solvito, ac vicinas & incumbentes partes desquammatas comperies, eas itaque digitis exprimito; dissolvito medicamentum, rursus adhibeto, & tertio die solvito, & exprime ut prius: tertio medicamentum adhibe, solve & exprime, intra septem aut novem dies strumæ abolebuntur.

Apud *Hippocratem* aquâ diluta bibenda præbentur Folia in fluxu rubro.

Trita & imposita vulnera glutinant, præsertim magna in duris corporibus & sanguinem supprimunt. Cerato admista & admota ventriculum roborant.

Cum aceto trita capillos denigrant: hunc usum *Q. Serenus Sammonicus* carmine satis eleganti sic descripsit:

> *Quos pudet ætatis longæ, quos longa senectus*
> *Offendunt, cupiunt properos abscondere canos*
> *Et nigrum crinem fuco simulare doloso,*
> *His prodest acri contrita Cupressus aceto,*
> *Vel frons lentisci, vel tristia poma Sabuci* (a).

Porro folia, trita cum polentâ, capiti imponuntur, si a sole doleat: & tum per se, tum cum polentâ illinuntur ad erysipelata, ulcera, quæ serpunt, carbunculos & oculorum inflammationem.

Ex passo & myrrha pauca epota Vesicæ, fluxione tentatæ, & urinæ difficultatibus auxiliatur.

NOTÆ. Folia valide adstringentia sunt, subamara cum pauxillo acrimoniæ. De-

(a) Sambuci fructus.

Decoctum in uno experimento non mutabatur addito Sale Martis, sed in altero viride fiebat. Trita, testibus admota, efficaciam suam in curandis herniosis experimentis comprobarunt.

Imponantur per se & cum polenta ignibus sacris, herpeti proserpenti, carbunculis, & oculorum inflammationibus.

Nuces seu Coni saporis sunt ut foliorum, Odoris balsamici, aromatici: transcisi resinam exhibent: infusum in aqua in uno experimento atro-viride, in altero purpureum fiebat addito Sale *Martis*, & spumam exhibuit variegatam, Olei tantillo innatante.

Dentes vacillantes firmant.

In *Miscellaneis curiosis* siccati & pulverisati, ad ℥iij in Vino generoso albo exhibiti, in accessionis principio, febres intermittentes curavit in pluribus exemplis.

Lignum unctuosum est, & ex omnibus lignis proxime ad immortalitatem accedit, teredini & omni vermi, putredinique resistens. Ex eo destillatur Spiritus volatilis acidus.

C. *CUPRUM.* Vid. *Ærugo, Æs ustum, Æris squamma, & Flos.*

C. *CURCUMA.* Cyperus Indicus *Dioscoridis*, & Curcuma offic. C. B. *Turmerick*

Gingiberis est effigie secundum *Dioscoridem*, & quidem major est Curcumæ cum Gingibere, quam cum Cypero, similitudo, tam ratione formæ quam virium; licet enim gustu paulo ignavius sit Zingibere, facultatem tamen, qua viscerum obstructiones referat, habet potiorem.

Porro, quum objicitur, Curcumam non esse tam acrem ut, calcis vivæ instar, depilatorium sit, respondetur hoc fieri posse ob ejus vetustatem.

Serapionis vero, vel ejus interpretis est Chelidonium minus.

Commanducata amarescit: luteum croci colorem reddit: & hac mox glabrescunt inunctæ corporis pilosæ omnes partes.

NOTÆ. Curcumæ Radix Odoris mitis est, leviter aromatici, ad Zinziber accedentis, sed debilioris, saporis amaricantis, calidi, subacris, calore & acrimonia in gutture tarde se expediente & diu durante: pinguis adspectu & lubrica inter dentes, mucum habens amaricantem, acrem.

Chinenses hac radice utuntur in sternutatoriis instar radicis hellebori albi.

Vires suas impertit menstruis aquosis & spirituosis. Urinam & Salivam colore tingit saturate flavo.

 Usur-

Usurpatur in pulvere vel infuso, coctionem non ferens.

Ingens est aperitivum in quibuscunque morbis, mucosa in ventriculo incidens & attenuans, adeoque multorum morborum fomitem expurgat, v. g. in cachexia, hydrope, œdemate pedum, quartana inveterata, in pulmonis morbis & malis nephriticis: præcipue autem Icterum tollere celebratur, idque non immerito, si debito tempore, absente nimio æstu & acriore sanguinis ad hepar congestione, porrigatur.

Diuretica est, emmenagoga, & singularis usûs apud Indos orientales ad partum promovendum.

D. *CUSCUTA.* Vid. *Epithymum.*

C. *CYCLAMEN.* Cyclaminus. Artanita. Tuber terræ. Rapum terræ. Cyclamen orbiculato folio inferne purpurascente. C. B. *Sowbread.* Radix & Succus.

Varias vires possidet, abstergit, incidit, ora venarum aperit, attrahit & discutit. Id patet ex particulari agendi modo: nam succus ejus, cum floccis subditus, hæmorrhoidas reserat, violenterque ad secessum provocat, vel illitus umbilico & imo ventri ad coxas usque alvum emollit, abortumque facit.

Succus cum melle naribus infunditur ad purgandum caput, & suffusis hebetioribusque oculis prodest. Phymata, strumas aliasque omnes durities digerentibus commiscetur succus. Cutem detergit, alopecias, maculas solares & omnia exanthemata curat.

Radix debilior est succo, ipsa tamen vehemens est. Cum hydromelite pota pituitam & bilem detrahit: Menses sive pota, sive apposita evocat, & appensa vel alligata partum accelerat: Cutem purgat, quemadmodum succus.

Sicca addita vino inebriat, sive mentem perturbat.

Corpori infixa omnia extrahuntur Radicibus cum melle.

Lienem induratum juvat emplastri modo illita. Regium morbum discutit tribus drachmis pota cum passo aut mulsa dilutiore, sed bibentem oportet cubiculo calido, minimeque ventis exposito, recumbere pluribus contectum stragulis, quo facilius exudet: qui vero elicitur sudor colore felleus invenietur.

Sunt, qui siccam asthmaticis seu anhelantibus exhibent.

Contra venena ex vino bibitur; imposita quoque contra serpentum ictus remedio est.

NOTÆ. Cyclaminis Radix recens saporis est pungentis, extrentis, amari,

cum

cum nausea, acrimoniæ tantæ ut fere nemo ausit dare interiùs. In exsiccata nulla acredo percipitur.

Externe, si inungitur recens abdomini aut ventriculo, expurgat per alvum aquas hydropicas, & qui succo ejus attigerit anum mira celeritate alvi solutionem sentiet.

Contusæ radices recentes utiliter illiniantur scirrhis durisque tumoribus & strumis, ac succus unguentis additur, quæ ad splenis tumorem duritiemque parantur; plures enim lienosi, authore *Matthiolo*, hoc medicamento sanati sunt, qui aliis remediis sanari nequiverunt.

Cutem & ulcera sordida purgare, contra excrescentias, mariscas, licet mali generis, scabiem aut psorum efficacissimum esse corrosivum, perhibetur Radix.

C. *CYDONIA MALA.* Cotonea mala. *Quinces.*

1. *Mala Cotonea majora* C. B.
2. *Mala Cotonea minora* C. B.

Cydonia a Cydone, Cretæ oppido, unde primum in Italiam translata. Cotoneum Malum primus *Cato*, dein *Plinius* nominavit.

Majora dulciora, minora acerbiora.

Majora, ab antiquis *Struthea* vocata, minus rei medicæ proficiunt, sed magis in gauea.

Utraque odorata, & vetustate odoratiora. Austera sunt, præsertim minora, saporem Mespili similem habentia: cocta vel tosta mitiora fiunt, constringentem vim succi amittentia.

Decoctum adstringens leve est, conveniens ubi vas perruptum parvum est, vel modice reclusum. Eo sedes & vulvæ foventur si procidant: in magnis inflammationibus columellæ prodest decoctum ex acerbis malis pro gargarismis.

Cruda Cataplasmatis adjiciuntur ad cohibendam alvum, itemque contra stomachi eversionem & æstum, mammarum inflammationes, lienes in scirrhum induratos atque condylomata.

In inflammationibus tam oris ventriculi quam hepatis, adstringentia, v. g. Cydonia, relaxantibus addantur, sive oleo affectum locum foveas, seu admoto cataplasmate; nam in curandis his si quis utatur solis relaxantibus, vitæ discrimen adducet.

Iis, qui salivam multam in stomacho aggregarunt, Mala Cotonea forinsecus imponuntur

Stomacho utilia, privatim ad ejus ardorem cum syncope, prosuntque cœliacis,

cis, dysentericis, sanguinem exscreantibus & cholera laborantibus, præsertimque cruda.

Aqua, in qua macerata fuerit, potui data stomachi ventrisque fluxione infestatis convenit.

Succus ad appetentiam est utilis, & iis qui parum feliciter cibos concoquunt, ventriculo robur concilians. Fit etiamnum ex iisdem tusis expressisque Vinum, quod ad eadem omnia, quæ modo modo dicta sunt, prodest. Urinam cient.

Crudorum succus orthopnoicis opitulatur.

Inter edulia adstringentia connumerantur quæque Alvum supprimunt. Solent hæc nonnullis, ante cibum sumpta, alvum potius coercere, sicut a cibo emollire, quod minime mirum sit, quandoquidem, ventriculi os adstringendi facultate sua comprimentia, alimoniam vi protrudant, quemadmodum sane in utre quoque ac vesica idem manibus præstamus, facileque contenta educimus.

NOTÆ. Odor eorum caput ferit, præsertim si conclavi inclusa habeantur, quod effectum quoque præstant Mala vulgaria. Viridia gustu styptici molestabilis sunt, sed maturitate subacida & dulcia fiunt, sic tamen ut semper aliquid austeritatis retineant, quæ non nisi coctione evanescit: proinde crudorum succus crassus, viscosus flatus & dolores colicos excitat. Fere matura dulcia sunt, adstringentia, acida, odoris grati penetrantissimi, & quibusdam caput ferientia.

Succus fere maturorum albumen ovi & salivam coagulabat.

In succo inspissato adest sal essentialis, crystallinus, egregie diureticus.

In Vulneribus tam a telis, veneno infectis, quam a sclopetis succus instillatus insigniter conducit; quin eodem succo corriguntur Elleborus albus, Turpethum & Scammonium.

Alvum adstringunt, sed urinam cient.

His, qui cibum retinere nequeunt, succus utilissimus.

Aqua, in qua cruda mala percocta sunt, prodest contra catarrhos acres, qui noctu præcipue molesti sunt, saccharo albissimo edulcorata, ad Cochl. j & ij cubitum ituro propinata.

Idem præstat succus, blando igne ad syrupi consistentiam decoctus, ad Cochl. ß infantibus propinatus, pituitam glutinosam incidens, expellens &, quod maxime faciendum, simul robur afferens ægris.

In dysenteria, præmissis evacuationibus, excavetur Malum Cydonium, & adimpleatur Cera alba vel citrina, admove igni, donec liquescat Cera & pomi substantiam subierit; & detur comedendum.

Quod, si quis largius biberit & timeat, ne caput vino & vaporibus obruatur,

com-

confestim Malum Cydonium tostum sumat, quo facto Vinum minus nocebit neque caput graviter feriet, authore *Hieronymo Trago*. Idem valet ad abortum præcavendum.

Semen (de quo silent Veteres) est perfecta Mucilago, & simul aliquid adest, quasi resipiens Nucleum Cerasorum vel Mali Persicæ.

Acrimoniam obtundit: in scabritie linguæ valde conducit, cui (authore *Ettmullero*) si addatur tantillum Sp. Salis Ammoniaci, eo magis præsentaneum sit remedium.

Semina decorticata, & in lacte cocta, indita sacculis lintei vetusti, & omni semihora applicata, hæmorrhoïdibus dolentibus prosunt; necnon in Clystere.

Mucilago in inflammatione faucium, gingivis laxis, dysuria & ardore urinæ, fluxu alvino, acri inflammatione oculorum, ambustione, fissuris cutis & papillarum, necnon in ardore pectoris in tussi, hæmoptoë & dysenteria prodest.

C. *CYMINUM.* Cuminum sativum *Matthioli*. Cuminum semine longiore. C. B. *Cummin.*

Facultatis est excalfacientis, & quidem, secundum *Galenum*, ex tertio ordine excalfacientium. Urinam movet & sudores.

Cutis colorem bibitum illitumve mutat in pallorem (*b*).

Ad tormina & tumorem flatuosum ventris inferioris, coctum & cum oleo clystere utiliter infunditur, vel cum hordeacea farina, hydrelæo macerata, pari utilitate foris emplastri modo imponitur. Apud *Hippocratem* apponitur si ventus in utero obortus fuerit, & dolor vehemens, flatusque non exeunt.

Tritum inflammationibus auxiliatur cum uva passa & fabarum lomento aut cerato impositum. Cohibet mensium abundantiam sanguinisque è naribus profluvia in aceto contritum & admotum.

Magni usûs est in stomachi remediis: discutit pituitas & inflationes: tritum & cum pane sumptum, vel potum ex aqua vinoque, Tormina quoque & intestinorum dolores. *Hippocrates* dat in febre singultuosa.

In morbo regio in vino albo a balneis præfertur Æthiopicum, maxime in posca, & in linctu cum melle.

Datur orthopnoicis in posca, demorsis a venenatis bestiis in vino.

NOTÆ. Cymini semen Odoris est aromatici cum gravedine quadam, saporis

(*b*) Hanc effectum experimentis recentiorum stabiliri testatur *Matthiolus*, & *Bodæus* a *Stapel*, in notis ad *Theophrastum*.

poris subacris, calidi, subamari. Virium ratio unice ferme ad principia resinosa oleosa redit, analysi chemica multum Olei præbet, in Extracto aquoso parum virtutis latet. Animam fœtidam corrigit.

Extus Lactis coagulationem arcet; quin & applicatur cum linteis ad fluxum lactis nimium arcendum, & proinde in ablactatione infantum commendatur.

Contusum in Sacculo, Spiritu Vini insperso, in doloribus colicis, necnon in doloribus laterum & pectoris applicatur; vimque habet anodynam & discutientem in tumoribus pituitosis.

Vires carminativas validiores habet quam semen *Fœniculi*, ventriculum debilem a frigiditate optime restituens, tonum intestinorum relaxatum reparans & flatus discutiens in tympanitide quoque & vertigine valet. Semini Carui longe præferendum, utpote quod menses lochiaque post partum magis promoveat; ad nothos etiam parturientium dolores in cerevisia coctum potumque commendatur.

Oleum ejus essentiale efficacius est quam *Anisi* vel *Carui* ad guttas iij vel iv ex saccharo, in omnibus affectibus flatulentis præsertim uterinis; & Empiricus quidam miracula facere credebatur affusis aliquot guttis pani tosto & umbilico imposito.

C. *CYNOGLOSSUM* majus vulgare C. B. *Hounds tongue.*

Dioscorides caule carere dixit, sed est ex eo genere quod primo a nativitate anno caulem non fert, fert autem altero tertiove. Forte secunda species *Plinii*, quæ, scil. secundo anno fert lappas minutas. Cynoglossi in *libris de simplicium medicamentorum facultatibus* non meminit *Galenus*.

Folia, authore *Dioscoride*, cum suillo adipe vetere trita medentur morsibus canum, alopeciis & ambustis. Emollit alvum decoctum herbæ ex vino potum. Radix, authore *Plinio*, pota ex aqua ranis & serpentibus adversatur.

NOTÆ. Folia odoris sunt fœtidi instar Urinæ canum, unde quibusdam *Hound's pisse* appellatur. Suspensa ad siccandum odorem emittunt cicutæ similem, servata uno die multum odoris sui perdunt. Coctorum odor dicitur esse ut Spiritus Cornu Cervi, & quidem notas prædominantis Alcali exhibent plures quam multæ aliæ herbæ, scil. Succus fluiditatem retinet addito Spiritu cornu cervi vel Oleo tartari per deliquium, contra coagulatur addito Spiritu Vitrioli vel Oleo Sulphuris. Infusum Syrupum Violarum non mutavit; solutionem Heliotropii aliquantulum rubefecit. Sapor amaricans est & mucilaginosus: Magma, ab expresso succo residuum, lubricum, subviscosum, subsalsum.

Plerisque herba narcotica habetur & hanc suspicionem confirmat observatio *Meri-*

Morisoni Oxonii, herbâ coctâ & comestâ ab aliquot hominibus, secutos fuisse vomitus molestos, dein stupores & somnum, ex quo non nisi post 40 horas excitati fuerint, imo unum fuisse mortuum.

In lacte cocta recens carpta dat cataplasma emolliens & anodynum, inflammatis locis applicata, summumque præstat auxilium in dolore podagrico. Unguentum ex eo & axungia porcina dolores hæmorrhoidum sedat. Recens illita vulnerum inflammationes ac alias quascunque mirum in modum sanat & arcet. In vino macerata herba felici cum successu applicatur ulceribus crurum pertinacissimis. Scrophulas discutit. Ulcus mammarum sanatum fuit Cynoglosso, in Vini & Aquæ part. æq. cocto, loto ulcere & impositis foliis.

Herba tusa & cum adipe suillo in sartagine tosta ambustis medetur

Usu interno acrimoniam humorum obtundit, fluxus sedat; hinc adhibetur in fluxu alvi, gonorrhœa, catarrhis calidis, dysenteria, sputo sanguinis, aliisque hæmorrhagiis.

Radix saporis est initio ingrati, viscosi, subdulcis, dein subamari, subsalsi, ac odore & viribus videtur esse similis herbæ, & speciatim in strumis & scrophulis, tum intus in decocto, tum extus forma cataplasmatis, summo cum successu adhiberi dicitur

Sicca & pulverisata in vino rubro pota dysenteriam, gonorrhœam sanat, & omnis generis ulcera curare dicitur, necnon Aphthas & oris ulcera maligna ex lue venerea, si hujus decocto grato & rubicundo eluantur & pulvis inspergatur.

Vino decocta, mane & vesperi sumpta, alvum emollire dicitur.

Eadem fermento obducta, & in cinere assata, postea abjecto fermento locis affectis balani instar indita calorem & dolorem internarum Mariscarum protinus aufert, &, ut cito curentur, efficit.

* C. *CYNOSBATOS.* Sentis canis. Cynorrhodon. Rosa sylvestris inodora, seu canina *Park.* Rosa sylvestris vulgaris flore incarnato odorato C. B. *The common wild Briar or Dog's Rose*, quibusdam *The Hep tree*

Consentio *Matthiolo*, non esse Cynosbaton *Dioscoridis*, nec *Theophrasti*, sed potius Cynorrhodon *Plinii*, cui Spongiola adnascitur. *Galenus* non videtur sibi satis constare, quandoquidem in *libro de Alimentis* Cynosbaton à rusticis edi scribat, quod, notante *Salmasio*, de Rosæ sylvestris baccâ intelligendum, quæ hodie nostratibus manditur, estque aciduli, non ingrati saporis, verum, quum alibi ait Cynosbati fructum multo magis, quam Ruborum fructum adstringere, hoc nostro vix convenit.

Plinius radicem Cynorrhodi miris laudibus effert in curanda hydrophobia. Aliis apud auctores Cynorrhodi medicina erat, Spongiolæ quæ in mediis spinis ejus nascitur, cinere cum melle Alopecias capitis implere.

Succus apud *Marcellum* & *Scribonium Largum* ad dentes colluendos in eorum dolore, & in sanguinis eruptione ac dysenteria prodest.

NOTÆ. Flores. Horum odor nonnullis in locis adeo fragrans est, ut ipsis Rosarum domesticarum floribus palmam præripiat, & hinc commendantur ad destillandam Aquam Rosarum.

Saporis sunt amaricantis, adstringentis, mucilaginosi, & horum, veluti aliarum Rosarum, infusum vel decoctum solutionem Vitrioli Martis præcipitat in atramentum. In sero lactis cocti purgant ut Rosæ Damascenæ.

Fructus immaturus durus Saporis est mixti ex acido & austero, ventriculum roborat, alvum adstringit.

Fructus maturus seu pulpa putrida est perfecta Mucilago grate acida, seu acido-dulcis. Rubor ejus augetur affusis acidis.

Extractum ejus, 3 annos servatum, non mucescebat, acido-dulce existens.

Pulpa putrida appetitum excitat, æstum febrilem compescit, scorbuticos affectus calidiores lenit, acrimoniam obtundit, diuretica est.

Spongia recens amara est & adstringens. decoctum addito Vitriolo Martis nigrescebat, aderatque ei aliquid fragrantiæ ut in Rosis.

Est nidus Insectorum, adeoque animalis naturæ particeps, & unde vis diuretica huic tribuitur derivanda.

Authore *Fuchsio*, contra calculum & urinæ difficultatem valet in pulverem trita, quippe non, secundum quosdam, ut diuretica, aut calculum atterendo, sed, veluti quædam adstringentia, renes debiles confirmando, vel nimis calidos refrigerando; renes enim calidos generare calculos assumitur.

Radix valde amara est & adstringens. infusum ejus, mediocriter adstringens, addito Vitriolo Martis, nigrescebat instar atramenti.

C. *CYPERUS ODORATA* Radice rotunda, seu *Dioscoridis* & Veterum Cyperus C. B. *Celso* Juncus quadratus & odoratus. *Plinio* triangularis & angularis. Radices.

Suavi odoris sunt cum quadam acrimonia, gustu aliquantum amaro. mistas vires habent, scil. excalfaciunt & siccant sine mordacitate, habent etiam quiddam adstringens, & in columella inflammata numerantur inter acida & moderate adstringentia pro gargarismis. Ulceribus, quæ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirifice prosunt; contra oris etiam ulcera, etiamsi depascunt vorentque, farina ejus, ad lævorem trita, efficax est.

Ma-

Malagmatis calfacientibus hæ Radices bene adjiciuntur. Perfrigerationibus & obstructionibus vulvæ prosunt. Cient Menses & urinam, nempe ad urinæ difficultatem & stillicidium Cyperi Asiatici trita Cochlearium unum ex vino meraco, aut ex melle exhibetur. Venarum spiracula laxant. Ad aquam super cutim bibuntur, & adversus scorpionum ictus remedio sunt.

Contra dentium dolorem plurimum prosunt, si aqua in qua coquuntur in ore teneatur.

NOTÆ. Cyperi rotundi Radix Odoris suavis est, aromatici, balsamici, saporis aromatici & quasi terebinthinacei, aliquantum acris, amari cum inveterascit, fere instar Zedoariæ, nec adstrictionis expers. Masticata oris fœtorem emendat & dentes firmat.

Externe in tumoribus frigidis & debilitate paralytode diuturna rheumatica prodest. Diaphoretica & Carminativa est: roborat ventriculum, unde in ejus cruditate & vertigine sympathica commendatur, & in colica flatuosa discutienda convenit.

D.

C. *DACTYLI.* *Dates.* Palma dactylifera, seu Dactylus vulgo. *Herm.* Cat. Hort. Lugd. Bat. *The Palm or Date tree.* Ægyptia Palma priscis, postea recentioribus Græcis Dactylos. Fructus δακτυλοι φοινικος, Dactyli & Palmulæ. φοινικοβαλανοι, *Dioscoridi & Galeno*, ubi maturuerint. Fructus & Involucrum quod *Palmam Elaten* vocant.

Fructus odoris est Mali Cotonei, paulo antequam maturuerit, acerbus & adstringens. Thebaicarum decoctum potu febrilem ardorem sedat, & vires a valetudine se recolligentibus recreat cum hydromelite veteri sumptum: cibo idem faciunt. Succus sitim arcet.

Non leviter inter se differunt fructus. Quidam sunt adstringentes, ut Ægyptii, quidam molles, humidi & dulces; nullus vero ex ipsis est, qui non dulcedinem quandam & adstrictionem habeat.

Ex his Vina capiti inimica, gentiumque aliquibus panis, plurimis vero etiam quadrupedum cibus est.

Est cibus crassus, multum nutriens si digeratur, propter viscositatem, sed si non digeratur, generat oppilationem.

Succus dulcis nutrit, austerus gratus est stomacho, & ventrem sistit.

Palmæ, si largius sumantur, omnes sunt concoctu difficiles, & dolorem capiti

 piti

piti afferunt; recentes copiosiores in cibo inebriant, & succus, qui ab ipsis in corpus distribuitur, est omnino crassus habetque lentoris quidpiam; cum autem dulcedo tali succo mista fuerit, celerrime quidem hepar ab ipsa obstruitur; maxime autem palmæ virides, si largius sumantur, ad omnia sunt noxiæ, unde homines, qui ipsis coguntur vesci, crudis succis implentur, rigoribusque qui ægre calefiunt, & hepatis obstructionibus prehenduntur.

Recentes plus quam sicci adstringunt, contra alvi fœminarumque profluvia in vino austero bibuntur, hæmorrhoidas sistunt, vulnera glutinant illitu.

Caryotæ (quod nomen, authore *Hoffmanno*, in specie datum fuit illis, quæ Ægyptiis & siccis opponuntur) præsertim esu faucium asperitati medentur.

Decoctum Thebaicarum per se potu & gargarizatione magnopere adstringit & cohibet.

Sicciores sanguinem exscreantibus, stomachicis, i. e. cibum in stomacho non continentibus & dysentericis utiles in cibo.

Fructus, si quis virides comederit, dicuntur esse usque adeo diuretici, ut sanguineas urinas copiose faciant. Hactenus de Fructu. Confer vires *Cydoniorum Malorum* non absimiles.

Involucrum calixque fructûs Palmarum adhuc florentium, (*Palma elate Dioscoridis*) secundum *Galenum* & *Dioscoridem*, plus quam omnes aliæ partes adstringunt, præsertim parte sua interna pingui. Vi adstrictoria ulcera depascentia & putrescentia sistit, laxatosque artus committit, si trita malagmatibus aut cataplasmatibus admisceatur. Ejus decoctum subinde affrictum capillos denigrat. (Confer *Cupressus*). Potui vero datum renum, vesicæ, aliorumque viscerum vitiis confert, alvi uterique fluxiones sistit. Ipsum vero Involucrum scabiem sanat diebus viginti, si adhuc recens, tenerumque cum resina & cera decoctum, imponatur.

NOTÆ. *Fructus immaturus fortiter adstringit. E succo expresso fit potus sitim sedans, qualis nobis ex pomis, pyris & sorbis fit.*

Maturorum sapor gratus, dulcis, mucilaginosus, aliquantum vinosus: plurimum nutriunt, corpus pinguefaciunt, & imponuntur instar ficuum tumoribus ad maturandum. Tussim sedant, acrimonias pectoris & gutturis leniunt, prosunt phthisicis, hæmoptoicis, raucedine laborantibus; in decoctis quoque pectoralibus & ptisanis usurpantur. Simili ratione renum ac vesicæ vitiis, ab urina acri ortis, medentur: ventris quoque dolores sedant & diarrhœam, ardorem bronchiorum minuunt, expectorationem promovent.

C. DAU-

C. *DAUCUS.* Δαῦκος *Dioscoridis*, Daucus, Daucum & Daucium Latinis.

1. *DAUCUS*, foliis Fœniculi tenuissimis C. B. Daucus Creticus verus *Dioscoridis*, *Lobelii*. *Carrots of Crete or Candy-Carrots.*

Creticus forte non differt ab Æthiopico *Hippocratis*: conspirant facultates.

Semen acre est, suavis in mandendo odoris. Potum calefacit. Multum digerere per halitum valet foris impositum, & œdemata discutit: tenuante diæta utentibus convenit, digerit cruditates, datur singultientibus, & ad drachmam unam in stranguria.

Torminibus liberat, menses, secundas, partus & urinas pellit, veteremque tussim mitigat. Subvenit & a phalangio morsis in vino potum.

NOTÆ. Dauci Cretici semen magnam cum Angelica & Cumino habet affinitatem, saporis est aromatici, calidi, pungentis, subamari: acrius est & penetrantius quam semen Dauci vulgaris.

Principio oleoso resinoso vires suas debet, gummeum enim, etsi majore quantitate, iners est.

Flatus discutit, Colicis flatulentis & nephriticis subvenit, & *Hippocrates* addit Veratro suo nigro aut Peplio.

2. D. *PASTINACA* tenuifolia sylvestris vel *DAUCUS* Offic. C. B. *Wild Carrot.*

Daucus non est Pastinaca sylvestris Veterum. *Dioscorides* enim & *Galenus* seorsim de utraque herba loquuntur. *Serapio* & recentiores Daucum & Baucum, seu Pastinacam, inter se confundunt, quum tamen diversa esse liquido constat.

Semen potum subditumve menses ciet, convenit & ægre mejentibus, hydropicis atque pleuriticis in potione, necnon & venenatarum bestiarum morsibus ictibusque prodest. Conceptum adjuvat.

Radix odorata est, &, si decoquatur, esculenta. Urinam movet potentius, venerem stimulat, & partus apposita ejicit.

NOTÆ. Semen odoris est aromatici, grati, fere instar Balsamorum gratorum, & vires ejus diureticæ balsamo nativo tribuendæ videntur. Sapor subacris est & amaricans, decoctum vero ejus intense amarum. Infunditur Cerevisiæ & cum pane coquitur ob vim carminativam.

Eædem ei vires tribuuntur ac Dauci Cretici semini supra, modo detur in dupla dosi.

Contusum & applicatum dicitur quoque tumores pituitosos discutere.

In dolore nephritico cum mictu sanguinis infusi ejus ℔ß mane & vesperi insigniter profuit. & *Helmontius* aliique dant Cerevisiæ vel hydromelitı in-

incoctum, vel pulverisatum in Vino contra Calculum, quod præcipue fieri libet, ubi calculi parvi vel arenulæ in viis urinariis hærent post majorem Calculum exclusum.

Seminis ʒ i. vino albo infusæ & potæ, hystericis paroxysmis medentur.

Radix odoris & saporis est Pastinacæ hortensis, & cocta gratum præbet cibum.

1. D. *DENS LEONIS* latiore folio C. B. Dandelion Aphaca *Theophrasti*.

Est ex genere olerum secundum *Theophrastum*, & ejusdem Aphaca, sed non Aphaca *Dioscoridis*, nec *Galeni*. *Plinius* utramque confundit.

2. *DENS LEONIS* angustiore folio C. B. *Narrow leaved Dandelion.*

Radix, Folia, Caulis & Lac amara sunt, subacria vel subsalsa: Radix magis amara, porro quoque dulcedo levis adest fere omnibus ejus partibus, scil. radici, cauli & flori. *Cartheuser* notat dulcedinem in Extracto aquoso: porro & auctores aliquid adstringens ei tribuunt, quod & ipse gustu deprehenditur in substantia, & in decocto, verum hoc nihil mutationis patiebatur (ut alia adstringentia) ab addito Vitriolo Martis.

Folia aliquantulum rubefaciunt chartam cæruleam, Radices multo magis.

Vires extrahuntur tum Aqua, tum Spiritu Vini rectificato, sed Extractum spirituosum magis amarum est & leviter adstringens.

Extrinsecus Lac ex disrupto caule, ter quotidie oculis inditum, maculas abstergit. Eodem inuncta lintea ulcera mammillarum, aliaque sordida & putrida manantia ulcera pudendorum ac tibiarum abstergunt.

Herba integra viridis imposita omnem inflammationem nigrarum & adurentium pustularum tollit, sive illæ in pedibus, mammis aut genitalibus oriantur.

In operatione similis est Cichoreo, *quod* vide supra.

Intrinsecus usurpatur in omni genere febrium, in sero possetico coctus.

Diureticus est crudus in acetariis, unde Galli nomen dant *Pisse en lit* urinam promovens sine excitato calore, quin & acrimoniam urinæ temperat. Succus autem in colica nephritica & retentione urinæ felici cum successu sumitur. *Etmullerus* dat decoctum pro gargarismate in inflammatione Uvulæ, & succus prodesse dicitur quibus genitura effluit.

Radices, folia, flores & caules alvum laxant.

Nulla planta majores possidet vires saponaceas, adeoque egregios habet usus in omni morbo chronico, ubi tenacitas sanguinolenta aut mucosa peccat: hinc succus expressus, omni mane ad ℥ij sumptus, ex sero lactis vel aqua, diarrhœam affert & debilitatem, absque vero noxa, nam paulo post reviviscentia fit quasi totum corpus esset renovatum: abstergit enim omnia viscera, spe-

ſpeciatim Hepar & hoc nomine aliis quibuſdam præferendum, quod non calefaciat. Decoctum ejus, cum Lacte & Saccharo potum, Tuſſim ferinam ſedat; ſic in Tuſſi, a minimo motu excitata, cum ſputis flavis, ſanguine ſtriatis, & ſudore, Lac mulſum, ſuper herbam & radicem omni mane ſumptum, inſigniter profuit. Apud *Fullerum* in Pharmacopœia extemporanea proſtat *Succus attemperans* dictus in uſum eorum, qui Ventriculum frigidum habent & flatibus obnoxii ſunt „ Herba in maſſam contuſa, in olla fictili vitreata poſita, clibano poſt panes extractos indita, ſtet 6 horas, dein liquor clarus effluens detur ad ℥iv vel vj ter vel ſæpius in die. Acrimoniam ſanguinis & humorum corrigit, ſcorbuto calido & affectibus cutaneis egregie medetur".

C. *DICTAMNUS CRETICUS* C. B. *Dittany of Creet.* Dictamnum abſolute Veteribus, optimum in Creta.

Secundum *Dioſcoridem* florem nullum aut ſemen profert; reliquæ notæ *Dioſcoridis* huic conveniunt, & *Theophraſtus* cæterique auctores florem & ſemen ei tribuunt: notante *Tournefortio* (*Voyage au Levant*) eſt „ Origanum Creticum latifolium tomentoſum, ſeu Dictamnus Creticus (*Inſt. rei Herbariæ*) & y (ſc. in inſula Creta) *fleurit preſque toute l'année, & ſi Dioſcoride en y eut fait le voyage, il n'auroit pas aſſuré, qu'elle ne porte ni fleurs ni graines.*"

Eſt herba acris, tenuioris eſſentiæ quam Pulegium, cætera illi ſimilis, & eadem præſtans, quæ Pulegium, ſed efficacius multo. Excalfacit cum amaritudine vireſque habet leviter ſtringentes, diſcuſſoria eſt, & craſſam materiam attenuat.

Uſurpatur in compoſitione medicamentorum ad nervos vulneratos, utpote acrimoniæ non immodicæ. Vulneribus ferro factis & venenatis morſibus infuſus ſuccus præſentaneo eſt remedio, ſi etiam ad inſtillationem ſtatim in potu ſumatur. Succus, cum Vino potus, contra ſerpentum morſus præſidio eſt.

Herba impactos pedibus reliquove corpore aculeos illita refigit extrahitque: ad lienis dolorem efficax habetur, ſiquidem ipſum imminuit.

Urinam provocat, ſtranguriam diſcutit.

Vulnera purgandi & ſanandi vim habet ſuccus illitus aut cum polenta affrictus.

Uteri purgationum retentiones ſanat: non modo potum ſed impoſitum quoque aut ſuffitum, partus emortuos ejicit; & ex aqua bibendum ad menſes & ſecundas detrahendos ac ad molam expellendam præcipit *Hippocrates.*

NOTÆ. Flos & Folia odoris ſunt fragrantis, graviuſculi, ſaporis calidi, acris, aromatici, amaricantis, ſubadſtringentis, Thymi ſimilis, ſed debilioris.

Vis

Vis ejus leviter adstringens confirmatur hinc. Sal, Martis, additum infuso ejus in aqua, hoc fuscum reddit, fecus quam fit ab eodem Sale addito aquæ paræ, quæ fere limpida.

Ad Expectorationem laudatur, ut Polegium, scil. similium virium, & Alexipharmacus reputatur, unde Theriacam ingreditur.

1. C. *DIPSACUS sativus* C. B. Dipsacus seu Labrum Veneris *Dioscoridis*. *Manured Teasel.*

2 *DIPSACUS sylvestris* seu Labrum Veneris J. B. *Wild Teasel.* Radix

Utriusque Radix est ex secundo ordine exficcantium apud *Galenum*, & aliquantulum abstergit. Sanat rimas fedis fistulasque si tusa & decocta in vino, usquedum fit crassitudo Ceræ, immittatur, ajunt, myrmeciis verrucisque pendulis remedio esse.

NOTÆ. Radix hæc inodora est; amaricans & adstringens, sic & decoctum, quod porro virescit cum Vitriolo Martis. Folia quoque amara sunt & subadstringentia, sed decoctum non mutabatur ab addito Vitriolo Martis; & proinde recte *Galenus* utitur radice ad sanandas rimas sedis.

Aqua in foliorum cavo commendatur ad verrucas, oculis caliginosis prodest, & maculas faciei exterit, unde mulierculæ, formæ studiosæ, usum ejus optime tenent.

D. *DIGITALIS* purpurea folio aspero C. B. *Fox glove.*

Folia recentia aliquantulum fœtent fere instar Sambuci, mucilaginosa sunt & amara cum nauseâ & adstrictione: adest quoque aliquid caloris: mihi enim, per semihoram masticanti, sentiebatur calor in lingua per aliquot horas.

Externe discutiunt tumores scrophulosos trita & imposita, vel Succus in unguento.

Novi, herbam applicatam fuisse & quotidie per aliquot menses renovatam, ad tumores hujusmodi in cervice discutiendos, felici cum successu in duabus puellis, ubi medicamenti leviter escharotici vel vesicatorii mitis vicem præstabat, cum stillicidio humoris tenuis.

In Italia magni usûs sunt in consolidandis vulneribus & mundandis ulceribus.

Valide emetica sunt & cathartica, robustioribus tantum convenientia.

Flores quoque mucilaginosi sunt & amaro-dulces cum adstrictione mucilagine anodyni, adstrictione abstergentes & consolidantes; & hi quoque, butyro Maiali immissi vel cum adipe porcino mixti, tumoribus scrophulosis curan-

randis, scil. vel discutiendis vel maturandis & ulceribus detergendis vel explendis inserviunt, præcipue in humidis.

Infusum florum coloris magis fusci fiebat addito Vitriolo Martis, foliorum vero mutatio inde vix notabilis.

C. *DRACONTIUM.* Dracontium majus *Dioscoridis.* Dracunculus polyphyllos C. B. *Dragons.* Radix.

Acrem & insigniter amaram naturam fortita est, Aro acrior, calidior, amarior.

Ulcera, quæ cacoëthe vocantur atque phagedænica, expurgat, ad cicatricem perducit Bryonia alba & melle trita: & radicis lævigatæ pulvis malignis ulceribus medetur, atque in pharmacorum compositione in nervis vulneratis adhibetur, utpote tenuium partium.

Ex ea & melle collyria ad fistulas & ad partus extrahendos componuntur; & herbæ, postquam flaccidi flores emarcuerint, Radicisque odor recens conceptos fœtus enecare dicitur: item, si triginta grana ejus in posca bibantur, abortum inferunt, & in pessis exhibet *Hippocrates* radicem derasam.

Ex aceto illita vitiligines emaculat. Naribus ex vellere indita, vel papyrus, succo infecta, & specillo involuta, si naribus inseratur, posteraque die educatur, polypum absumit. Carcinomata illitu sistit. Succus ad nubeculas, albugines, oculorumque caligines convenit.

Fortiter resolvit tumores, sed in hunc finem admisceri debet adipi: nisi enim humectaveris & mollieris induratos tumores, sed fortibus medicamentis resolvere tantum studueris, in primis quidem diebus eos insigniter decrescere facies, sed pariter id quod relinquitur indurabis; hoc vero induratum difficulter resolvetur.

Pro medicina purgante exhibita fuit, & apud *Hippocratem* jungitur Veratro ut purgans.

Pota è vino venerem stimulat & urinam ciet. Omnes crassos glutinososque humores extenuat.

Cruda coctave cum melle, aut per se, delingi potest contra orthopnœas, rupta, convulsa, tussim & destillationes: & radix, bis terve elixata, quoad omne medicamentosum deposuerit, nonnunquam exhibetur mandenda, quemadmodum & Ari: sed modo quando humores crassi & lenti, qui in thorace & pulmonibus habentur, vi majore indigent.

Balearium insularum incolæ coctam radicem cum melle multo, placentarum loco, in conviviis apponunt.

NOTÆ. Radix gustus est acris, urentis, magis acris & magis amara quam

 Arum.

Arum, & propius accedens Ranunculo. Acrimonia corrigi dicitur ab aceto.

Elixa resolvit scirrhosos tumores & strumas, leniterque duritiem emollit.

Datur & farina quibusdam a ℈j ad ʒj, ab aliis ad ʒij, ad purgandos serosos, crassos glutinosoque humores.

In initio aphoniæ linguæ admota aliquando vocem statim restituit.

Folia minus acria sunt quam radices, scil. initio dulcia, postea satis acria. His, authore *Dioscoride*, caseus involutus a putredine præservatur. Sunt quoque detersiva & vulneraria.

Fructus valentior est, non tantum quam folia, sed & quam radices; proinde cancros & polypos eliquare creditus est.

D. *DULCAMARA.* Solanum scandens, seu Dulcamara C. B. *Woody Nightshade or Bitter sweet.*

Folia odoris sunt Solani, recentia fere ut Stramonii, saporis amarescentis, postea dulcescentis, unde nomen: porro calor & acrimonia sentitur diu masticanti. Herba est quoque mucilaginosa & subadstringens, infusum ejus aquosum viridescebat addito sale Martis, & in altero experimento decoctum quoque subadstringens erat & atro-viride fiebat ab eodem sale.

Folia vix rubefaciunt chartam cæruleam, & huic experimento convenit alterum, argumentum præbens salis alcalino affinis, nempe Succus cum Acidis grumosus fiebat, contra fluiditatem retinebat cum Alcalinis. Confer *Cynoglossum*, cum quo forte convenit.

Usurpatur in inflammationibus prurientibus manuum & pedum.

Viridis contusa & cataplasmatis forma applicata mitigat mammarum dolores, emollit earum tumores & dissolvit in iis grumescens Lac.

Succus ad ℥ij vel iij satis violenter purgat.

Stipites odorem habent dum diffringuntur mirum, singularem, saporem primum amarum, dein dulcem cum acrimonia in gutture. Horum Succus non mutabatur ab Acidis ut Succus foliorum supra.

Debent findi & contundi momento quo in usum adhibentur, v. g. in decocto ℥ij vel iij ad ℔j aquæ: decoctionem longam non ferunt.

Operantur sudore & urina sine inflammatione. *Prævotius* decoctum collocat inter bilem benigne evacuantia, & *H. Tragus* Vini decoctum conficere docet ligno minutim inciso, quod ictericos per urinam & per inferiorem ventrem clementer purgare refert, scil. lignum pondere libræ ad mensuram Vini albi super carbones decoquendum lento igne supra tertias, cujus sumatur cyathi vulgaris mensura mane & vesperi in Ictero, præsertim inveterato.

Decoctum vim habet detergendi, omneque intus fundendi, & cum glycyr-

rhiza

rhiza optimum est deputans sanguinem, vires habens forte meliores quam Sarsaparilla, expectorationem egregie promovens, & phthisin, in qua non aderat humorum colliquatio, curavit. In lue venerea & arthritide vaga laudatur ab *Hallero*.

Radix odoris est instar Cynoglossi, saporis amari, subdulcis, subadstringentis, non sine calore & acrimonia.

Urinam ciet; hydropem sanare dicitur, & radici Sarsæ substituitur in curandis Morbis venereis cum Mercurii sublimato corrosivo.

Baccæ maturæ quasi vinosæ sunt, acidæ, dulces, amaræ cum nausea, mucilaginosæ. Fortiter rubefaciunt chartam cœruleam. Purgant violenter sursum & deorsum.

Canis, cui No. xxx dedit *Floyerus*, intra tres horas periit rabidus.

E.

C. *EBULUS.* Sambucus humilis sive Ebulus C. B. Chamæacte *Dioscoridis* *Dwarf Elder*. Folia, caulis & radix.

Folia graveolentia sunt: ita ut eorum fumo fugentur Serpentes, & decocto si locus spargatur, muscæ necentur; cauliculi quoque in aqua macerantur, & hac sparsa pulices suffocantur.

Si prætenera & mollia ex polenta illiniantur inflammationem mitigant; ambustis & canum morsibus illitu prosunt. Iis, qui podagra tentantur, cum sevo taurino aut hircino prosunt illitu folia vel cauliculi. Ulcera sinuosa glutinant.

Olerum modo coquuntur & aliquando eorum mollissima ex oleo & sale eduntur ad pituitam bilemque detrahendam, quod quoque caules teneri, in patinis cocti, præstant. Alias decoctum foliorum, in vino veteri ad cyathos binos potum, alvo detrahit aquam, stomacho inutile.

Tritus cum teneris foliis ex vino potus calculos pellit: impositus testium inflammationes sanat. Folia trita & e vetere vino imposita rubentes papulas sanant. Vires habet similes Sambuco.

Radix recens, excussa tantum, non collota, quod duo digito comprehendant, ex vini veteris calidi hemina decocta hydropicos sanat, alvo detrahens aquam.

Radicis tritæ Succus, linteo colatus, mox in sole densatus, & cum opus sit, rosaceo dilutus & calefactus parotidas sanat, vim habens modice discutiendi.

Radix vulvas emollit insidentium decocta, patefaciens earum spiracula & vitia corrigens. In vino decocta & pota prodest Viperarum morsibus.

NOTÆ. Folia fœtent, sed minus quam folia Sambuci vulgaris. Folia & caulis viscosa sunt, saporis valde amari cum nausea, subacris in gutture; decoctum adstringens est, & ab indito Sale Martis coloris fusci fit.

Succus spissior fit cum a liquoribus alcalinis, cum a Spiritu Vitrioli.

Analysi chemica nihil præbet Acidi, sed magnam quantitatem Spiritus urinosi.

Externe folia emolliunt & resolvunt, in fotu & cataplasmate egregie prosunt contra dolores podagricos, necnon in sciatica & omni rheumatismo; tumores aquosos, herniam aquosam discutiendo & resolvendo, tollunt.

Infusum, instar Theæ potum per annum, dicitur egregie profuisse arthritico cuidam, & alteri in affectu cutaneo rebelli.

Teneri & recentes turiones, in vere decocti & in cibo sumpti, alvum emolliunt citra periculum: vino decocti, adjecto melle & per aliquot dies poti, frigidæ & siccæ tussi prosunt, vitia pectoris purgant, & quosvis crassos lentosque humores incidunt.

Radix, seu potius ejus Cortex medianus (cui inhæret vis purgans, reliqua enim radix adstringit) odoris est gravis, saporis primo subdulcis, dein subamari cum nausea, aliquantum acris, calidi, & salivam manducanti elicit ex ore, aliquantum adstringens, etsi decoctum vix mutetur a Sale Martis.

Externe, ut folia, discutit, emollit & usus est præcipui in inflammationibus & erysipelate.

Cortex recens coquatur in Oleo veteri vel Lini: addatur Succus expressus ad impregnationem Olei: ebulliat, dein exprimatur: optimum est ad ambustiones remedium.

Usu interno datur infusum ad ℥ij, Succus ad ℥j. Cocturâ vis perit. Serositates abunde purgat, sed ob vim drasticam raro adhibetur.

Ex Seminibus fit Oleum per expressionem, quod valide operatur per vomitum, secessum & urinam, & ad ʒj vel ʒß ex Cerevisia tepida dicitur esse egregium Vomitorium.

C. EBUR. *Ivory*.

Siccæ est & exterioris facultatis, vim adstringendi obtinet: scobs illitus, vel in cataplasmate impositus, paronychias sanat. Ramentis cum melle Attico nubeculæ in oculis tolluntur.

NOTÆ. Omnia elephantum ossa Ebur dici possunt; ex dentibus autem aut con-

cornibus pulchrius. *P. Ægineta* etiam ex unguibus fieri monet.

Eadem fere ex eo producta exhibentur ac ex cornu cervi & easdem fere vires habet.

Rasura non secus quam Cornu Cervi ad ptisanas utilis est.

Ebur rasum solvebatur integre in Spiritu Vitrioli, Spiritu Nitri, & Spiritu Salis.

Ex rasura fit Gelatina, ut ex cornu Cervi. ℥j Rasuræ exhibuit ʒiij gr. xvj Gelatinæ.

Coquendo rasuræ ʒiv in aqua destillata & inspissando decoctum restabant Gelatinæ ℥vj, sed residui sicci ʒij ℈j. Hinc manifestum est Gelatinæ ℥vj tantum inesse ℈ij Eboris, reliquam vero Gelatinam esse meram aquam, ex qua proinde Gelatinæ magna ex parte constant.

Hæc Gelatina saporis erat salini, Ebur residuum fragile erat & terrestre.

Plus Salis volatilis destillando præbet quam Ossa vulgaria, & fere æqualem quantitatem ac Cornu Cervi.

Ustum, *Spodium ex ebore* dictum, usurpatur in vulneribus exsiccandis, & commendatur usu interno contra catarrhos tenues & salsos, fluxum Alvi quemcunque, hæmorrhagiam & fluorem album mulierum.

C. *ELATERIUM.* Vid. *Cucumis agrestis.*

C. *ELATINE.* Linaria Elatine dicta folio subrotundo *Raii* Synops. Elatine folio subrotundo C. B. Veronica fœmina *Fuchsii.* *Round leaved female Fluellin.* Linaria segetum Nummulariæ folio villosum *Tournef.* Inst.

Hæc genuina est Elatine, omnium nuperorum suffragiis facie & viribus congrua, (*c*) quanquam alius generis a Veronica mari. Rara in Anglia, & forte minus acerba quam Elatine veterum.

Folia gustu adstringentia, &, authore *Galeno,* modice tum refrigerant, tum adstringunt. Cum polenta imposita inflammatis fluxioneque infestatis auxiliantur. Cocta herba (addit *Plinius,*) *cum semine lini* sorbitionis usu dysenteriam sistit.

NOTÆ. Folia odoris sunt aliquantum oleosi, gustus subamari, secundum alios valde amari, subadstringentis, subacris. Chartam cæruleam non rubefaciunt.

Autho-

(*c*) Vid. *Adversaria Lobelii.*

Authore *Lobelio* Succus herbæ expressus, tum intro assumptus, tum exterius applicatus Ulcera serpentia & cancrosa cohibet & perfecte sanat.

Vino decocta & gargarisatu exulcerationes oris & colli persanat.

De *Veronica Mare* (*Male Speedwell*) Vide sub littera V.

N. *ELETERII*, Eleutherii vel Cascarillæ *Cortex*.

Hic Cortex, nuperrime detectus, Odoris est aromatici, accensus odoris fragrantissimi instar Moschi aut Ambræ gryseæ, a Judæis in suffumigiis frequenter usurpatur, quo distinguitur ab omnibus Corticibus notis, & additur Nicotianæ odoris gratia.

Decoctum saporis est amari, calidi, subadstringentis, & a colore citrino mutatur ad atro-fuscum, addito Vitriolo viridi.

Oleum essentiale æthereum fere ad ʒj ex Corticis ℔j elicitur spiritu valde turgidum, fragrantissimum.

Vires hujus Corticis extrahuntur partim aqua, integre Spiritu Vini.

Diaphoreticus est, diureticus, carminativus, cardiacus, uterinus. Commendatur in Paralysi, asthmate, vaporibus.

Inter Germanos magnæ æstimationis est, utpote stomachicus, & roborans in colica flatuosa, in diarrhœa febrium acutarum, dysenteria, hæmorrhagiis; & in intermittentibus sæpe adjungitur Cortici Peruviano: quin &, ubi defecit cortex Peruvianus in quartanis curandis quidam confugerunt ad hunc corticem cum successu felici.

In *Historia Acad. regiæ* dicitur plus præstitisse in curanda Dysenteria, grassante A. D. 1719, quam Ipecacoanha.

C. *ELLEBORUS ALBUS* flore subviridi C. B. Veratrum album. *White Hellebore*

Non equidem noster in omnibus descriptioni *Dioscoridis* convenit; effectus tamen fere iidem.

Eligendus qui linguam fervido gustu incendit, non valde tamen, neque cumulatè salivam attrahens, hujuscemodi enim strangulat. Subamarus est, acris, extergentis & excalfacientis facultatis, ex tertio ordine excalfacientium & desiccantium, secundum *Galenum*. Galli sagittas in venatu Elleboro tingunt, circumcisoque vulnere teneriorem fieri carnem affirmant. Muscæ quoque necantur albo trito & cum lacte sparso.

Eodem & phthiriasis emendatur. Mures interficit cum melle & polenta subactus. Eo tamen vescuntur Coturnices.

Sternutamenta excitat. Collyriis admiscetur, quæ caliginem oculorum discutiunt. Menses pellit, partumque appositus necat. Attenuans & incidens calculum

culum frangit. Medetur externis corporis vitiis, ſeu eruptionibus pituitæ cum axungia ſalſa illitus, item ſuppurationi veteri, ad alphos, lichenas, pſoras, leprasque accommodatus.

Purgat vomitiones, varios extrahens humores, & datur ad revellendum in alvi egeſtionibus acribus. Omne bilis & pituitæ genus educit, idque non ſine convulſionis & nimiæ purgationis periculo, multis tamen utilitatem affert. Vomitiones quoque concitant fœdi & ex eo bulbi cum aceto.

Medetur morbo comitiali & attonito, vertigini, diuturnis capitis doloribus, mentis ſegnitiei & veterno, melancholicis, inſanientibus, tetano, tremulis, ſpaſticis, cynicis, podagricis, iſchiadicis doloribus articulorum, vitiligini, lepræ, & ſi quid aliud in cute excitetur, hydropicis, incipientibusque tympaniticis, ſtomachicis, quartanis, quæ aliter non decedunt, tuſſi veteri, inflationibus, torminibus redeuntibus.

Facit etiam ad pilorum barbæ & capitis denudationem. confert iiſdem iis, qui noctu ab Ephialte ſuffocantur; & aquam reformidantibus, dum bibunt hanc, ne amplius metuant, efficit. Id autem olim agricolæ quoque cognoverunt, qui, ubi canes morbo corriperentur, Elleboro purgabant; ac Medici poſtea homini, qui ſimili morbo laborabat, Elleborum dare, in animum induxerunt.

Vetant dari ſenibus & pueris, item mollis ac fœminei corporis animive, exilibus aut teneris, item ſi exulcerata ſint præcordia aut tumida, & ſanguinem exſcreantibus.

Dant nonnulli in pultis ſorbitione aut copioſo alicæ cremore, aut, paucum ante cibum dari præcipientes, ſtatim veratrum offerunt, iis præſertim, quibus ſtrangulatio imminet, aut ſi corporis imbecillitas adſit: hoc enim modo purgatio periculo vacat, quod cibo munitis non intempeſtive medicamentum corporibus offeratur.

Aliter aqua, in qua ramentorum drachmæ quinque ad aquæ pluviæ heminam Atticam triduo maduerunt, cum colo facta trajectione, datur ſenibus, pueris & iis, qui laxiorem habitum habent.

NOTÆ. Radix inodora eſt, ſaporis amaricantis, ingrati & nauſeoſi, acris, calidi, calore aliquot horas durante, & fere linguam excoriante.

E reſinoſis æque ac gummoſis partibus conſtat, verum præcipua activitas in ſubſtantia reſinoſa latet.

Pulvis quieſcit cum Spiritu Nitri & cum Oleo Vitrioli. Decoctum Heliotropium rubefacit, ſed viride fit cum ſyrupo Violarum. Ejus malignitas corrigitur per Acida.

Succus, copia vel minima ſanguini immiſſus, mortem certo & cito infert.

quod

quod fit sagittis illo illitis, ut sæpe expertus est *Matthiolus* in brutis & gallis gallinaceis.

Si sola usurpetur Radix pro errhino nares inflammat, proinde tantum pro stimulo adhibetur pulveribus aliis mitioribus admistus.

In peste pecorum auribus perforatis inditur. Pulvis radicis, fontanellæ applicatur, purgationem violentam excitat. Quin & in homine, radicis frustulo auriculæ lateris affecti infixo, profecto inde sero acriori, cephalæa contumacissima curabatur.

Externe in psora, ulceris & fistulis adhibetur, & in Miscellaneis curiosis exemplum prostat Scabiei desperatissimæ, curationem recipientis hujus polline linimentis antipsoricis addito.

Profitetur *Brassavolus*, se sæpe sine correctione, more Veterum, insanis dedisse optimo cum successu, & *D. Johannes Riddell* dedit maniacis & melancholicis Radicis ℥ij in Vini albi ℔ij, dosi ℥ij cum felici successu, inde per vomitum rejecta materie nigra.

C. *ELLEBORUS NIGER* flore roseo. C. B. Veratrum nigrum. *Black Hellebore.*

Veratrum nigrum *Theophrasti & Dioscoridis* diversa sunt, nec ullum è nostris convenit in omnibus cum Elleboro nigro veterum. *Tournefortius* asserit, se verum nigrum apud Armenos invenisse, sed longe magis vehementis esse operationis, quam nostrum. *Freindius* innuit, hoc evenisse ob majorem dosin, quam veteres, nempe ad ℥ij, solebant exhibere, *Alduarum* vero inter primos fuisse, qui minore dosi, nempe vix ultra drachmam, exhibuerint, idque sine periculo, verum contra laudandum esse ad varios usus, cujus observationis veritatem abunde confirmavit Neotericorum experientia.

Gustû acris fervensque est, & calidior quam albus, extergentis & excalfacientis facultatis ex tertio ordine secundum *Galenum*. Celeriter effodiatur oportet, quoniam halitu caput aggravat, quapropter ad id arcendum fossuri allium præsumere, & vinum bibere consueverunt, nulli ita noxæ opportuni redditi. De albo hæc prodit *Plinius*, & de Elleboro universim *Theophrastus*.

Nigro equi, boves, sues necantur, itaque cavent de eo, dum candido vescuntur. Ita *Theophrastus*, sed idem candido vesci tantum oves dixit.

Si veris constitutio siccior obvenerit, qui in Italiâ nascitur par erit ex Cretâ allato.

Erodentibus medicamentis commiscetur. Si in fistulam, callo induratam, immissus fuerit, duobus tribusve diebus callum detrahit. Item, contra gravitatem auditus in aurem demittitur, ubique in alterum aut tertium diem esse finitur. Strumas, suppurata, duritias concoquit & purgat. Verrucas tollit cum squa-

squamis Æris & sandaracha. Scabiem sanat illitus cum thure aut cera & pice, & cedrino oleo perunctus. Vitiliginibus, lepris, impetiginibus ex aceto medetur. Dentium dolorem coctus cum aceto collutione mitigat. Hydropicorum ventri utiliter imponitur factum ex eo, farina hordeacea & vino cataplasma.

Menses inditum exinde pessarium trahit, partus necat. Attenuans & incidens lapidem frangit.

Purgat ventrem, detrahit bilem pituitamque, ad quem scopum decoquitur cum lacte & jusculis, quæ purgationis gratia sumptitantur.

Prodest morbis comitialibus, melancholicis, insanientibus, articulariis doloribus inveteratis, hydropicis, dum citra febrim, & paralyticis.

Datur ex aqua ad leniter molliendam alvum. Confer supra dicta de *Ellebore albo*.

NOTÆ. Radicis recentis odor acris est, sed nobiscum lenis, subaromaticus, gravis: sapor amarus cum nausea, acris, calidus, calore in ore diu durante, & linguam afficit quasi stupore.

Notas prædominantis salis alcalini vel acidi non possidet; nam Heliotropium rubefacit, sed Syrupum Violarum viridem reddit, & pulvis quiescit cum Spiritu Nitri & cum Oleo Vitrioli. Corrigi dicitur per Acida, sed & corrigitur per salem Tartari.

Vires ejus extrahuntur Aqua per coctionem & Spiritu Vini per digestionem, sed maxima virtus cathartica in parte resinosa hæret. gummosa ab hac separata nullam catharsin, sed magis diuresin promovet, at resinosa alvum valde movet, & cum torminibus; hinc operatio optima obtinebitur, partes has diversas conjunctim exhibendo, authore *Cartheusero*.

Externe convenit in usu sternutatorio, & longe tutius usurpatur quam albus. *Helmontius* in hunc finem admiscet partes æquales hujus & Sacchari, addito tantillo Olei Caryophyllorum.

A fabris usurpatur ad curanda Ulcera maligna equorum, & fibra radicis, auris lobulo immissa, instar Vesicatorii serum acre prolicit, sicque in cephalæa, ophthalmia & suffusione utilis est.

Fonticulo imposita ejus excretionem promovet. Ventrem turbat.

Radix, quæ huc adfertur, parum purgat, sed tenuiores secretiones, urinam & sudorem movet, & profitetur *Freindius*, se majores effectus ejus observasse in cienda urina in Hydrope quam ab aliis Diureticis; & *D. Mead* affirmat, hanc Radicem singularem habere virtutem menses movendi, adeo ut vix unquam spem fefellerit; quem in finem, in mensium suppressione, Tincturæ Cochleare mi-

Z ni-

nimum ex aquæ tepefactæ hauſtulo, bis in die, exhibet, præſertim in plethoricis ubi Chalybeata nocerent. Hæmorrhoidas quoque reſerat hæc radix.

Doſis in ſubſtantia dicitur eſſe a gr. xv ad ʒſs vel ℈ij & robuſtiſſimis ad ʒj: in infuſo vel decocto a ʒj ad ʒij.

Ab *Heurnio* in Miſcellaneis curioſis prædicatur *Pomum helleboratum*, tanquam certum remedium adverſus Quartanam pertinaciſſimam. Pomum nempe radicibus Hellebori nigri ad ʒſs & aliquot Caryophylis transfigitur, foculo ſub cineribus coquitur, Helleboroque dein abjecto, pomum eſitandum offertur.

D. *ENDIVIA.* Intybus ſativa latifolia C. B. *Endive.* Confer *Cichoreus* & *Dens leonis.*

Folia ſubamara ſunt, ſucco lacteo ſaponaceo amareſcente repleta, ſubacria, ſubadſtringentia.

In Acetariis præſtantior eſt Lactucâ, utpote amarulentior & ſtomacho hepatique utilior.

Quidam humant & tumulatam in arena ſicca per integram hyemem usque in ver ſervant, unde friabilis & ori grata redditur.

Externe virentis folia in inflammationibus & tumoribus eryſipelaceis admoventur.

Uſu interno diuretica, refrigerans, uſusque in febribus bilioſis, & prædicatur ut Hepaticum nobiliſſimum, cum ſero lactis cocta, in intemperie calida Hepatis cum obſtructione vaſorum meſenterii.

Radix magis amara eſt quam folium.

Semina ſaporis ſunt quoque ſubamaricantis vel fere fatui; annumerantur ſeminibus quatuor frigidis minoribus, & uſurpantur in emulſionibus in febribus ardentibus.

C. *ENULA CAMPANA.* *Elecampane.* Helenium vulgare C. B. Helenium primum *Dioſcoridis* C. B. Inula *Plinii.*

Helenium *Theophraſti* prorſus diverſum eſt ab Helenio *Dioſcoridis.*

Odorata eſt, ſubamara, ad cauditatem vergens, febricitantes lædens. Ruborem excitat & calefacit, æque ac fimus columbarum ſylveſtrium, quo admodum frequenter utimur: non tamen primo appulſu ſtatim calefacit, quamobrem non eſt dicenda calida & ſicca, ut piper, ſed cum excrementitio humore.

Contuſa, & ex vino auſtero poſtea cocta, ac late ſuper coxam impoſita, intervalentiſſima auxilia eſt ad coxarum dolores; & in exiguis aſſiduisque articulorum quorundam præ humiditate procidentiis ac luxationibus prodeſt.

A je-

A jejunis commanducata dentes confirmat. Potum decoctum menses & urinas ciet.

Eclegmatis, quæ faciunt ad educendos ex pectore pulmoneque crassos lentosque humores, apte commiscetur, & tussi, orthopnœæ, ruptis, convulsis, inflationibus & serpentium morsibus medetur.

Trita potaque ad cruentas exscreationes efficax est.

Radices, in vino decoctæ, succus lumbricos pellit. Stomacho utilis in passo.

NOTÆ. Radix sicca suavis est odoris, fere instar Angelicæ, vel, secundum alios, instar Iridis Florentinæ, aut, juxta quosdam, parum aromatici, parum fœtidi: tactu viscosa, saporis ex dulci amari, tandem calidi & acris, fere ut piperis, acrimonia vero non se prodente primo occursu ob humiditatem quandam oleosam, particulas acres inviscantem; tandem vero diu masticanti calor & acrimonia quatuor horas duravit.

Grew notavit in ea Balsamum citrinum, quod & ipse vidi in cryptulis, quasi balsamo indurato plenis, transversim sectâ radice.

Cum Aqua destillata Oleum essentiale adscendit in flosculos concrescens.

Vires extrahuntur parum aquâ, integre Spiritu Vini, & activitas ejus substantiæ resinosæ magis quam gummosæ adscribenda est.

Pulvis ebulliebat & spumescebat cum Spiritu Nitri & cum Oleo Vitrioli.

Chartam cæruleam vix rubefacit.

Infusionem, non vero decoctionem fert ob volatile aroma.

Chirurgi utuntur cum vino & sale contusa in tumoribus lentis & pituitosis, sed, si nimis diu relinquatur, partem exulcerat.

Recens Ulcera & Scabiem mundat, unde *Scab wort* dicitur.

Contra Scabiem admiscetur axungiæ porcinæ in mortario plumbeo; vel in taleolas dissecta tam diu in aqua coquitur, ut digitis conteri queat: si tunc in ejus brodio laventur manus pedesque scabiosorum, eademque linimentis admisceatur, scabiem curabit; illud certum est, radices tam siccas quam conditas ventriculi ægritudinibus frigidis oppido conferre, unde *Hoffmannus* eam Aroma Germanicum appellavit & præ Zinzibere laudavit. Sudorifera est.

In affectibus Colicis è vitio acidi ortis, speciatim Colica flatuosa & scorbutica egregia est, quin & glandularum obstructiones reserandi habet facultatem, unde in atrophia adhibita aliquando fructuosa fuit, & in affectibus catarrhosis.

In Chlorosi specificum medicamentum audit condita radix vel Vinum Gallicum, in quo radices concisæ per triduum maceratæ fuerint, mane jejuno ventriculo sumptum ad dimidii sextarii mensuram. Pestis tempore vulgus Vinum enulatum bibit, ut ab ea sese præservet.

1. C. *EPITHYMUM*, seu Cuscuta minor C. B. *Dodder of Thyme*.

2. *CUSCUTA* major C. B. *Dodder*. Hæc passim herbis & fruticibus adnascitur, v. g. Urticæ, Lino, Lupulo, Rubo, &c. Cuscuta recentioribus *Græcis* Κασσυτα, hinc *Avicennæ* Kesuth, *Plinio* Kadytas.

Dioscoridis Epithymum, quod pro flore alterius thymi spicati posuit, confundit cum Epithymo Casytæ; facultates enim apud eum sunt Epithymi Casytæ, sed formæ descriptio respicit thymum alterum.

Nauseosum est, calida & tenui natura consistens, exsiccans & excalfaciens tertio gradu secundum *Galenum*, extenuatoria.

Eo spasticos & opisthotonicos perungi author est *Plinius*, & succo Perniunculos curari.

Alvum leviter dejicit, &, ut quotidie semel venter recte secedat, à cœna commode in vino datur, quemadmodum Aloë, sed ad valentius purgandum ad drachmas quatuor vel quinque acetabuli mensura cum melle, sale & aceti exiguo, vel ex seri lactis exiguo. Sic detrahit pituitam bilemque atram per inferna, conveniens passionibus flatuosis, inflammationibus & interaneis morbis, cruditatibus, hypochondriacis præcordiorum affectionibus, melancholicis & iis, quibus hepar aut lien prægravatur, atque etiam difficulter spirantibus.

Addit *Avicenna*, Cassutham provocare urinam, menstrua, & succum ejus projectum super vinum utilem esse in Ictero: porro & ei tribuit stypticitatem aliquam cum vincente amaritudine, & quod ex eo frixum est confortare stomachum, constringere & mundificare fluxum matricis.

NOTÆ. *Cuscuta minor* odoris est aromatici, resinosi, præsertim ex Candia apportata, saporis subamari, subadstringentis, & in gutture acris per semihoram.

Infusum tantummodo diluebat Syrupum Violarum, sed vix rubefecit Chartam cæruleam. Multa coctione vis avolat.

Solet primarium haberi in malo hypochondriaco & icterico.

In occidentalibus Angliæ, quæ in urticis nata est, Urinis potenter propellendis efficacem esse experimento suo confirmat *Lobelius*

Cuscuta major easdem fere qualitates sensibiles possidet, nisi quod minus odorata sit, acris quoque in gutture per semihoram & similes vires huic ac priori haud immerito tribuuntur.

C. E.

C. *EQUISETUM* paluſtre longioribus ſetis C. B. *Great Marsh or Water Horſe tail.*

Genera duo *Dioſcoridi*, quorum utrique vires easdem tribuit: primum pleriſque notis huic noſtro convenit.

Herbæ vis adſtrictoria eſt cum amaritudine ſecundum *Galenum*, & citra morſum exſiccans.

Succus ſanguinem è naribus erumpentem ſiſtit, item ſanguinis ſputum, prodeſtque dyſentericis in vino potus, & herba ipſa, ex vino auſtero epota, aut ex aqua, ſi febris adſit, ad profluvium rubrum mulierum, ad dyſenteriam & reliquas ventris fluxiones ſtrenuum ac generoſum eſt remedium. Sanguinolenta vulnera, vel maxima, etiamſi præſectos eſſe nervos contigerit, glutinantur tritis foliis & illitis. Folia, in aqua pota, diſſectiones veſicæ & inteſtinorum tenuium in unam coaleſcere cogique feruntur. Succus, in vino potus, urinam ciet.

NOTÆ. Quod in ſylvis, arvis aut pratis creſcit præferendum eſt, authore *Simone Pauli*, utpote adſtringendi facultatem cum amaritudine poſſidens, contra in riguis locis & vento carentibus degenerat.

Folia guſtu tantum mediocriter adſtringentia ſunt, adſtrictio vero clarius pateſit ſucco vel infuſo, colorem nigrum, fuſcum vel viridefcentem acquirente ab admiſta ſolutione Vitrioli Martis: adeſt & aliquid ſalini, & ſubdulcis, ſaltem in caule, fere inſtar Phyllitidis: adſtrictio etiam dicitur evidentior eſſe in radice quam in foliis. Porro Succus coagulabatur & ab Acidis & ab Alcalinis, ſecus quam fit in pleriſque plantis adſtringentibus. Chartam cæruleam vix mutat.

Vis adſtringens extrahitur tum Aquâ, tum Spiritu Vini.

Uſu externo in Herniis felici cum ſucceſſu applicata fuit herba, & interne in mictu cruento. Ulceribus pulmonum, renum, veſicæ, urethræ admodum proficua fuiſſe dicitur multiplici experientia. *Ammonius* in Medicina Herbaria ait, ſibi diutina experientia compertum eſſe, decoctionibus hujus herbæ propinatis Scabiem Veſicæ profligari.

Equiſetum, inquit *Linnæus*, ruſtici noſtrates in cibum aſſumunt, jejunii quadrageſimalis tempore, quando illud prius elixant, mox farinâ ſuperſpergunt, & oleo in ſartagine frigunt manducantque piſcium vice, ex quo cibo alvus eorum quandoque ita conſtipatur, ut in Coli cruciatum facile incurrant.

C. *ERIGERON.* Senecio minor vulgaris C. B. *Groundſel.*

Mixtam habet vim, refrigeratoriam & modice diſcuſſoriam. Folia cum floribus refrigerant, quare illita cum vini modico, vel per ſeſe teſtium & ſedis.

dis inflammationibus medentur. Podagræ five calidæ five frigidæ cum axungia convenit. Nervorum doloribus ex aceto illinitur. Ex paſſo mammas uberiores facit.

Torminibus in paſſo utiliſſimum & totus caulis, ſi in paſſo potui detur, ſtomachi dolores a bile contractos perſanat.

Cohibet ſanguinis ſputum ſuccus potus & lumbricos occidit.

Succus quoque hepaticis prodeſt, & decoctum bibitur ad obſtructionem hepatis: ſunt qui in regio morbo & contra omnia cordis veſicæque vitia cum vino dedere ac renibus extrahere urinam dixere.

Iſchiadicis drachmam cum oxymelite ab ambulatione propinavere; &, in notis *Harduini* ad *Plinium*, *Apuleius*, *cap.* 75. *tit* 5. ad lumborum & coxarum dolorem herbam Senecionem, per ſe tritam & jejuno in potu datam, validiſſime prodeſſe dicit.

NOTÆ. Odoris dulcis eſt ut Paſtinacæ, ſaporis ſubamari (ſubdulcis, præſertim caulis) ſalini in ſucco, ſubacris in gutture, eſtque mucilaginoſum.

Conſpicue rubefacit Chartam cæruleam, ac Succus ſpiſſeſcit cum Spiritu Cornu Cervi & Oleo Tartari, ſed non cum Aceto deſtillato.

Externe diſcutit & emollit in inflammationibus, ſuppurationem adjuvat, & in lacte coctum applicatur hæmorrhoidibus dolentibus, mammis, in quibus lac grumoſum, & partibus podagricis.

In Vulneribus adhibetur, præcipue nervoſarum partium, ad prohibendam inflammationem; quin & bene facit pro gargariſmo in tumoribus faucium & gulæ, decoctumque dicitur utile in tinea.

Datur Linariis aliiſque aviculis, necnon Equis ad purgandum, & ſuccus expreſſus contra eorum lumbricos, *Botts* dictos, quorum præſentiſſima peſtis eſt: ℥ij ejuſdem Succi contra Vermes in homine, ut apud Veteres, exhibentur.

Succus quoque, ad Cochl. j in cereviſia ſumptus, vel infuſum aut decoctum in ſero lactis Emeticum eſt ſatis tutum & efficax infantibus tenellis propinatum, Syrupuſque è Succo infantes purgat: quin & Cataplaſma, ex eo confectum, regioni ventriculi applicatum vomitum validum excitare dicitur aliquot horis poſtea. Vide *Edinb. Medical Eſſays*.

1. C. *ERUCA latifolia* alba, ſativa *Dioſcoridis* C. B. *Garden Rocket*.

2. *ERUCA ſylveſtris* major lutea caule aſpero C. B. *Wild Rocket*.

3. *ERUCA maritima* Italica ſiliqua haſtæ cuſpide ſimili C. B. Eruca marina *Ger.* *Sea Rocket*.

Dioſcorides meminit tum ſativæ tum ſylveſtris, ſed nulla additâ deſcriptione: Verum

Verum, quum sylvestris semen pro sinapi usurpari tradat, haud dubium quin earundem sit virium ac nostras.

Veteres non tantum semen, folia vero & caulem, antequam in semen succesferet, accipiebant, caule scil. inutili post semen effusum; & hoc olus manifestissime calefacere usque adeo, ut solum ipsum mandere, nisi lactucæ foliis misceatur, non sit facile.

Semine ad condimenta utuntur, quod, ut in longum tempus asservetur, adjecto lacte aut aceto, in pastillos digerunt: & in condiendis obsoniis tanta ei suavitas, ut Græci Euzomon appellaverint, quasi juribus grata.

In victu attenuat. Concoctioni prodest, Alvo perquam accommodata.

Inter ea, quæ ad ciendum vomitum adhibentur, quibus, scil. quis facile vomat, ut Raphanus, &c. locatur.

Capiti dolorem infert Eruca, si quis sola vescatur.

Cruda venerem largiore cibo concitat, & semen idem præstat, urinam ciet, præcipue sylvestris semen multo acrius: & menstrua ducit prout alia diuretica.

Semen detergit, concoquit, & reponitur inter ea, quæ valent ad alopecias, sed longe infra calidissimum Euphorbium.

Vitia cutis in facie cum melle illitum emendat & lentigines ex aceto: cicatrices nigras reducit ad candorem cum felle bubulo.

NOTÆ. Folia Odoris sunt pungentis, ingrati, fere ut Sinapios, saporis subdulcis initio, dein acris, urentis, & ad finem amari. Chartam cæruleam satis rubefaciunt.

Itali nunc dierum Erucæ tantillum Acetariis admiscent, & ejus gustu mirifice delectantur.

In siccâ acrimonia fere perit: Marinæ quoque acrimonia perit inter destillandum.

Extrahitur acrimonia infundendo in Aqua vel digerendo in Spiritu Vini.

Errhina sunt. Ab amarore abstergunt. Biliosis non commoda, sed pituitosis. In scorbuto, Chlorosi & Hydrope commendantur.

Seminum recentium cum siliquis odor fœtidus est, sapor acris & calidior quam herbæ, fervidus instar Sinapios, & subamarus, acrimonia minus volatili quam Foliorum prædita.

Vesicatoria sunt cum fermento mixta: masticata copiosum phlegma salivale ex ore eliciunt, & in apophlegmatismis pituitam è cerebro eliciunt.

Usus eorum non varius in cruditate primarum viarum, corruptelis seri & lymphæ mucidis, cachecticis, hydropicis, catarrhis frigidis, & glandularum meseraicarum obstructione.

C. ERYN-

C. *ERYNGIUM* maritimum C. B. *Sea Holly or Eryngo.*

Dioscorides unam tantum speciem novisse videtur, scil. campestre; nostrum vero maritimum est, ast utrumque ejusdem Classis est, & tum qualitates sensibiles, tum vires convenire videntur.

Radix odorata est & aromaticum quiddam resipit: vim habet calfactoriam: caulis tamen & radix in cibos Græcorum recipiebantur, sive coquere liberet, sive crudis vesci; proinde, caliditate parum a temperatis abscedere dicitur, siccitatis autem, & tenuium partium, non modice particeps esse.

Stomachicis convenit cruda. Crapulam præsumpta arcet. Alvum sistit.

Appensa illitave panos discutere proditur.

Extrahit infixa corpori cum melle. Strumas, parotidis, panos, recedentes ab ossibus carnes sanat cum axungia salsa & cerato, item fracturas.

Pota menses & urinas pellit. Mensibus, sive subsideant, sive abundent, authore *Plinio*, vulvarumque omnibus vitiis auxiliatur.

Tormina inflationesque discutit, & fervefacta, vel ipsa aqua, in potu sumpta, colicos sanat.

Contra jecinorum vitia, serpentium morsus & hausta venena cum vino prodest.

Bibitur ut plurimum drachmæ pondere cum pastinacæ semine. Pota cum hydromelite opisthotonicis & comitialibus medetur.

Cum aqua mulsa fervefacta calculosos, urinæ stillicidium, ejusque emittendæ difficultates, & nephriticos curat. Bibendum autem est hoc ejus decoctum per dies xvi jejunis, itemque ad noctem dormituris. si vero Laver simul cum ipsa incoxeris, & potandum dederis, melius res procedet. „ Affirmavit mihi „ (*Aëtio*) quispiam, se assiduo ejus usu calculos per lotium ejicere desiisse, „ quum antea eo vitio frequentissime divexaretur."

NOTÆ. Saporis *Radix* est dulcis, grati, fere instar Pastinacæ vel Sisari, & rustici ea vescuntur ad satietatem: notandum vero adesse quoque aliquid subacris & amaricantis in gutture & tales plantæ æstimantur plerumque vim insignem deobstruentem habere.

Folia aliquantum rubefaciunt Chartam cærulcam, Radices vero magis, earumque infusum solutionem Heliotropii ad colorem Claretinum mutavit, & annumerantur radicibus quinque minoribus aperientibus.

Sicca radix longe minorum virium est quam recens.

Succus ex radice saponaceus est, & summopere diureticus, urinam optime movet ubi subsistit à torpore naturæ; & datur decoctum in colica nephritica, calculum, arenulas & mucum viarum urinariarum educens.

Tabi-

Tabidis & macilentis optime conducit. Expectorationi convenit. Venerem stimulat. Saccharo aut melle condita maxime confert gonorrhϾ.

C. *ERYSIMUM.* Irio. Erysimum vulgare C. B. *Hedge Mustard.*

Theophrastus, & antiquorum alii, Erysimon inter Cerealia commemorant, & sesamo simile faciunt; proinde Erysimon aliud designat *Theophrasto*, aliud *Dioscoridi*, *Pliniusque* confundit utrumque.

Porro, nec Erysimum nostrum officinale notus Erysimi *Dioscoridis* convenit, hujus enim siliquæ in cacumine corniculatæ sunt, secus quam in nostro. Prostat equidem quoque apud *C. Bauhinum* Erysimum corniculatum, & apud *Raium*, in Historia plantarum, p. 813, scil. *Erysimum Dioscoridis*, *Zanoni* Erysimi Cretici annui nomine missum. Quum tamen Erysimum nostrum & *Dioscoridis* congenera sint, gustuque operatione, & viribus, si *Lobello* fides, conveniant, spero haud fore, ut vitio mihi vertat Lector, me vires, a veteribus Erysimo suo tributas, huc transtulisse.

Semen fervidi est gustus, & secundum quosdam, urentis, sed mitius multo & accommodatius ad eclegmata redditur, si aqua madescat atque torreatur, vel, linteo alligatum, subacta farina oblitum, inassetur. In summa, excalfacit & extenuat.

Illinitur ex aqua aut melle utiliter cœcis carcinomatibus, parotidibus induratis, & duritiis antiquis ulcerum & testiculorum.

Articularis morbis utile cum melle & fico.

Valet quoque in eligmatis ad promovendas crassorum lentorumque pectoris pulmonisque humorum expuitiones, contra thoracis fluxiones, purulentas exscreationes & tusses.

Datur & pleuriticis, torminibus, cœliacis, & in regio morbo, coxendicis doloribus, & contra venena cum melle linctum.

Venerem excitat. *Hippocrates* præcipit, Erysimum in aqua ebulliendum, &, oleo affuso, bibendum pro puerperii purgamento, & in vino albo in uteri strangulatione.

NOTÆ. Folia, Summitates & Semina Sinapi resipiunt, & acrimoniâ paullo tantum inferiora, quæ tamen per exsiccationem cito avolat, restante amarore; non vero adscendit acrimonia inter destillandum, nec restat in residuo, sed amaror.

Herba est Antiscorbutica egregia, ut Sinapi, Eruca, &c.

Seminum acrimonia extrahitur Aquâ, minus perfecte a Spiritu Vini rectificato.

Herba fatis rubefacit Chartam cæruleam; veruntamen hoc fingulare notatu dignum, quod herba recens destillata per retortam, secus quam pleræque herbæ recentes, nihil Acidi præbeat, notante *D. Hill*, quod & Experimento sequenti convenit: Succus aliquantum viscosus, addito spiritu Vitrioli, Oleo Sulphuris vel Aceto destillato, statim coagulatur & sedimentum subfuscum exhibet; contra rubescebat & clarior fiebat, addito Sp. Cornu Cervi, Sp. Salis Ammoniaci, vel Sale Tartari, argumento prædominii Salis, Alcalini affinis.

Assumptum Lac inficit odore alliaceo.

Semen cum melle tumores frigidos dissipat. Diureticum est.

Usus præcipuus in mucilagine contumaci pulmonum, tussi chronica, & speciatim raucedine a crasso pituitoso humore, non ab inflammatione ortâ, instar Theæ cum melle usurpari potest; & laudatur in scirrhoso-cancrosis tumoribus usu externo & interno.

Riverius decocto multos, colico dolore laborantes, curavit, quod etiam ex vino efficacissimum est remedium.

C. *ESULA*. Vid. *Tithymalus*.

N. *EUPATORIUM* Cannabinum C. B. *Hemp Agrimony*.

Non est Eupatorium Veterum (Vid. *Agrimonia*) cujus decoctum vim adstrictoriam prodit, colorem nigrum vel viridem acquirendo ab addito Vitriolo viridi, unde Eupatorii Cannabini decoctum vix mutabatur in meo experimento, etsi apud *Alstonum* atro-virescens fiebat.

Folia odoris sunt grati, fragrantia, saporis amari, subacris, & ejus suffitu animalia venenata fugantur.

Non, vel admodum obscure rubefaciunt Chartam cæruleam: Succus vero coagulabatur a Spiritu Cornu Cervi, & ab Oleo Tartari, sed non mutabatur ab Aceto destillato, nec a Spiritu Vitrioli.

Externe resolvit & Floribus inest vis Vulneraria, detergens vulnera, & ulcera pecorum sanans.

Tumores hydropicorum dissipantur balneo & cataplasmate exinde parato: & testatur *Chomel*, se vidisse Hydrocelen curatam sola applicatione hujus herbæ sine punctione

Urinam & Menses promovet.

Infusum instar Theæ debilitati, Morbis chronicis supervenienti, privatim febribus intermittentibus, succurrit. Dicitur quoque febrem Quartanam curasse, & feliciter usurpari in ictero & obstructionibus viscerum.

C. *EUPHORBIUM.*

Est succus inspissatus Tithymali cujusdam, secundum recentes: proinde considerantur vires *Tithymali*.

Græci recentiores & Arabes vim dejectoriam ei attribuerunt, in quem usum hodie aliquando datur. hujus tamen facultatis nulla fit mentio apud *Dioscoridem* nec *Galenum*, nisi quod in libris spuriis, *Galeno* adscriptis, hydropicis dari dicatur, & colicis omnibus, qui frigidi sunt ventris, cholericos autem ventres turbare, & sitim gravem facere; sed apud *Ruffum Ephesium* & *Aëtium* aquosa & biliosa copiose educere dicitur, & odoratum aliquod semen ei admiscendum esse, bibendumque ex melicrato ad obolos tres, sed præstare ut ex melle cocto in catapotia efformetur.

Succus est ex quarto ordine calfacientium, acerrimus, levi gustu os accensum diu detinens, & magis ex intervallo, donec fauces siccet. Potus tota die exurit, quare melli collyriisque pro acrimoniæ ratione admisceri debet: est & tenuium partium.

Inter ea, quæ alopeciis conferunt, calidissimum est Euphorbium.

Recens ferventissimum est, &, authore *Galeno*, anno tertio & quarto vim aliquam retinet, quinto vero & sexto exsolvitur. Hinc recenti admisceri debet major quantitas ceræ & olei, minor veteri: quantitas enim Euphorbii augenda vel minuenda est, pro ratione ætatis & imbecillitatis.

In Nervi punctura pharmacorum facultas debet esse tum tenuis, tum excalfaciens, & quæ siccare (non humectare, nam ab humectatione fieret putredo) citra dolorem potest, cum sola hæc trahere ex profundo saniem, neque contracta neque demorsa particula possint, v. g. Terebinthina resina, tum per se, tum admiscendo paulum Euphorbii, & per se quidem in pueris, mulieribus, iisque qui molli sunt carne, cum Euphorbio vero iis, qui duri. Plurimi in Nervis vulneratis unico illo Emplastro utuntur, quod ex Euphorbio, cera & resina frixa componitur, sed in hoc casu notanda ætas Euphorbii; vetus enim utpote mitius, præferendum in nervo aut tendine puncto detectove. Expertus est *Galenus*, Euphorbium vetus leve factum, ex oleo veteri, donec humidi cerati spissitudinem haberet, tendinis puncturæ in manu admotum fuisse optato effectu, & sine calore immodico vel morsu; sed, experimento facto cum Euphorbio recenti, succedebat calor & dolor, proinde medicamentum rejiciebatur.

Illitu oculorum suffusiones discutit, celebratur ad claritatem visus, diciturque, eos qui colligunt, clarius videre.

Squamas ossium eadem die removet, authore *Dioscoride* (d).

Coxarum doloribus prodest in aromatica potione haustum, juxta *Dioscoridem*. *Galenus* ulterius ejus vires prædicat usu externo in tollendis sedandisque doloribus. Frequentissimus (inquit) & plurimus in dolentibus particulis calefactionis usus apud Medicos est, nam & contenta relaxat, completa evacuat, refrigerata calefacit Euphorbium. Sic in dolore capitis à frigida causa *Galenus* sæpe simpliciter Euphorbii illitione usus est, exigua cera, compagis acquirendæ gratiâ, adjectâ.

NOTÆ. Planta lac acre vesicans stillat, quod inspissatum fit Euphorbium.

Odor ejus gravis, penetrans, unde, inter contundendum, muniendæ sunt nares, & in Errhinis non usurpandum, nisi ℈j ad ʒß vel ʒj pulveris Radicis Iridis Florentinæ.

Fere e partibus æqualibus Resinæ & Gummi constat, sed acrimonia in resina præcipue residet, tinctura enim spirituosa ignea est, aquea vero debilis: in igne liquescit & inflammabile est.

Corrigitur Succo Citri, vel Limonum & Spiritu Vitrioli.

Cum milio, fabis aut lentibus servari potest per duos, tres quatuorve annos, deinde, procedente tempore, in totum elanguescit.

In casibus, ubi remedia vulgaria non sufficiunt, v. g. in Apoplexia, dari potest ut Catharticum à gr. ij ad viij, & in eodem casu in Clysmatibus a ℈j ad ʒß. Sed prælarga dosi exulcerat intestina & mortem affert.

Cathæreticum est tam eximium in carie ossium & læsionibus nervorum, ut in priore casu ulceribusque cariosis nil melius, quam Euphorbium pulverisatum & aspersum, vel solum, vel permistum partibus æqualibus Radicis Iridis Florentinæ vel Aristolochiæ rotundæ, Spiritu Vini irroratæ.

Quippe cariem ossium tollit, quando acres & corrosivæ humiditates in ulceribus antiquis ossa erodunt, quæ Caries ossium, nisi vel subtilibus instrumentis vel ejusmodi acribus exsiccantibusque pulveribus remota fuerit, perfecte curari nequeunt: & in punctura nervi, quæ subinde fit ab inepta Venæ sectione, remedium sequens est egregium *Sculteti*. ℞ Euphorbii ℈j, Terebinthinæ ʒß, Ceræ parum, extende super alutam & applica loco calide.

Additur Cautela, ne inspergatur ulceribus faucium, narium, palati, linguæ aut locis, ubi tendines aut nervi patent vel denudantur, ne mordicando symptomata periculosa excitet.

Exter-

(d) Hic effectus non respondet usui, monente Junkero.

Externe, inquit *Valentini* in *Historia simplicium*, in atrophia sive tabe Membrorum multum opis præstat, quando, præter crebriorem motum, ista vel ipso Euphorbio aut ejus oleo, (apud *Schrøderum* descripto) diligenter fricentur, qua ratione amicum quendam, cui brachium aridum prorsus consumptum erat, curavi.

N. *EUPHRASIA* Offic. C. B. *Eyebright.*

Celebravit eam *Matthæus Sylvaticus*, qui vixit circa annum 1320.

Folia cum floribus subamara sunt, & subadstringentia. Succus subsalsus, amarus, non mutabatur a Vitriolo viridi, sed decoctum inde mutabatur, ut infra.

Rubefacit aliquantulum Chartam cæruleam, ac infusum mutat solutionem Heliotropii ad flavescentem rubrum colorem, & succus plus tendit ad acidum, quam Centaurium minus, & minus spissus fit cum Spiritu Vitrioli atque Aceto destillato, quam cum Spiritu Cornu Cervi Oleoque Tartari.

Decoctum subadstringens erat, & mecum viridescebat cum Vitriolo viridi, cum *Lewisio* vero nigrescebat.

Vis adstringens extrahitur partim Aqua, partim Spiritu Vini.

Succus dicitur tollere nubeculas & albugines Oculi. Inflammationibus & caligini oculorum tusa imponitur: notat tamen *Hoffmannus*, non quamvis, sed eam tantum, caliginem curare, quæ a pituita frigida: quippe operari videtur leniter detergendo & roborando; leniter, inquam, pro ratione teneritudinis organi: quinimo quocunque modo sumatur, in cibis, potibus vel medicamentis, præstare dicitur ad omnia impedimenta, quæ claritati oculorum officiunt, præsertim ubi pituita aut pinguedo redundat; testaturque *Hieronymus Tragus*, se Euphrasiam in morbo arquato utilissimam comperisse vino decoctam & calidam ægro propinatam.

F.

1. C. *FABA MAJOR.* C. B. *Garden Bean.*

2. *FABA MINOR*, seu equina C. B. *Horse Bean.*

Farina fabarum offic. Veteribus dicebatur *Faba fresa*, vel *fressa*, quod idem est cum fracta, item *Lomentum*, vel *Lomentum fabæ.*

An *Boona*, sive *Bean* sit Veterum Faba non levis est inter botanicos controversia. Certe, Veterum faba fuit parva & rotunda. E contra, impossibile fere est, quod legumen adeo vulgare, & quotidiani usûs, in desuetudinem abierit, inque ejus locum & nomen *Boona* successerit, nemine conscio. Tot Ii fu-

Infubriâ & Liguriâ, recentes Fabæ, vendentium voce, appellantur Bannæ, unde, ut verisimile est, & nostrum & Germanicum *Bean* vel *Bon*.

„ Perperam, (notante *Hoffmanno*) instituitur comparatio cum nostra faba „ majore, quam deberet cum minore. Fortassis ea non tum fuit perducta „ ad id magnitudinis mangonio ".

Consentio *Schrodero*, dicenti; „ Sunt, qui inter Fabas & Boonas distin„ guunt, sibisque nos carere volunt, Boonis contra frui. Sufficit nobis, quod „ viribus conveniant " & *Bodeo a Stapel* in *Notis* ad *Theophrastum*, scil. „ Fabam vulgarem dicunt botanici expertissimi easdem vires habere, quas „ Græci antiquissimi Fabæ tribuunt. Faba minor, seu equina, plurimas no„ tas habet, a veteribus fabæ datas, imo fortassis omnes. "

Fabæ recentes, propter humiditatem, qualitatum fere expertes sunt, temporis processu maturatæ ac siccatæ dulciores evadunt.

Hordeacea fabarumque farina nullum calorem obtinent. Faba inflationem excitat, ægre concoquitur, tumultuosa somnia facit: flatulentus est cibus, etiamsi elixatus diutissime fuerit, aut quovis modo paratus: qui autem animum intendunt, eosque effectus, qui post singulos cibos manent, animo adsequuntur, sentiunt in toto corpore, tanquam a spiritu flatulento, tensionem quandam, præcipue si quis, huic cibo non assuetus, aut ipsum non belle percoctum sumpserit. Flatulentia corrigitur cæpis admistis: & frixæ flatum deponunt, sed concoctu sunt difficillimæ, tarde pretereuntes, & crassi succi alimentum corpori præbentes.

Virides, si ante maturitatem edantur, humidius alimentum corpori præbent, minus nutriunt, promptius dejiciuntur.

E faba tentatus fuit panis, & pabulo omnium quadrupedum generi præcipue homini venalis est: frumento etiam miscetur apud plerasque gentes, quem morem (notante *Harduino*) hodie Allobroges tenent, ut fiat solidior panis.

Non succum malum procreat faba, nec meatus eos infarcit, in quibus salubrium ciborum summa versatur. facultate prædita est abstersoria ut hordeum, minus abstersoria quidem quam hordeum, sed magis quam pisum. Hoc edulio quotidie utuntur gladiatores, carnem non densam, nec constrictam, sed sublaxam generante.

Inter semen generantia locatur, utpote tum copiose alens, tum corpus flatu implens, crassioris essentiæ & magis nutriens, quam hordeum.

Farinæ vis detergendi patet ab ejus usu quotidiano apud mangones & mulieres in balneis, quemadmodum apud alios Nitri & Aphronitri: hac præterea & faciem inungunt, tollit enim lentes, quæ in summa cute apparent, quas Ephelin vocant, & ob hanc facultatem ventrem non cunctanter permeant,

meant. Proinde cutis universæ & ulcerum sordes aufert, moderatissime detergens, & absque acrimonia, præsertim faba *fresa* elixa.

Porro, ad sugillata faba *fresa* commanducata imponitur cum melle, quin & fabæ *Lomentum* etiam extra manducationem cum melle subactum, livida discutit, ex manducatione autem summe discussoria redditur, nimirum viribus à saliva desumptis.

In nervis, cum cute contusis, Athletæ, usu edocti, habent cataplasma, quod ex oxymelite & farina fabacea conficitur, & plane salutare medicamentum est.

Lomentum cicatrices ad reliquæ cutis colorem reducit. turgentes grumoso lacte mammas, etiamsi inflammatione tententur, adjuvat, idque in eis extinguit. Furunculos, parotidasque & sub oculis livores cum fœni græci farina & melle discutit: cum rosa autem, thure, ovi candido, procidentes oculos, eorumque staphylomata, tumoresque reprimit. Subactum vino suffusiones & ictus oculorum recreat. Vitiliginem purgat.

Exscreationibus ex thorace ac pulmone idonea est faba, quatenus extersoriæ facultatis particeps est: & in cibo *fressa* (i. e. fracta) & cum allio cocta, contra deploratas tusses & purulentas exscreationes quotidiano usu sumitur.

Dicitur facere renum passionem, quæ appellatur capillitium, quando nempe cum crassa urina veluti pili exeunt.

Vulnerum inflammationes mitigat. Manducata sine cortice faba ad avertendas fluxiones fronti illinitur. Decocta in vino testium inflammationes sanat. Commanducata jejuno ad furunculos maturandos discutiendosve imponitur. Si tardius pubes erumpat pueris, imo ventri illinitur.

Decocta in posca, & cum suo cortice esitata, dysenterias & cœliacorum profluvia sistit. Contra vomitiones convenienter manditur.

Faba, dempto cortice, in illas partes divisa, in quas suapte natura scinditur, imponi solet sanguinis defluxionibus, ab hirudine concitatis, namque eas supprimit si semisecta apprimatur.

Cortex modice adstrictoriæ facultatis particeps est, &, per se decocta ad tertias, sistit alvum.

Eo illiti Capilli, qui post avulsionem renascuntur, gracilescunt & minus alimenti capessunt.

Cum polenta, scisso alumine, & vetere Oleo impositi Cortices strumas discutiunt. Decocto eorum lanæ inficiuntur.

NOTÆ. Farina subdulcis est, & simul graveolens quid resipit.

Nobiscum panis fit ex faba & hordeo.

Cata-

Cataplasma ex farina cum Oxymelite simplici optimum est resolvens in testibus tumidis (e).

Infusum Corticis in aqua nigrum fit a Vitriolo viridi.

Caules, ut *Absinthii* & Genistæ, cineres præbent Alcalinos perfectos, alterius materiæ salinæ expertes, secus quam plura alia vegetabilia, quorum cineres plus aliorum salium quam Alcalinorum continent; & hoc eo magis notatu dignum, quoniam hinc explicatur vis lixivii é cineribus caulium in curandis doloribus nephriticis & arenulas expellendis, vel dato Sale, ad grana vij, in liquore appropriato.

Chirurgi collectiones & tumores fabacea farina, in aceto & vappa decocta, oleoque admixta, discutere ac sanare consueverunt; & in inflammationibus testium, mammarumque dici vix potest, authore *Simone Pauli*, quantum faba fresa vel Lomentum valeat, quippe quæ eas vel discutit vel ad suppurationem perducit.

Quidam, tres vel quatuor menses infestatus ani fistulâ, ex condylomate prognatâ, aliis frustra tentatis, præter omnium spem, valetudinem integram consequutus est solo usu Fabarum, præsertim rubrarum, non contritarum, pulmenti ex lacte in modum coctarum, his vesperi hora somni & mane vescens.

Si adstrictio requiratur, usurpetur non decorticata.

C. *FAGUS* C. B. *The Beech tree* Fructus.

Fagus Latinorum non est φηγὸς Græcorum, sed illorum, ac *Theophrasti*, ὀξύα: proinde de viribus nihil ex *Dioscoride* aut *Galeno* petendum; horum enim φηγὸς a Fago nostra prorsus diversa est.

Oxya *Theophrasti* duplex est, montana & campestris: prior, notante *Cæsalpino*, est Fagus nostra, ad multa perutilis, verum campestris hactenus nobis non visa. De fructu prioris refert *Theophrastus*, dulcedine & succo similem esse Castaneis, quod Fago *Plinus* optime quadrat, ejus enim glandem dulcissimam esse ait, quum Græcorum φηγὸς dicitur valentius adstringere quam quercus nec unquam dulcescere ætate, sed perseverare in sua acerbitate author est *Galenus*: verum Fagi glans apud *Plinium* non tantum dulcissima est, sed ea obsessos etiam homines durasse in oppido Chio tradidit *Cornelius Alexander*. Munibus gratissima, glires saginat: expetitur & turdis.

NOTÆ.

(e) Cataplasmata ex leguminibus diutius madorem retinent, quam ex cerealibus, utpote magis oleosis.

NOTÆ. Glandes dulces sunt, subadstringentes, & esui aptæ, non tantum muribus & sciuris, sed cervis & ursis; sues quoque iis saginantur, & exoptatus est cibus turdis, merulis, columbis, aliisque volatilibus, & pauperculæ plebi.

Dolores nephriticos, a Calculo ortos, leniunt eæ, & expellunt arenulas.

Authore *J. Bauhino*, Glans faginea, potissimum virens & nondum exsiccata, si paulo copiosius comedatur, Lolii instar, caput turbat, & ipsos sues, afferunt, ejus usu turbulentos reddi tandemque obdormiscere.

C. FEL. *Gall.*

Fel est calidissimus omnium animalium humorum, amarum, acre plus minus in variis animalibus. Flava Bilis calidior est pallidâ, flavior fit per exercitia, inediam, sitim, candidior vero a contrariis. In calidis animalibus, quæ fame & siti torquentur, flava Bilis superassam ad atrum colorem vergit, æruginosum vel cæruleum: contra bilis, urina & saliva sumpto cibo imbecilles redduntur.

1. *Suilla* Bilis omnium imbecillima, ut ne Ulceribus quidem tolerata sit difficilis, & apparet omnium bilium esse maxime aquea. Hac (fel domestici suis) utuntur ad ulcera aurium.

2. *Ovilla* paulo acrior est suillâ hinc, ubi ulcus diuturnum fuerit, multam saniem & pus contineat, etiam hanc, utpote sicciorem, bilem perferat.

3. *Caprarum* bilis acrior est quam Ovilla.

4. *Tauri* bilis valentior est, multo calidior sicciorque quam boûm castratorum, præsertim in defatigato & vinculis tracto.

5 *Volatilium* biles tum acriores, tum sicciores quam quadrupedum, & inter ipsas quoque volucres, gallinarum & perdicum biles ad medicinæ usum probatiores habentur. Accipitrum & aquilarum acres sunt & erodunt, coloris æruginosi & nonnunquam atri.

6. Præstantiores adhuc in effectu videntur *Biles Piscium*, privatim bilis Hyænarum, sed & hæc inferior bile piscis Callionymi dicti, Scorpii marini, & marinæ testudinis, quorum fel singulariter à medicis extollitur ad oculorum aciem exacuendam, & suffusionum initia detergenda. tum galli & perdicis ad eundem usum.

7. *Fel venenatorum animalium* tota essentia nobis contrarium, genere deleterium, non quantitate.

Fel omne est siccum, attenuativum, discussorium, quod ex operibus particularibus patebit, nam Felle omni perfacilem, præsertim infantibus, dejectionem quis molietur, si intinctum ei tomentum aut fibram sedi subjiciat.

Ad caligines fel cum passo prodest. Privatim, Taurinum lepras & furfures cum nitro & terra Cimolia potentissime exterit.

Eo cum melle fœdis ulcera ſanantur, & ad cicatricem uſque perducuntur, necnon phagedænicis ulceribus colis, & ſcroti doloribus prodeſt, quemadmodum fel animalium calidorum & ſiccorum fortiſſimum fere medicamentorum eſt ad achores, ſeu capitis ulcera manantia.

Idem, nempe taurinum, auribus purulentis earumque fracturis cum muliebri lacte aut caprino inſtillatum medetur, & ſibilo earundem ex porri ſucco. Ovillum & urſinum ad eadem pollent, ſed inefficacius hæc præſtant.

Aurium dolores, ex obturatione aut frigiditate inductos, juvat fel taurinum aut caprinum, cum porri ſucco inſtillatum, ſed ex inflammatione, tum ex acribus mordacibuſque humoribus dolores obortos auget.

Ad viſûs obſcuritatem, cum æquali pondere ſucci fœniculi, duplo mellis, prodeſt.

Perungitur cum melle vaginis.

Apud *Hippocratem* datur ad expellendum fœtum mortuum, & in vino jejuno bibendum ad purgationem uteri.

Capræ ſylveſtris fel cum vino prodeſt contra ſuffuſiones incipientes, & oculorum caligines, albugines, genarumque ſcabritias. Cum veratri albi tertia parte contra glaucomata adhibetur.

Ad redundantes in palpebris pilos, oculum infeſtantes, evulſis cum radicibus pilis, ſi obducatur locus felle capræ, dicitur, quod pili nunquam renaſcentur. *Hard.* Not. in *Plinium.*

NOTÆ. Amarum eſt, dulce, viſcoſum, nauſeoſum. Expetitur præcipue Tauri, utpote acriore ſtimulo incitans, & in Clyſteribus uſitatum abſtergens, prodeſt in ungula, nebula & albugine oculorum, lumbricoſque enecat, quamobrem in Epilepſia, a cauſa Verminante, in primis viis hærente, dudum laudatum ſit.

Fel non eſt Alcalinum, donec actionem ignis vel putrefactionis paſſum ſit; non enim effervefcit cum Acidis, niſi Spiritu Nitri, qui quoque effervefcit cum Oleis eſſentialibus; verum amarities ejus augetur ab alcalinis, debilitatur ab acidis; & Acida mineralia concentrata bilem coagulant albidamque reddunt.

A Spiritu Vitrioli affuſo oritur color virideſcens, dum Bilis in ſua veſica flava ſit, unde patet ratio cur Bilis in inteſtinis viridis fiat, ab Acido nempe ibidem hærente. Lactis coagulationem præcavet, & coagulatum reſolvit.

Eſt ſapo acris non combuſtilis, niſi prius ſiccatum ſit fel.

Omnia oleoſa, balſamica, reſinoſa aquæ miſcibilia reddit.

Hi effectus a pleriſque hactenus deducti ſunt a Sale alcalino, ſed ab experimentis noſtratis *Macbride* patet, hunc inter errores vulgares locandum eſſe;

ipso enim notante, Bilis bovina, etiam putrida non effervescebat cum Acidis, nec mutabat colorem Syrupi Violarum, nec fœtor ejus æque ingratus ac fœtor carnis putridæ vel sanguinis putridi; & hinc infert, Bilis effectum, in assimilatione oleosorum cum aqueis, non fieri a Sale alcalino, oleo unito, sed potius a vi ejus absorbendi Aërem fixum, vinculum cohæsionis, in iis corporibus. Vide Ejus *Experimental Essays*.

Fel externe laudatur ad abdomen inungendum in inertia bilis & ad vermes necandum: quin & usurpatur in enemate contra alvum adstrictam, & interno usu in morbis ex glutine spontaneo, in obstructionibus primarum viarum, & ubi deficit bilis, inspissatum, & in pilulas redactum ad ʒj, dicitur robustissimo nauseam & vomitum excitasse.

FERMENTUM. Vide *Triticum. Leaven.*

C. *FERRUM.* *Iron.*

Hujus vires medicinales parum cognitæ fuere Veteribus: Verum est, extare mentionem valde antiquam usûs ferri limaturæ in vino contra sterilitatem, etiam ante tempora *Æsculapii* Græci (*f*), sed tempore *Dioscoridis* ferri usus in medicina ignotus fuit.

Apud posteriores prædicatur præcipue quatenus vi adstringente præditum; apud *Galenum*, ferrum candens, lacti probe decocto injectum, usurpatur in dysenteria: apud *Plinium* aqua, ferro candefacta, datur in multis vitiis, privatim vero in dysentericis, & ad alvum sistendam Succus Betonicæ in vino, ferro calefacto, exhibetur.

Iisdem authoribus, Ferrugo desiccat & constringit in morbis oculorum, valetque contra pustulas spinosas: & squama ferri, (id, quod in fabrilibus officinis ferrum, dum ignitur & malleo tunditur, abjicit.) similis est rubigini seu ferrugini, sed vis ejus acrior, magisque adstringens, contra epiphoras oculorum assumitur, sanguinem sistit, & fœminarum profluvia, hæmorrhoidas compescit & ulcera serpentia: imponitur & exhibetur contra lienum vitia: &, Authore *Aëtio*, balneorum naturalium, ferri qualitatem habentium, vis est siccare, stomacho ac spleni convenientissima.

P. Aegineta & *Aëtius* plures vires ferri investigarunt, nempe quod, præter vim siccantem, ab eo extincto in aqua oriundam, aqua hæc ipsa pota splenicis competat, &, si in vino extinctum fuerit, cœliacis, dysentericis, cholera morbo vexatis, stomachoque exolutis, vinum id potum auxiliatur.

Addit

(*f*) *Le Clerc* Hill. de la Medicine.

Addit *Avicenna*, vinum & aquam, in quibus extinguitur, conferre apostemati splenis, mollificationi stomachi ejusque debilitati, & retinere solutionem antiquam & dysenteriam, conferre mollificationi ani & fluxui urinæ involuntario, ac menstruorum, & ad confortandum coitum. *Ætius* modum exhibendi ulterius describit sic: Convenientissimum splenis, in scirrhum indurato, remedium existit ferrum, aqua aut vino aut posca extinctum. Ea ipsa autem aqua, aut vinum aut posca, in principio exhibita, jucunda & utilissima existunt, & per plures ex ordine dies exhibentur: itaque febrientibus aquam aut poscam dilutam præbeto, iis vero, qui teneram carnem habent, & febre carent, vinum.

NOTÆ. Per se inodorum est & insipidum, sed a frictione odorem sulphureum acquirit, & ab acidis vel ab igne odorem sulphureum & saporem austerum, solumque ex omnibus metallis scintillas amplas emittit in igne. Vapores adscendentes a solutione ejus in Spiritu Salis inflammabiles sunt, æque ac Vapores adscendentes a solutione ejus in acido vitriolico, & Aër hic inflammabilis servari potest in vesicis, orificio vasorum, in quibus solutio facta est, affixis.

Elasticum est ubi ab Acidis solutum, ut in Vino chalybeato bene notum.

℞ Limaturæ Martis p. j. flor. Sulphuris p. ij. fiat pasta cum aceto destillato: pone ante ignem: flammam mox evomet, donec Sulphur consumatur.

Effervescit cum omnibus acidis, quæ edulcorat, proinde acido laborantes juvat.

Acidum Sulphureum singulare est ejus menstruum, solvitur tamen & in omnibus acidis, quinimo & in alcalinis fixis, & ab omni Sale; imo & ab Aqua simplici; si enim sumantur Limaturæ Martis decem partes, & una Aquæ simplicis, authore *Ludovico*, & contritæ in Vitro conservati reponantur, calor mediocris ab internis evidenter sursum adscendit cum odore inter ferrugineum quasi & semiurinosum, qui per 3 horas durat; friabiliori, & successu temporis quasi exeso, nil tamen vitriolici sapiente, Marte. Cum Austerorum infuso nigrescit.

Facile solvitur in primis viis, præcipue si Acidum ibidem prædominetur.

Eructationes nidorosæ vel fœtidæ, instar odoris Aquarum sulphurearum, & fæces nigrescentes, indicant efficaciam ejus.

Limatura præferenda rubigini, utpote longe magis solubilis, ut & Chalybs, ob eandem rationem; & est quidem optima præparatio, si cum judicio in præcordialibus suffocationibus, a positivo vitio humorali ortis, exhibeatur, non vero ad granula saltem aliquot, sed debito pondere ad ℈j vel ij: in se enim plane innocens est, nec nauseam creat, revera fit resolubilis, ceu excre-

men-

menta testantur, rodentium & effervescentium humorum inversioni, præ saturato Martis Vitriolo, convenientior, eoque & Tinctura præstantior.

Aqua ferrariorum Scabiem curat.

Ferrum alvum plerumque astringit, diarrhœam sistens, præsertim lacte restinctum: ad ructus, vomitusque acidos valet. Operatio ejus primaria est constringere & corroborare, fit tamen sæpe aperiens, saltem ubi obstructio pendet a laxitate, unde in cachexiis, chlorosi & relaxationibus solidorum efficax, stomachum & organa chylopoietica roborans.

In rigiditate vasorum, spasmis, ubi pulsus celer, & plethoricis nocet; unde intelligitur ratio, cur aliquando menses provocet, aliquando sistat, nempe ubi alterutrum, suppressio eorundem vel fluxus nimius ab eadem causa, sive a laxitate provenit.

Apud *Musgravium* nostrum est Podagrogogon efficacissimum, evacuationibus præmissis, ad malum foras ad propriam sedem propellendum.

Et in *Miscellaneis Curiosis* prostat Exemplum Diabetis cum siti intolerabili, brevi curatæ solo usu Aquæ ferratæ, *Riverio* quoque eam in hunc finem collaudante.

C. *FICUS.* *the fig.*

1. GROSSUS. *The green Fig.*

Sæpe apud *Hippocratem* occurrit inter acerba, crassi succi & frigida, ad concoquendum difficilis, ad flatulenta vero, & in fluore albo curando utilis.

Grossi crudæ datæ strumas nodosque omnes emolliunt: formicas, verrucas & thymos, (*g*) nitro farinaque additis, tollunt.

Si vero Ficus *maturæ recentes* sunt, *Ripe Figs*, sitim sedant, calorem restinguunt: dari debent frigidæ, æstate, calidis & siccis.

Ficus & Uvæ fugacibus omnibus fructibus magis nutriunt, minimumque pravi succi habent, præsertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ. Uvæ vero minus nutriunt quam Ficus: hinc qui vinearum fructum custodiunt, & duos menses solis uvis, ficubusque vescuntur (nisi forte panis quidpiam cum illis addant) corpulenti admodum fiunt. Juvenum vires augent: senibus meliorem valetudinem faciunt, minusque rugarum.

Alvum solvunt, tam humidæ quam siccæ, ast senum fovenda Alvus matu-

(*g*) Thymus verrucæ nomen est, seu ulceris *Ægyptiæ* fabæ magnitudine, quæ thymi florem repræsentat.

maturis recentibus. Ficus & Uvæ flatum creant, nisi ante alios cibos sumantur, atque etiam alia alimenta vitiant; at præsumptæ neque flatus cient, nec alios cibos una secum corrumpunt.

Stomachum lædunt fici maturæ recentes: sudorem evocant papulasque. Urinam cient.

Hæc insunt ficubus bona, quod ventrem prompte permeênt, & totum corpus facile pervadant; nam abstergendi quoque insignem habent facultatem, quo fit, ut post ipsarum usum, nephritici multas arenulas excernant. Præterea, cum omnes autumnales fructus exiguum corpori præbeant alimentum, id omnium minime ficubus usu venit, carnem tamen non compactam neque firmam generant, ceu panis & caro suilla, sed sublaxam & subinanem, ut fabæ. Flatibus tamen hæ quoque ventrem implent, essentque eo nomine admodum dolorificæ, ni etiam celeriter pervaderent, unde flatus, quos excitant, non diu manent, atque in eo minus cæteris fructibus autumnalibus lædere consueverunt.

Ficus recens discutiendi vim habet, sed concoqui non potest. Cataplasma ex ficubus pinguibus exactissime contusis, unguenti irini parum addito, facit ad duritias nervorum & ad articulos contractos, aut plus justo laxatos, & ad duros tumores, præsertim hepatis ac splenis.

2. *FRUCTUS SICCI*, seu *CARICÆ*. *Dry Figs*. Fructus aridus ficus Communis. C. B.

Non est ficus Sacræ Scripturæ, de quo *Miltonus* noster,

Not that Kind for fruit renown'd,
But such as at this day in India Known.

Harum ad Ficus eadem est ratio, ac uvarum passarum ad uvas. Sitim magis stimulant, quam ficus, & aliquantum calefaciunt.

Ob lentorem manibus adhærescunt, & illas tamen abstergent Salis lixivialis modo.

Panis simul & obsonii vicem implent. Corpus & vires alunt: ob id athletæ hoc cibo pascebantur, & iis, quos longa valetudo decoloravit, aptissimæ sunt Caricæ. Alvum subducunt, magis quam uvæ passæ. Verum Caricæ stomacho minus commodæ existunt. Quod ex iis in aqua decoctis efficitur, simile est melli, non tantum consistentia, sed & facultate.

Si quis largius esitaverit, offendetur, quandoquidem sanguinem non admodum probum gignunt, quo fit ut, juxta quosdam, ex ipsarum usu pediculorum multitudo proveniat; habent etiam tenuandi facultatem & incidendi, qua

quæ ventrem quoque ad excretionem irritant, renesque expurgant; jecori autem lienique, inflammatione obſeſſis, ſunt noxiæ, communi ratione dulcium omnium ciborum ac potuum: extrinſecus tamen contuſæ &, adjecto melle, ſuperpoſitæ jecoris & renum vitiis utiles, & ſplenis, fervente aceto tritæ & illitæ; coctæ enim illitæque duritias diſcutiunt, parotidas & furunculos emolliunt, panos ad maturationem perducunt, maxime nitro, iride aut calce additis.

In tumoribus, difficulter ad ſuppurationem pervenientibus, humoribus craſſioribus & tenacioribus convenit cataplasma ex Caricis, in aqua decoctis ad plurimum temporis, donec melli ſimilis evadat; oportet enim non ipſas ſumere Caricas, ſed aquam in qua ebullitione ſunt liquefactæ. Huic igitur aliquando farinam hordeaceam adjicere oportet, aliquando panem eum, qui medius eſt inter exquiſite purum & furfuraceum; nam ubi magis concoquere conſilium eſt, miſcenda eſt farina triticea, ubi vero plus digerere, hordeacea: panis in horum medio eſt.

Carcinomati, ſi ſine ulcere eſt, pinguiſſimum ficum imponi pene ſingulare remedium eſt, item phagedænæ.

Decoctum arteriæ & tonſillarum inflammationibus gargarizato prodeſt. Fervefactæ, & cum hyſſopo potæ, thoracem purgant, tuſſi veteri diuturnisque pulmonum malis conveniunt. Decoctum cum fœno græco utile pleuriticis & peripneumonicis.

Guttori, arteriæ, renibus, veſicæ, anhelatoribus, hydropicis & comitialibus aptiſſimæ; at rheumatiſmis ventris & ſtomachi contrariæ.

NOTÆ. Valde dulces ſunt, ſaporis mellei, nec facultatibus melli abſimilis eſt liquor earum inſpiſſatus, aliquantum mucilaginoſæ & viſcoſæ, & in iis plures cernuntur fiſtularum ordines, oleoſum quid fundentium, odoris inter edendum jucundi.

Calculus, in earum decocto tres dies digeſtus, mollior fiebat.

Extrinſecus applicantur ad digerendum, emolliendum, & ad accelerandam ſuppurationem, ſpeciatim cum fermento & ſale tritæ. Bubones peſtilentiales aliosque abſceſſus brevi rumpit cataplasma, exinde paratum

Applicantur aſſæ & inverſæ tumoribus gingivarum, paronychiæ, hæmorrhoidibus, & cum atramento ſutorio deploratis fere tibiarum fluxionibus, & cacoëthicis ulceribus, mederi dicuntur.

Eſæ hepatis molem augent, unde Veteres ficubus anſeres & porcos ſaginabant.

Sudorem fœtidum cauſant copioſe ingeſtæ: ſuperfluos humores ad exteriora pellunt, & dotes earum eximiæ ad Variolas maturandas celebrantur apud Arabes

bes & nostratem *Huxhamum*. Decoctum quoque datur ad morbillos expellendos; quin & muliercula, appropinquante partu, Ficuum tostarum usus, ad partum facilitandum, familiarissimus est.

Si Ficus ante maturitatem scarificetur, fundit Lac acre, cujus acrimoniæ folia quoque non sunt expertia, forte fructus ejusdem itidem particeps est, unde vires ejus diaphoreticæ ac diureticæ promoveantur. Lac inde coagulatur in caseum. Partibus internis corporis non inservit, nam exulcerat, foris vero illitum hoc Lac lepras, lichenas, vitiligines, psoras, & ulcera, in capite manantia, expurgat, & ad verrucas commendatur.

Literæ, quæ ex hoc Lacte exarantur in charta, omnino inconspicuæ sunt, donec Charta, igni admota, vehementer incalescat, tunc enim velut ustulatæ se manifestant, quod etiam Aceto, Succo limonum aliisque acidis commune est.

Matutino tempore assumptæ Caricæ è primariis sunt remediis in alvo obstipata.

Acria quævis mulcent potius quam Dactyli. Valde prosunt in affectibus pectoris, renum aliarumque partium urinariarum, lymphæ acrimonia excoriatarum, in decocto usurpatæ, & in gargarismis adversus anginam, quando tendit ad suppurationem.

Ad raucedinem, asperitatem faucium ac tussim Caricas infundere Spiritui Vini & postmodum accendere & haurire, usitatum est & non contemnendum remedium.

D. *FILIPENDULA* vulgaris, an Molon *Plinii*? C. B. *Dropwort*.

Folia odorata sunt, & quendam quasi vinosum saporem palato imprimunt, qui inter masticandum caput petit; saporis sunt adstringentis, aliquantum viscosi & subacris. Satis rubefaciunt Chartam cæruleam, decoctumque cum Vitriolo viridi nigrescit.

Vi diuretica & attenuante insigni pollent, & magnæ laudis sunt in affectibus renum & vesicæ, urinam morantibus, & ad Secundinas expellendas.

Radix easdem fere qualitates sensiles ac vires, quas folium, possidet, nisi fortiores: recens odoris est secundum quosdam, ut Ulmariæ; aliis, ut florum Benzoini, saporis dulcis, subamari, aromatici cum tantillo adstrictionis & acrimoniæ Decoctum adstringens est & cum Vitriolo viridi nigrescit. Radix Chartam cæruleam magis rubefacit, quam folium.

Aperiens est & abstergens cum aliqua adstrictione, &, ut folium, magnæ laudis in affectibus renum & vesicæ, urinam morantibus, speciatim in Colica nephritica: necnon laudatur in Herniâ; & in Fluxu albo mulierum dosi ℈j in decocto

decocto Dauci, & in fluxu nimio Lochiorum; *Prevotius* notat insuper Dysenteriam a se sæpius curatam fuisse ℥j Radicis, ex vino cum ovi vitello sumptæ.

C. *FILIX* mas, non ramosa, dentata C. B. *Common male Fern.*

Folia bicubitalia secundum *Lobelium* & *Raium*, sed cubitalia secundum *Dioscoridem*: alias nostra plerumque descriptioni *Dioscoridis* convenit. En quæ Veteres tradidere;

Radix amara est & moderate adstringit. Ulcera, quibus imponitur, citra mordacitatem exsiccat.

Latum lumbricum excutit, sumptis drachmis quatuor ex aqua mulsa, melius autem, si cum Scammonii aut Veratri nigri obolis totidem detur; sed qui sumunt, allia prægustare debent.

Lienis incremento laborantes recreat, & succi cyathus unus cum aquæ mulsæ cyathis iij pro confectione hepatica exhibetur.

In melicrato pota partum vivum necat, mortuum ejicit.

NOTÆ. Radix diu masticanti odoris gravis est, saporis dulcis, amaricantis & austeri cum tantillo caloris & acrimoniæ in gutture, satis diu durantium.

Infusum viriditatem insignem acquirit, addito Vitriolo Martis.

Succus cum Acidis clarior fit, cum Alcalicis spissior; hinc diversæ prorsus naturæ est a Filice fœminâ, quæ non rubefacit Chartam cæruleam, nec signa aciditatis exhibet, ut Mas & Osmunda regalis.

De Sapore Filicis maris credibile est, quod Auctor celebris de radice Filicis asseruit; videlicet hanc radicem purgare ut Rheum, & post sedes duas vel tres adstringere quam maxime. Pulveris ℥ij compertæ sunt leniter purgare. Folia tenera adhuc, decocta & comesta, ventrem emolliunt, authore *Trago*.

Vim anthelminticam, radici Filicis maris a Veteribus tributam, confirmat *Hoffmannus*, inquiens præsentissimam pestem esse in Lumbricis longis & latis, pondere ℥iij ex aqua mulsa sumptam.

Incolæ insulæ Feroënsis radicem, in cerevisia coctam, certo experimento dicuntur usurpare adversus Calculum, cui simile nihil a *Dioscoride*, *Galeno* aut *Theophrasto* observatum est.

D. *FILIX* ramosa major pinnulis obtusis non dentatis C. B. *Female Fern or Common Brakes.*

Descriptio Filicis fœminæ apud *Dioscoridem* non convenit cum Descriptione

ne neotericorum: porro, fœmina nostra prorsus diversa est a mare, mucilaginosa, & ubi usum subinde præstans, quam mas satis valenter adstringat.

Saporis est viscidi, amaricantis, minus grati quam mas.

Crediderim, *Galenum* ansam dedisse erroribus *Raii*, aliorumque recentium, tribuendo easdem vires Filici fœminæ & mari.

Ad ambusta omnia igne, fervidâ aquâ, vel oleo mirifice conducit radicis fœminæ vel recentis tusæ succus aut eadem exsiccata, affusa aqua rosacea vel fontana; tunc enim exprimitur Succus mucilaginosus, qui iis medebitur, ubi reliqua medicamenta auxilium negaverant.

1. C. *FOENICULUM* dulce C. B. *Sweet Fennell.*

2. *FOENICULUM* vulgare Germanicum C. B. *Common Fennell.*

Marathri & Hippomarathri, scil. Fœniculi sativi & sylvestris meminit *Dioscorides*, vix alia alterutrius descriptione addita. Viribus convenire videntur, & dulce tertio anno in commune transire dicitur.

Fœniculum homines, fame adacti, sæpe mandunt, & apud *Galenum* inter victus attenuantes locatur, esculentum priusquam siccetur; calefaciens, incidens, tenuans, & ex tertio ordine calefacientium censeri promeretur, secundum *Galenum.*

Lac generat virens & humida herba, non sicca, quæ plus quam oporteat excalfacit & desiccat. Semen quoque, si cum ptisana bibatur, mammas lacte replet, etsi acre sit & calidum.

Fœniculum nobilitavere Serpentes, gustatu senectam exuendo, oculorumque aciem succo ejus reficiendo, unde intellectum est, hominum quoque caliginem præsertim eo levari.

Succus caule foliisque exprimitur &, in sole siccatus, inungitur ex melle ad excitandam oculorum aciem. Laudatissimus in Iberia ex lachrymis fit, ubi succum reddit gummi similem. Caulem medium, dum herba floret, rustici demetunt, ignique admovent, quo facilius vi caloris exudans gummi remittat, quod efficacius succo est ad medicamenta oculorum. Fit etiam, authore *Plinio*, ex semine recenti, & e radicibus, prima germinatione incisis.

Ad caliginem oculorum Fœniculum viride in vas fictile, forinsecus pice oblitum, mittitur ad mensis & diei unius spatium, affusa aqua pluviali, & postea exempto fœniculo, aqua reposita servatur atque in oculum instillatur. Succus quoque dicitur convenire oculo inflammato.

Inflationem stomachi sedant radices, in vino albo odorato vetere infusæ, quod,

quod, si jejunus quis cyathos duos potet cum aquæ calidæ cyatho mixtos, optime accipietur.

In febribus nauseam & stomachi ardorem ex aqua frigida potum sedat.

Succus urinam ciet: sic & semen. Comæ decoctum, bibitum, renum ac vesicæ vitiis utile est, quoniam urinam excitat. Menses quoque ciet, & contra serpentum ictus in vino convenienter bibitur. Decoctum foliorum haustum fœminas a partu purgat, authore *Dioscoride*, & ubi secundæ decedere non possint, fœniculum, vino ac oleo & melle fervefactum, bibendum jubet *Hippocrates*.

NOTÆ. *Foliorum* Odor & Sapor leniter aromaticus est, magis vero quam Radix, sapor dulcis, subacris fere ut Anisi, calore & acrimonia mediocri.

Folia tenera & caules dealbati comeduntur ab Italis per totam hyemem, & capsulæ seminales comeduntur per se, vel cum Oleo, aceto & pipere, ingrediuntur quoque Acetaria tanquam corrigentia frigidorum.

Sapor & odor adscendit inter destillandum, decoctum residui inodorum est & insipidum.

In stylo notatur Terebinthina a *Malpighio*.

Folia contusa cum cera sugillationes tollunt.

Aqua destillata visum acuit, Oculis indita.

Herba tota, jusculis & sorbitionibus incocta, ad corpus obesum extenuandum utilis esse perhibetur.

Tota planta diaphoretica est: acrimoniam pectoris corrigit. Decocta pectoralia, cum Fœniculo parata, in Asthmate & Tussi inveterata commendant *Forestus*, *Platerus*, aliique.

Radicis Cortex in usu frequenti est, & in usum præcipue trahendus. Est leniter aromatica, odore & sapore dulci instar Pastinacæ, sapore subacri, & diu masticanti acrimoniæ satis notabilis, odore, sapore & viribus conveniens radici *Ginseng* Chinensium. Est una è radicibus quinque aperientibus. Usurpatur in jusculis & acetariis. Menstrua & Urinas movet, transpirationem adauget. Tollit tremores, a Mercurio ortos.

Semen Omnibus aliis Fœniculi partibus calidius & acrius est: odor ut foliorum, sed fortior: sapor calidus, acris, subdulcis cum levicula amaritudine, & instar Anisi, cui viribus convenit, sed lenius temperamentum habens

Familiare est plurium locorum incolis eo condire panem, ex farina triticea confectum, ad corrigendum lentorem.

Destillatione multum Olei essentialis emittit, & præter hoc continet satis magnam quantitatem Olei expressi inodori & insipidi.

Infusum spirituosum satis fortem Fœniculi odorem spirat, & acrem aromaticum odorem, dulci mixtum, possidet; aquosum longe debilius est; vinosum in usu præstantius.

Externe vapor decocti in imbecillitate Visus conducit, & ipsa semina contusa, partibus sugillatis & mammarum tumoribus imposita, multum ad sanguinem extravasatum & lac coagulatum discutiendum ac resolvendum valent; & vulgus semine, sputo jejuno commixto, in caligine oculorum palpebras illinunt.

Carminativum est, contra singultum valet, & ad corrigenda Cathartica adhibetur; præstantior est Emulsio inde quam decoctum, quoniam in hoc perit vis aromatica.

Semen, Saccharo conditum, ab Acidularum potatoribus usurpatur, & sic paratum, vel per se mansum, lentam pituitam incidit & facile exscreabilem reddit. Oleum ejus in Tussi, tam catarrhali, quam inveterata stomachali, vel pectorali, idiopathica vel sympathica, prævalet Oleo Anisi & præsentaneos edit effectus, authore *Frid. Hoffmanno*

Prostat Exemplum in *Miscellaneis Curiosis* pueri, hæmorrhagia narium enormi laborantis, qui, aliis frustra tentatis, tandem esu seminum, stolonum & summitatum Fœniculi viridis, continuato per menses tres quatuorve, curatus est, unde, nempe vi balsamica plantæ acrimoniam seri sanguinis corrigente, per biennium, præter morem, ab hæmorragia liber vixit. Ibidem prostat casus alterius, Hemicrania chronica laborantis, qui, aliis frustra tentatis, tandem sola suctione fumi seminum accensorum ex fistula instar Tabaci intra triduum a malo liberatus est.

Fœniculi Vulgaris semen vix dulcedinis particeps est, sed Fœniculi *Dulcis* semen longe dulcius est; odor dulcior, & sapor aromaticus, minus acris. Radix vulgaris dici potest Alimentum medicamentosum. Huc pertinet

PEUCEDANUM Germanicum C. B. *Hog's Fennel. Sulphur-wort. Harestrong.*

Consentio *Hoffmanno*, hoc acceptabile esse pro Peucedano Veterum, & non obstare si odor & sapor alicubi ignavus sit; ego enim (inquit) tam vegetum habui in manibus, quam ullum esse potest Sulphur.

Radix gravis est odoris. Succus fervens gustu & linguam exurens, admodum excalfaciens, digerens, quidam perungunt radice ejus, sudoris eliciendi causa, quoniam caustica vis ei inest. Tenera radix cultello osseo conciditur, profluensque è plaga Succus umbræ manditur, in sole siquidem confestim evanescit. Facit, cum colligitur, capitis dolores vertiginesque, nisi, præunctis antea naribus & insperso capiti rosaceo, id agatur. Interdum etiam con-

concreta invenitur lachryma thuris similitudine, caulibus radicibusque adhærens.

Incensum serpentes abigit, & eo ex oleo perunctos tuetur a serpentibus.

Ejus olfactus vulvæ strangulatu procidentes excitat, & veternosos revocat.

Ventrem leniter emollit.

Liquor, ex aceto & rosaceo illitus, authore *Dioscoride*, prodest lethargicis, phreniticis, vertiginosis, comitialibus, diuturno colore capitis vexatis, paralyticis, ischiadicis, convulsis: & in universum omnibus nervorum vitiis ex oleo & aceto convenienter illinitur.

Explicante *Plinio*, phreniticos sanat, quatenus somnum inducens, qui contingit, peucedano ex aceto capiti infuso è diverso, lethargicos excitat ex aceto naribus tactis peucedani succo.

Aurium dolori cum rosaceo utiliter instillatur, &, ad mitigandum dolorem dentium, eorum cavis inditur.

Radix arida, trita, sordida purgat ulcera ossiumque squamas extrahit, veteraque ulcera cicatrice obducit.

Radix, sed præcipue Succus, authore *Galeno*, morbis pulmonis & thoracis ex crassitudine & viscositate humorum provenientibus, convenit, &, authore *Plinio*, in jecinoris doloribus & pectoris laterisque, si febres non sint. Ad lienes induratos in potione datur, crassos humores incidens, digerens, & extenuans.

Contra tussim efficaciter ex ovo sumitur, itemque spirandi difficultatibus subvenit.

Succus inflationes discutit, ructus gignens: Stomachi vitia sanat: &, authore *Marcello Empirico*, qui peucedani radicem contritam ex vino frequenter biberit, nec stomachi dolorem, nec pulmonis inflationes sentiet.

Difficiles partus egregie adjuvat, & in uteri strangulatu, jubente *Hippocrate*, datur ex vino aut aqua.

Facit & potus ad vesicæ renumque cruciatus ac distensiones, & succus ex melle medetur stranguriæ.

Galenus monet usum ejus (internum, ut credo) in capitis affectionibus vitandum esse, quia mentem perturbat.

NOTÆ. Odoris est picei virosi, a πεύκη *Pinu* dictum, Saporis acris, calidi, amari, resinosi; vetus inodora, amara cum nausea; postea tamen ex eâ, cum aquâ dorso manûs meæ admota, & per duas horas ibidem detenta, dolorem levem excitavit.

Folia quoque recentia valde foetent, sed exsiccata potius aromatica, & odore similia Foeniculo, & subacria.

Radicis ſuccus luteus eſt & reſinoſus. In tumoribus diſcutit. Urinam ciet & menſes: expectorationem promovet.

C. *FOENUM GRÆCUM* ſativum C. B. *Fenu greek.*

Unius tantum Veteres meminere. Recentiores ſativum & ſylveſtre faciunt. *Dioſcorides* tanquam vulgaris notitiæ, non deſcribit ſed vires tradit noſtri, ut videtur, viribus congruas.

Succus, quod ad viſcoſitatem attinet, ſimilis eſt albo ovorum liquori, ſimul ſubactis.

Juxta *Galenum*, in ſecundo ordine calidum eſt Fœnum Græcum, Oleo calidius, proinde molliendi ac diſcutiendi vim habet, & inter cibos acres numeratur, eundem hominibus in cibo uſum præbens, quam Lupini: ſumitur enim cum garo ante alios cibos, Alvi ſubducendæ gratia, eſtque hac re melior, quam lupini, accommodatius, cum nihil ex propria ſubſtantia habeat, quod tranſitum impediat. Manditur autem cum aceto & garo ut Lupini. Multi præterea & fœniculum & lupinos ex vino, garo & oleo ſumunt; quum tamen nonnullis caput tentet, & ſtomachum ſubvertat, melius ejus uſus cavendus eſt. Veſcuntur & nonnulli fœno Græco, priuſquam ipſius planta ſemen produxerit, aceto & garo intingentes: quidam autem, Oleum affundentes, eo obſonii vice utuntur.

Succus elixi fœni Græci, cum melle ſumptus, ad omnes pravos humores, qui in inteſtinis habentur, ſubducendos, eſt accommodus, ſuo quidem lentore leniens, calore autem dolorem mitigans, quod autem abſterſoriæ facultatis ſit particeps, inteſtina etiam inſtigat Mel, ſed parcius, ei eſt admiſcendum, ne mordacitas exſuperet.

Farina, tenuiter contrita, cum decocta aqua mulſa impoſita, adverſus tam externas quam internas inflammationes efficax eſt; ſed, *Galeno* explicante, ferventes phlegmonas irritat acerbatque: quæ vero minus ſunt calidæ & magis duræ, eas digerendo curat. Decoctum fœminarum malis, ex inflammatione præcluſioneve vulvæ ortis, fotu & inſeſſu ſubvenit. Cum adipe anſerino peſſi vice ſubditur, ad emolliendos dilatandoſque locos muliebres. Viride cum aceto imbecillis exulceratiſque fœminarum locis accommodatum eſt. Ipſius decoctum prodeſt contra teneſmos fœtidamque dyſentericorum proluviem. Ejuſdem, in aqua decocti, cremor expreſſus capillos, furfures & achoras purgat. Cum nitro ex aceto trita & impoſita lienem extenuat, & jecur, ſi decoctum.

Damen ſemen acetabuli menſura cum ſapa & aquæ novem cyathis, ad menſes ciendos, dabat pota.

Est medicamen maxime omnium, quæ oculis applicantur, sine offensa digerens, in cataplasmatibus oculis vehementer inflammatis & dolentibus utile. Alibi inter maturativa, in apostematibus oculorum & doloribus, propter humores clausos in interioribus corneæ, convenienter, collocatur.

Notandum, quod in oculorum vitiis, ut instillatur fœni græci decoctum, præparandum sit hac ratione: principio lotum diligenter in aqua dulci fœnugræcum leviter in eadem coquitur, donec quicquid habet in se acre abjiciat, alia rursus aqua incoquitur, effusa priore.

Lotum partibus æqualibus uvis passis jungitur, ut pharmacum dyspnoicis accommodatum: & sumatur sorbitio e farina ad pectus exulceratum, longamque tussim; diu decoquitur, donec amaritudo desinat, postea mel additur.

NOTÆ. Odoris est graviusculi & simul fragrantis, saporis ingrati, nauseosi, subamari, in guttture viscosum. Oleum inde exprimitur, & in parva quantitate dat consistentiam mucilaginosam magnæ quantitati aquæ.

Spiritus Vini extrahit totum singularem saporem & odorem, postea que Aqua mucilaginem insipidam dat, quæ Mucilago, Clystere data, in diarrhœis & dysenteriis, ubi abrasus est intestinorum mucus, valde prodest: conducit & eadem ad oculorum sugillationes imposita.

Tumorem mammarum discutit.

Ex farina fiunt Cataplasmata utilia in arthritide, rheumatismo, in mammis & testiculis inflatis. Cataplasma autem ex semine contuso & lacte contusionum & sugillationum est optimum remedium.

Usu venit, authore *Simone Pauli*, ut Capilli nobis excidantur; (quos excidi volunt a peculiari vermiculorum, aciem oculi effugiente, genere,) quos Mæror Oculorum insequitur, illam vero Calvities, cui Authores *Universalis Historiæ*, Ebroduni editæ, nos mederi posse volunt decocto Fœnugræci. *Ibid.* Decoctum seminis, maceratis in eo linteolis & fronti adhibitis, oculorum fluxiones avertit, & non solum capillorum pediculos exstirpat, si caput hoc abluas, sed etiam efficit, ut pulchriores & longiores evadant,

D. *FRAGARIA* vulgaris C. B. *Common Strawberry.*

Valde obscurum est, utrum Græcis vel nomine fuerint nota Fraga. *Plinius* Fraga tantum meminit inter cibos in Italia: meminerunt etiam poetæ Latini.

NOTÆ. Herba saporis est grati, subadstringentis, subamaricantis, mucilaginosa.

Decoctum nigrescit cum Vitriolo Martis; hinc roborans est & vim aliquantum abstersivam habet ab amarore.

Costa

Cocta & forma Cataplasmatis tollit ardorem vulnerum: decoctum vel succus ulcera maligna ex calida intemperie glutinat, & sordida purgat, imo in *Miscellaneis Curiosis* prostant Exempla duo foliis herbæ recentis, reiterata appositione, Ulcerum pertinacissimorum Crurum sanatorum, aliis frustra tentatis.

Confer *Rubus*, cui vires similes tribuuntur.

Usus crebri ejus in gargarismis, gingivas confortat, inflammationes & ulcera oris sanat; ad sistendos sanguinis & mensium fluxus, ad diarrhœam, dysenteriam, & ad catarrhos cohibendos, valet.

Decoctum per se optimo cum successu Ictericis & cachecticis propinatur, si morbus ortus sit a causa calida; hinc *Hoffmannus* in *Med. Offic.* testatur, iis in locis, ubi Vina bibuntur & in ebriosis, si contingat cachexiam aut hydropem se ostendere, plane divinum esse Fragariæ decoctum, si cum liquiritia, passulis & ficubus exhibeatur.

Radix earundem est virium, & dicitur prodesse in ulceribus internis, etiam pulmonum.

Fructus odoris est mitis, grati; saporis vinosi, subacidi, dulcis, mucilaginosi. Sylvestres dulciores sunt quam domesticæ.

Diureticus est, & eorum, qui copiose ingerunt, Urina dicitur odoris esse fragrantis.

Calculus, 20 dies in succo digestus, mollior fiebat, &, si comedantur ante cœnam, summum dant contra Calculum remedium.

Porro in Fragis singularem vim diaphoreticam notavit *Bartholinus*, & copiosiore cibo caput tentare autor est *Cæsalpinus* & *Raius*.

Omnium fructuum maturorum dissolventissimus esse perhibetur; qui enim hunc omni mane copiose sumunt, incidunt in diarrhœam sine torminibus.

Picrocholis & Scorbuticis conveniunt. Si conterantur Fraga in aqua vel Sero lactis præbent demulsum gratissimum & efficacissimum in Scorbuto, & ad omnes morbos ardentes, inflammatorios ventriculi & renum valent quam maxime, & cibum dant, bili appositissimum.

Quidam cum sale æneo vase recondunt, ac per 8 dies in cella vinaria committunt, donec in viridem aquam mutetur, postea autem ad oculorum suffusiones utuntur.

C. *FULIGO*. *Soot*. Fuligo lignorum combustorum *Pharmacop. Lond.*

Fuligo omnis exsiccatoria est, habens etiam ignis, qui materiam combussit, reliquias, tepore modico. Quæ speciatim in ea differentiæ sunt, eæ pro usta materia differunt, ex acriore & calidiore tali etiam proveniente fuligine, ex dulciore simili quoque & hinc proveniente.

Dioscorides meminit Fuliginis, è tedis collectæ, in *capite de atramento librario*,

brario, quod conficitur ex gummi ℔. j, fuliginis ℥iij, quod (scil. Atramentum librarium) emplastris erodentibus apte miscetur, & facit ad ambusta, ex aqua paulo crassius inunctum, & tamdiu dimissum donec cicatrix obducatur: sanatis siquidem ulceribus sponte sua decidit.

Præ omnibus in usu est Fuligo Thuris, velut mitior, in ocularias medicinas tales mista, quæ ad oculos, phlegmone & fluxione tentatos, accommodantur: ulcera quoque expurgat & carne impiet. Terebinthinæ Myrrhæque fuligo molestia caret, non aliter quam Thuris, sed styracis quodammodo valentior est. Fortior est Pini & Piceæ fuligo, quâ, utpote acriore, ad palpebrarum defluvia, & in angulis oculorum corrosis, oculis humectatis absque inflammatione, utuntur.

NOTÆ. Odoris est ingrati, & frictione fortis, minus fortis quam Fuligo Carbonis fossilis; saporis acris, amari, nauseosi, minus acris sed magis amari, quam Carbonis fossilis, inflammabilis.

Etsi Fumus ligni acidus sit, Fuligo tamen aciditatis expers est, destillando alcali volatile præbens & oleum empyreumaticum.

Materies amara, & ea, in qua residet odor Fuliginis, æque extrahuntur Spiritu Vini rectificato, Spiritu *Proof Spirit* dicto & Aqua. Quæque horum solvit ejus fere unam quartam partem.

Tincturam saturatiorem dat Aquæ & Spiritui, quam Fuligo Carbonis fossilis.

Usu externo detergens; externe ingreditur linimenta contra Scabiem, Tineam, & in ulceribus malignis. Anthraci cum Sale & Vitello ovi applicata fuligo separationem mali a bono procurat. Et in febribus, revulsionis gratia, plantis pedum cum sale, albumine ovi & aceto applicatur ad ardorem extinguendum.

Usu interno inter antispasmodica locum habet, in affectionibus hystericis, & a mulierculis plebejis usurpatur cum successu.

Apud Germanos Tinctura fuliginis in usum vocata est in Arthritide vaga ad diaphoresin promovendam, ad Cochl. j vel ij exhibita cum magno levamine, & postea ad vj, sed præmissa & sequente Catharsi, continuando ita per triduum: effectus erat exoptatissimus, ægro in sudorem largum soluto, & de die in diem melius se habente.

Notetur porro, 1. Fuligo differt pro diversitate ligni unde fit, quo magis resinosum lignum, eo magis oleosa.

2. Olea omnia, sive empyreumatica, essentialia, vel expressa, fuliginem inter comburendum præbent, in easdem principia resolubilem.

C. *FUMARIA* Officinarum & *Dioscoridis* C. B. *Fumitory.* Fumus terræ Capnios.

Debetur Mauritanis longe magis quam Græcis, quod illi eam pluribus commendarunt viribus, nec eis quidem contemnendis, ut, *Serapionem*, *Avicennam* & *Mesuen* legentibus, patebit.

Succus acris est, claritatem facit oculis delachrymationemque: Oculis enim inditus, instar fumi, eos molestando, lachrymas movet, unde nomen traxit; simul & amaræ qualitatis particeps est, nec tamen plane expers est acerbæ. Stringit gingivas.

Illitus hic succus cum gummi prohibet renasci palpebrarum pilos evulsos. Commanducata herba urinam biliosam multamque provocat, sanat jecinoris obstructiones & debilitates; &, dandam esse confidenter decoctum ipsius quomodocunque febrientibus, author est *Aëtius*. Herba arida trita, aquæ mulsæ inspersa, & pota, ventrem mollit, vino autem diluto similiter inspersa stomachum roborat, & cum aceto comesta Ventriculo molli & debili convenit, amovens phlegma, & substantiam ejus corrugans & confortans (*a*).

Bibitur ad pruritum & scabiem, auctore *Avicenna*. Purgat humores adustos, *Serapione* teste.

NOTÆ. Folia, præsertim recentia, saporis sunt amari, acris, subadstringentis, & succus, oculis inditus, lachrymas elicit, ut fumus, unde nomen: in floribus recentibus acrimoniam notavi tantam, ut masticandi fere dolorem excitaret linguæ & labiis; succus foliorum est insigniter amarus & acris: in siccis vero perit acrimonia, restante amarore; acrimonia scilicet prorsus volatilis est inter destillandum, inter decoquendum periens, unde semper adhiberi debet in succo vel infuso.

Rubefacit chartam cæruleam. Succus vel Decoctum, reposita, exhibuerunt in superficie efflorescentias salinas, fere similes crystallis Nitri, amaricantes & sapons leviter salini.

Diuretica est & sudorifera; succusque authore *Hoffmanno*, ab ℥v ad xij purgat.

Succus, in oculos inditus, mirifice eorum caliginem discutit.

Recens

(*a*) Nostram Fumariam eandem esse ac *Galeni*, & *Avicennæ*, utpote ejusdem aliquantulum acerbæ qualitatis participem, mihi verisimile videbatur ex sequenti experimento: Infuso Fumariæ nostræ addidi solutionem Vitrioli Anglicani, sequebatur color viridis saturatus in mixtura & sedimento, & apud *Alpinum* fusco-niger color, ut fit cum pluribus adstringentibus.

Recens infusa & epota utramque facere paginam dicitur in malo hypochondriaco, scorbuto, Ictero nigro, materiem hepar obstruentem suaviter fundens, necnon in Scabie & Herpete: testatur enim *Simon Pauli*, se scabiosissimos restituisse infuso ex sero Lactis.

N. *FUNGUS* membranaceus, auriculam referens, sive Sambucinus. Auricula Judæ vulgo. *Jews Ears.*

Odoris est mucidi. Aquæ immersus fit mollis, & turget instar spongiæ, quasi mucilaginosus & instar Gelatinæ duriusculæ, unde quidam deducunt vires ejus in curandis inflammationibus gutturis, utpote laxantis & refrigerantis, dum alii addunt, eum multum Olei & Salis volatilis continere: *S. Pauli* inquit, fungum, vino infusum, vel in aqua appropriata exhibitum, fortiter alvum laxare & hydropicorum aquas miro modo pellere: hinc verisimilior eorum sententia, quæ huic fungo tribuunt vim non tantum relaxantem, sed & resolventem.

Non est Venenum, authore *Alstono*, qui dicit se novisse quendam, qui bibebat Lac, in quo decoquebatur contra gutturis inflammationem, sine injuria.

Utilis esse deprehenditur in tumoribus & inflammationibus gutturis aliarumque partium rasa & applicata: in aqua & aceto macerata, impositaque oculis inflammatis, est optimum remedium.

Adhibetur & liquor in lacte decocti, aut in aceto macerati, ad gargarizandum in tumoribus gutturis, angina: in Aphthis infantum in aqua Salviæ vel lacte egregium dat remedium.

FURFUR. Bran. Vid. *Triticum.*

G.

1. C. *GALANGA MAJOR* C. B.

2. *GALANGA MINOR* offic. C. B.

Utraque Galanga veteribus Græcis ignota, sed minor Græcis recentioribus & Arabibus nota fuit.

Prostat apud *Nicolaum Myrepsum* Antidotus è Galanga aliisque aromatibus, stomachicis, lienosis & concoctione destitutis utilis; alteraque, quæ prodest frigiditati & humiditati Ventriculi, ejusque inflationi. Teste *Avicenna*, Odorem oris reddit bonum, confert colicæ & dolori renum, juvat ad coitum.

Authore *Mesue*, mane masticata & ore retenta humiditatem salivalem & catarrha-

tarrhalem forme deficcat, fœtorem oris prohibet & obtundit; ideo usus ejus multum confert in regionibus frigidis tempore hyemis.

NOTÆ. Odoris est fragrantis, Zedoariæ similis, saporis acris & calidi, fere æque ac Piper, amaricantis, sed calore & acrimonia longe prævalentibus. Ab Indis, loco Capparum, in embammatis usurpatur. Commendatur ut Errhinum, & ad lipothymias utilis est, unde Germani, venâ sectâ, masticandam præbent.

Si distilletur, magnam dare copiam dicitur Olei, Camphoræ similis, & in frigore concrescentis, sed non valde acris, hinc acrimonia Galangæ non in oleo volatili, sed parte magis fixa hæret, ut in pipere.

Convenit in cruditate Ventriculi ab acido frigido, & vertigine inde orta, in Colica a frigore, hydrope, scorbuto, mensibus suppressis. dolores a partu, admisso frigore, sedat.

C. *GALBANUM. Chalbanum.*

Dioscoridis Galbanum urebat: nostrum, minus acre, *Galeni* Galbano satis convenit, inter calfacientium tertium ordinem collocato, & quidem ex tertio ordine incipiente vel secundo completo.

Porro, quum *Dioscorides* Galbanum sit succus Ferulæ, in Syria nascentis, *Tournefortius* Ferulam antiquorum copiose crescere in insula Skinosa fatetur; verum, incisis caulibus hujus Ferulæ, in hac insula nascentis, lac, inde prodiens, nihil Galbani sentire, sed Galbanum verum extrahi à planta umbellifera, in Africa nascente, Oreoselino nempe Africano Galbanifero frutescente, Anisi folio. *Institut. rei herbariæ.*

Pingue est, gravis odoris, &, secundum *Dioscoridem*, urens. Culices eo accenso fugantur, necnon Serpentes, & eo perunctos ferire non patitur

Comitiales, Vulvæ strangulatus, & vertiginosos olfactu suscitat.

Vis ei molliendi & discutiendi, hinc in Emplastris concoquitur dolorem sedantibus, sed recens quatenus oleosum & pingue, (nam in vetusto pingue non permanet.) privatim ora ulceris indurata emollit.

Imponitur lateris doloribus & furunculis.

Dentium dolorem oblitum, aut cavernis inditum, mitigat: & in nervorum læsionibus, si nervus nudus non sit, Galbani admistio cum aliis acrioribus dolori auferendo convenit, quod fieri debet præcipue in acuto sensu præditis, teneris & cacochymicis

Imponitur quoque Achiadicis, strumis & articulorum nodis.

Menses & partus trahit appositu vel suffitu: bibitur in difficili partu sub a magni-

magnitudine ex vini cyatho: & potum cum vino & myrrha mortuos partus extrahit.

Devoratur ad tussim veterem, difficultatem spirandi, fasperia, rupta, convulsa, authore *Dioscoride:* & apud *Galenum* Galbanum & nucleus pinûs, ex melle Attico, datur pro eclegmate in peripneumonia, sputa educens.

Apud *Hippocratem* datur in febre singultuosa.

NOTÆ. Odoris est fœtidi, Opopanacem referentis vel Allium, sed debilius est, saporis subacris, amaricantis. Est Gummi-Resina, inflammabile ut Resina, in aqua eousque solubile, ut triturando fiat Lac; in oleo non solubile, ut puræ Resinæ. Partes ij Spiritus Vini rectificati & pars j Aquæ solvunt totum, nisi impuritates, partibus resinosis copiosioribus in eo existentibus, quam gummosis.

Vires habet Gummi Ammoniaci, sed magis stimulans est, minus catharticum, unde in omnia insignia antidota alexipharmaca & diaphoretica recipitur.

Præsertim agit emolliendo & digerendo.

Sub forma emplastri multum valet ad abigendos clavos pedum. Extus quoque partes, a spasmodicis doloribus vexatas, roborat, luxatas paululum firmat, frigidisque tumoribus discutiendis vel maturandis par est. Bubones & Anthraces maturat.

Alvum laxat, & ℈ss ejus pro eccoprotico datur. In Asthmate convenit, at in specie in Colica hysterica valet & in affectibus convulsivis.

C. *GALIOPSIS.* Lamium maximum sylvaticum C. B. *Hedge Nettle. Dale* Pharmac.

Omnes fere notas possidet quas *Dioscorides* Galiopsi tribuit.

Gravem odorem folia trita reddunt.

Folia, caules, semen, succusque duritias & carcinomata dissipant: strumas, panos & parotidas discutiunt. Oportet bis die tepidum ex aceto cataplasma imponere, & ejus decocto fovere. Ad putrescentia ulcera, gangrænas & ulcera depascentia cum Sale efficaciter illinitur.

NOTÆ. Gravissimi est odoris, saporis nonnihil salsi. Chartam cæruleam non mutat in rubrum colorem.

Eandem, authore *Trago*, cum Urtica urente vim habet, plus tamen valet in externis ulceribus & tumoribus dissipandis, quapropter hac in balneis ad vaporationes & emolliendum uterum uti convenit, quippe ad suffocationes uterinas & affectus hystericos optima. Si virentes contundantur earumque suc-

 cus

cus cum foliis, cataplasmatis instar, phagedænæ imponantur, brevi eam enecabunt, authore *Trago*.

Infusum foliorum & florum in colica, nephritide, scrophula, pleuritide laudatur.

C. *GALLÆ*. *Galls*. Quercus, gallam exiguæ nucis magnitudine ferens, C. B. *The Oak Gall*.

Galla duplex est. 1. *Omphacitis*, i. e. immatura, parva, rugosa, solida, gravis, nullo foramine pervia. 2. *Plana*, levis, perforata. Eligi debet Omphacitis, quæ efficacior. Utriusque vis vehementer adstringens.

Omphacitis constringit contrahitque partes laxas ac languidas, omnibusque fluxionum affectibus strenue resistit: carnem indurat & desiccat; proinde, ad cicatricem inducendam accommodatur. In ulceribus malignis & contumacibus valet. Ex aceto pota lienem consumit.

Altera galla minus acerba, cocta per se, & deinde trita, cataplasma non instrenuum in sedis inflammationibus & prolapsu ejusdem præbet. *Porro*, coquenda est, si modica opus est adstrictione, in aqua, sin vehementiore, in vino; ac si augere insuper adstrictionem sit opus, vinum austerum adhibendum.

Tritæ excrescentias in carne, fluxiones gingivarum atque oris ulcuscula cohibent. Decoctum earum ad insessus expedit contra vulvas procidentes fluxionesque. Dysentericis cœliacisque cum vino aut aqua tritæ convenienter illinuntur, aut bibuntur.

In inflammatione columellæ, ubi vehementior influxus, decoctum gallarum generosissimum est, ex aqua gargarisatum. Quin & aridis contritis columellam contingere oportet, & harum pulvere columella contracta eodem die resilit, si ter ei, interjectis horis, medicamentum fuerit appositum.

Paronychiis ex melle, & unguibus scabris, pterygiis, ulceribus manantibus, condylomatis, vulneribus, quæ phagedænica vocantur, illinuntur, & cum aceto adversus pustulas, papulas & panos.

Nucleus commanducatus, vel dentium cavernis inditus, eorum dolorem sedat, necnon ablutio dentium dolentium calido gallarum ex aceto decocto.

Combustæ vim supprimendi sanguinem acquirunt: calorem & acrimoniam urendo contrahunt, & majore siccandi vi redduntur. Carbonibus autem imponere oportet usque dum candescant, & tunc aceto aut vino extinguere.

Capillos denigrant, aceto aut aqua maceratæ.

NOTÆ.

NOTÆ. Acerbæ ſunt & amaricantes. Cortex fortior eſt, quam pars interior, utriusque vero vires extrahuntur ab aquoſis & ſpirituoſis menſtruis, ſed extractum ſpirituoſum aliquanto fortius eſt.

Pulvis, additus mixturæ Olei Vitrioli & aquæ, aciditatem minuit, ſed. terra gallarum acidum abſorbente, unde & in Aquis chalybeatis præcipitatur metallum, acido ſolvente privatum.

Putredini reſiſtunt vi longe majori, quam Sal marinus.

Mucum glandularum articulorum coagulant: carnem fungoſam reprimunt.

ʒj pulveris, in ℔j lactis cocti, hoc inſpiſſat inſtar cremoris, & datur ad ℥iv ter de die, ad ſiſtendas diarrhœas a mera laxitate.

Super carbones uſtæ, dein extinctæ, in muria ex aceto & ſale omnem hæmorrhagiam ſiſtunt potentius quam crudæ.

C. *GALLIUM* luteum C. B. *Yellow Ladies Bedſtraw, or Cheeſe Rening.*

Nomen ex eo traxit, quod lac coagulet. Flos odoratus eſt. Facultatem obtinet exſiccantem & ſubacrem. Sanguinis è naribus profluvia ſiſtit: combuſtis medetur.

Radix venerem concitat.

NOTÆ. Flores odoris ſunt fragrantis graviuſculi. Folia & Flores ſubamara ſunt & ſubadſtringentia: infuſum & decoctum evidenter amarum, & infuſum cum Vitriolo Martis atro-viride fit.

Aciditatem oſtendunt, flores cæruleos ad rubrum mutando.

Succus ſubſalſus, ſubacidus; non tamen mutatur ab acidis nec alcalinis: caute & ſine agitatione additus Lacti coagulum fuſcum exhibuit porro folia & flores, addita Lacti & cocta, hoc inſpiſſabant fere ad conſiſtentiam cremoris lactis.

Aqua foliorum & florum, leni calore deſtillata, odoris eſt, ut floris, & hoc ſingulare habet, quod ſaporis ſit acidi, ſecus quam Aqua ab Acetoſa & aliis vegetabilibus acidis, a quibus primo prodiens phlegma inſipidum eſt; proinde Acidum ejus longe ſubtilius eſt, quam Acidum Acetoſæ.

Herba, aut ejus pulvis, ſanguinis profluvia ſiſtit, ignibus ſacris & eryſipelati medetur.

Flores contuſi applicati calorem tollunt in ambuſtis & ſanant.

Decoctum forma balnei ſanat Scabiem ſiccam infantum.

Herba & flores contuſi in aqua vel cereviſia dantur in vertigine equorum.

Flores frequentius ſunt uſis in curanda Epilepſia infantum apud Gallos, & noſtrates in doloribus ſpasmodicis ventris, dato Cochleari infuſi in vino ter

in

in die. An a subtili Acido, spirituum rarefactionem tollendo? An vi sedativa? quoniam *Ruppius* apud *Daleum* affert, hanc herbam soporiferam esse.

Radix lanam tingit, ut Rubia tinctorum, & a volucribus comesta ossa similiter rubefacit.

Pulvis radicis & caulis dicitur curare dysenteriam: decoctum tamen vix mutatur a Vitriolo Martis, & saporis tantum est obscure amaricantis.

N. *GAMBOGIA.* *Gamboge.*

A *Clusio* primum recepta A. D. 1603, & cito postea in Europam introducta.

NOTÆ. Est Succus inspissatus Tithymali crassi & scandentis in India orientali: odoris est lenis, saporis subdulcis in ore, &, ibidem per horam detenta, acris, calidi in gutture cum ariditate per aliquot horas postea.

Est Succus gummeo-resinosus; nam Spiritus Vini rectificatus solvit ¾ partes, & Aqua, calore adjuta, fere eandem quantitatem.

Aqua cum sale alcalino solvit in liquorem pellucidum coloris sanguinei: Saccharo & salibus Lixiviosis contrita corrigitur, particulis resinosis sic divisis, ne adhærescant intestinis; solvitur quoque vitello ovi, &, sic solutæ gr. v dicuntur plus efficere, quam gr. x in pulvere.

In morbis hydropicis, aliisque ut Scabie & Pruritu ex abudante sero, hydragogum est validum, tutum, simulque emeticum, in temperamentis biliosis non usurpandum.

In nuperis experimentis efficacissima fuisse perhibetur in Lumbrico lato.

D. *GENISTA* angulosa & scoparia C. B. *Common Broom.*

Vires eædem fere tribuuntur omnibus ejus partibus, de quibus tamen sigillatim agere experimentaque cum singulis instituta sequenti modo tradere statui.

Tota Planta odoris fortis est, & saporis amari; viridis quoque, aquæ infusa, amara. Tota est emetico-purgans, & in cachecticis diuretica.

Pastores Oves, hydrope laborantes, dimittunt in agros, Genista abundantes.

Cineres hoc nomine præferendi, quod salem dent alcalinum purum, secus quam plurima alia vegetabilia.

Caules juniores & Summitates amari sunt (sed magis veterascentes) & succum amarum nauseosum dant Aquæ & Spiritui Vini rectificato. Succus caulium expressus amarus est, non mutatur ab acidis nec alcalinis, & ad ℥j dicitur purgare supra & infra, mitius vero purgare dosi ℥ß repetita & diluta.

Viridium succus duplici ratione prodest hydropicis, nempe ut diureticus, & majore dosi purgans.

De-

Decoctum Summitatum in Cerevisia forti, ad consumptionem dimidii, sæpe præscribitur a *D. Willis* ad ℥ij vel iij bis die in scorbuto frigido.

Folia amara sunt, & aliquando non sine dulcedinis mixtura. Non rubefaciunt Chartam cæruleam.

Folia cum caule, tum recentia tum sicca, odoris sunt gravius culi, saporis subamari in gutture, & subadstringentis, ut est decoctum, sed non mutatur a Vitriolo viridi.

Flores sicci Pisum respiunt, alias modori, insipidi: recentium odor mitis, forte oleosus, instar seminis lini.

In lacte tepido infusi adhibentur pro fotu contra Herpetem, *Tetter* dictum, & alia mala cutis. Flores & ramuli virentes apud *Prevotium* purgant ex jure macerati aut decocti a ʒij ad ℥ß.

Aceto & sale conditi, Capparum Olerumve ratione, antequam explicentur, appetitum excitant, & viscerum obstructiones expediunt. notandum quoque, vim purgantem aceto conditorum minui, aliter enim in decocto, vel in hydromelite infusi purgant; in substantia vomitus ciere dicuntur, ad ʒij sumpti, & semen a ʒß ad ʒj lienosis, hydropicis & nephriticis, vomitum ciendo, utilia. Folia & semina, authore *Prevotio*, in substantia a ʒj ad ʒij, in infusione aut decocto a ʒij ad ℥ß strenue purgant.

C. *GENTIANA* major lutea C. B. *Gentian*.

Si veris constitutio siccior obvenerit, Gentiana, quæ in Italia nascitur, par erit Cretâ allatæ.

Impense amara est, & vis ei excalfactoria ac detergens, multum efficax cum opus sit extenuatione, abstersione & obstructionis liberatione, proinde in Ictero seu oppilatione hepatis sine febre & inflammatione, quæ si adsint nocet, utpote calida.

Ad obesitatem seu corpulentiam nimiam curandam prodest, validam incidendi facultatem habens.

Maculas omnes emendat. Collyrii modo subdita partus ejicit. Illinitur ulceribus, quæ serpunt, radice tusa vel decocta in aqua ad mellis crassitudinem, vel succo, qui & oculis inflammatione laborantibus illinitur, & pro meconio collyriis acribus immiscetur.

Interaneorum vitiis occurrit farina ex aqua tepida fabæ magnitudine; privatim cibum non continentibus & hepaticis subvenit.

Extracti succi drachma laterum doloribus & ex sublimi devolutis, ruptis & convulsis prodest.

Jumentis, ilia trahentibus, auxiliatur potu. Madefacta, pridie concocta, denarii pondere in vini cyathis tribus datur ad tussim, suspiria & tormina.

NOTÆ. Præter amarorem insignem intermista est mucositas, ac bis gustavi aliquid dulcedinis, & in decocto spumam quasi oleosam; quod decoctum quoque gustu subadstringens est, etsi non mutabatur a Vitriolo viridi; Infusum tamen in aqua coagulum leve exhibuit cum albumine ovi.

Tinctura cum Spiritu Vini longe fortior est, quam infusum aqueum.

Externe in excitatis fonticulis, si fluere renuant, Gentianæ pulvis inspergitur, aut globuli ex Gentiana imponuntur, & ad callum ulceris fistulosi excedendum, adque fistulas dilatandas.

Antiseptica est, valet ad gangrænam & cariem ossis; dentes a carie defendit, & hoc respectu pulveribus dentrificiis immiscetur: deterget ulcera sordida, & vitiliginem, authore *Dioscoride*

Acidos in corpore humores corrigit: bilem deficientem optime supplet. Anthelmintica est. Stomachicis, qui cibum sumptum retinere non possunt, datur pulvis ex vino.

Succus inspissatus vel Extractum creberrimi usus est in febribus intermittentibus, a ℈j ad iv in vino calido, vel cum Spiritu Salis Ammoniaci, semihora ante paroxysmum exhibitum, sudorem eliciens, & ter quaterve repetendum.

Efficax in tollendis diarrhœis contumacioribus, quæ gravibus doloribus stipatæ sunt, cui rei fidem facere videtur vis subadstringens, supra notata.

1. N. *GERANIUM* Robertianum. C. B. *Herb Robert.*

2. *GERANIUM* Cicutæ folio moschatum C. B. *Musked Crane's bill.*

Dioscorides duas species Geranii profert, sed neutrum eorum his convenit.

NOTÆ. Geranii Robertiani recentis Odor teter quasi terebinthinaceus, vel instar bituminis aut petrolæi; sapor adstringens, subamarus: decoctum austerum, subacidum & cum Vitriolo viridi nigrescit. Rubefacit Chartam cæruleam.

Aqua, leni calore destillata, præter odorem plantæ possidet quoque qualitatem aliquantulum adstringentem, se prodentem tum gustu, tum colore pallide rubro, inducto a Vitriolo viridi.

Succus valde adstringens est & subsalsus, cum Vitriolo viridi fusci coloris fit, spissescit & albescit cum albumine Ovi, sanguinisque sero. Coagulum viride exhibuit cum Alcalinis tam volatilibus quam fixis, sed a fusco colore mutabatur ad rubrum pellucidum, addito Spiritu Vitrioli vel Oleo Sulphuris.

In foliis siccis perit Odor, sed hæret sapor, ut supra.

Insigne Vulnerarium est usu externo & interno, adstringens, discutiens & deter-

detergens. Dejectiones sanguineas & mictum sanguinis in hominibus pecoribusque sanat, mensium profluvia, omnes hæmorrhagias cohibet, & commendatur ad Herniam. Celebratur in ulceribus scrophulosis, cancrosis & putridis mammarum ac pudendorum, succo ejus illito, vel linteolis, eo madefactis, impositis. Succus, melli admistus, cancros oris sanat; & simplex decoctum mammis cancrosis applicatur successu non infelici apud *Hildanum*.

Erysipelatibus efficaciter imponitur tusa.

Adhibetur ad mammarum fissuras lactisque discussionem impositum.

Laudatur in contusionibus, solvens sanguinem coagulatum, forma cataplasmatis admotum. Externe quoque tollit tumores pedum œdematosos.

Denique, authore *Lobelio*, calculum vesicæ & arenulas pellit.

3. N. *GERANIUM* moschatum C. B. *Musked Crane's bill.*

Recentis Odor est instar Moschi, sapor subamarus & adstringens: flos evidenter amarus, adstringens.

Decoctum cum Vitriolo Martis nigrescit.

Calefactoriam & discussoriam vim habet. Ad Exanthemata pellenda olim adhibitum fuisse, refert *Linnæus*.

Siccum, inodorum, insipidum.

N. *GINSENG* & *NINZIN*. Radices.

Radices hæ prorsus Antiquis ignotæ, nec a recentibus satis distinctæ fuerunt, namque e diversis plantis diversorum generum prognatæ sunt, notante *Hill* in *Mat. Med.*

Odor aromaticus suavis quibusdam, aliis dicitur fere inodora esse, sed saporis acris, dulcis tamen mucilaginosi; dulcedine minore, sed gratiore, quam Sisari nostratis, simul subamaricantis.

Laudatur ut analeptica, cardiaca & venerem stimulans, vires conservans, amissas restituens, & collapsas post omnes morbos diuturnos mirifice restaurans; senibus utilissima, nervis mirifice conducens, & in Colica convulsiva, vertigine, memoriæ debilitate utilis.

C. *GLASTUM.* Isatis sativa vel latifolia C. B. Nil *Avicennæ*. *Woad.*

Si legamus *Dioscoridem*, ut *Hermolaus* legit, nostrum Glastum Isati sativæ adamussim quadrabit. *Cæsalpinus*

Amarum est & adstringens, facultatis valde exsiccantis, non tamen mordentis.

Abstergit morphæam, confert Alopeciæ: cruenta vulnera glutinat, & utile cataplasma præbet partibus, fluxu sanguinis laborantibus.

Tumores œdematosos mirifice discutit simul ac reprimit. Adversus omnia ulcera maligna & cacoëthea mirabiliter resistit, etiamsi putrescant vel erodant.

Herba pota lienosis plurimum prodest.

NOTÆ. Sativa dicitur esse non acris, sylvestris acris: ipse quidem notavi, sativi nostri folia sicca parum odoris vel saporis habere; sed radicem & folia recentia amara esse, valde acria, sensu acrimoniæ non diu durante.

Præcipuus ejus usus est ad pannos cæruleo colore tingendos.

Veteres & Recentes vim adstringendi ei tribuunt. Dicitur esse e potentissimis Resolventibus tumorum, contusis & extus applicata, ac sanare Oves, eà pastos, hydrope, *Red water* dicto, laborantes, & in morbis hypochondriacis valere quam maxime, utpote incidens, aperiens, fundensque crassa.

C. *GLYCYRRHIZA* siliquosa vel Germanica C. B. Scythica radix *Theophrasto*. *Liquorice*.

Glycyrrhiza duplex est. 1. *Echinata*, ubi semen capitibus hispidis est inclusum. 2 *Siliquosa* seu Germanica officinarum. Prior Veteribus in usu fuit. Nostra dulcior est, quam Veterum, &, authore *Bauhino*, quæ *Dioscorides* & *Galenus* suæ tribuunt, nostra præstat efficacius.

Radices (veteribus notæ) subacerbæ, dulces. succus quoque dulcis, & leviter adstringens, qui vulneribus aptius accommodatur, & commanducata radix sanguinem ex vulnere sistit; prodest oris ulceribus, & farina ejus pterygiis utiliter inspergitur.

In arteriæ scabritie linguæ subditus, ut eliquescat, efficax habetur, nec modo asperitates lenit in arteria, verum etiam in vesica scabra. Sanit & renum dolores ex passo potus succus. Sanat & condylomata, ulceraque genitalium æstuanti stomacho, thoracis ac jecinoris vitiis convenit. In ore, sensim liquescens, sitim sedat.

Radicis recentis decoctum ad eadem valet Radice quoque fames & sitis sedatur, ob id quidam ipsum *adipson* appellavere, & hydropicis dedére, ne sitirent, surculum parvum, sub lingua detentum, salivam transglutire jubentes.

NOTÆ. Nostra dulcior est, quam Saccharum aut Mel, & simul semper aliquantulum amara, præsertim in decocto diu protracto, unde si decoctum aliquod ingrediatur, in fine decoctionis addenda Amaror hicce vulgo quidem tribuitur cortici, verum notavi, amarorem in decocta radice cum sine cortice Mucilaginosa est radix.

Extractum inter dentes quasi arenosum vel instar Sacchari candi sentiebatur: an a Sale, dulcedinis sede?

Spiritus Vini rectificatus extrahit dulcedinem, æque ac Aqua; sed, quia dulced-

dissolvit minus mucilaginis, spirituosæ Tincturæ & Extracta dulciora sunt quam aqueæ, & proinde dulcedo videtur præcipue inhærere resinosis partibus.

Saccharo præferenda, quoniam Saccharum sitim excitat, sed Glycyrrhiza eam extinguit.

Acrimoniam præcipue salsam seri & sanguinis mitigat, vias lubricat, absterget ab amarore latente, quod ab effectubus ejus, experientia compertis, patet. Alvum enim infantum leniter mollit, diuresin aliquantulum adjuvat; singulariter ad mobilitatem, tenaci muco conciliandam, adeoque ad expectorandum, conducit.

Veterinarii ℥iij vel ℥iv cum p. æ. flor. Sulphuris permiscent, qua dosi, per 18 dies quotidie bis repetita, equos anhelosos curant.

Inflammationes sedat. Datur in Urinæ stillicidio, in renum & vesicæ exulcerationibus, calculosis, phthisicis, rheumaticis, & podagricis, sed, si nimia copia sumatur, corpus debilissimum reddit, & vasa renalia adeo laxat, ut sine sensu urinam dimittant.

Si pulpæ Cassiæ fistulæ tantillum pulveris Glycyrrhizæ insperseris, aut ex Terebinthina cocta & Glycyrrhiza pilulas formaveris, admirandos sæpe effectus videbis in Calculi medela, authore *Simone Pauli*.

Pulvis, subtilissime tritus, oculis inspersus, dicitur optimum esse remedium in induratione corneæ, pterygion dicta.

C. *GRAMEN* caninum arvense, seu Gramen *Dioscoridis* C. B. Gramen caninum medicatum. *Adv. Lobelii.* Gramen primum *Dioscoridis.* *Common Dog grass or Quich grass or Couch grass.*

Radix, priusquam exaruerit, dulcis est & esculenta, nutrimentum corpori exhibens, simul tamen acrimoniæ aliquid & adstrictionis habet, unde trita, illita, vulnera conglutinat, & lapides interdum conterere cognita est decoctum ejus bibentibus. Porro, decoctum in vino torminibus medetur & urinæ difficultatibus ulceribusque vesicæ.

NOTÆ. Duplex apud nos in usum medicum recipitur. 1. *Gramen caninum arvense, seu Gramen Dioscoridis* C. B. *Common Quich grass or Couch grass.* 2. *Gramen nodosum avenacea panicula* C. B. *Knotty rooted Dog grass.*

Primum subdulce est, aliquantulum mucilaginosum, & in fine subacre in gutture. Subadstringens quoque dicitur Authoribus; verum decoctum ejus non mutatur, ut Austerorum, addito Vitriolo viridi.

Infusum Syrupum Violarum tantummodo dilute & tincturam Heliotropii parum tantum rubefacit. Ab Oleo Tartari odor aliquantum urinosus.

Recentioribus Graminis radicibus inhæret Sal essentiale aliquod saponaceum,

adeoque leniter resolvens, unde confirmatur, quod *Cl. Markgraaf* ex illis æque ac aliis radicibus Saccharum præparaverit.

Annumeratur radicibus quinque aperientibus & vires possidere dicitur similes Asparagi, sed debiliores: diuretica est, urinæ acrimoniam mitigat, & egregie facit in obstructionibus viscerum, sine calefactione opus suum peragens.

Recens usurpari debet, nam ætate perit virtus.

Farina dicitur remedium esse non contemnendum ad intestineorum vermes; & decoctum propinatur infantibus in hoc morbo.

Secundi radix saporis est, ut seminis farinacei, & dulcis, simul subacris, amaricans in gutture, scil. magis acris & amara quam prima, & proinde valentius obstructiones aperire, urinam ciere, & propius ad Veterum Agrostin accedere, quibusdam reputatur.

Gramen quodcunque solvit Calculos biliosos. Oves & boves, Calculis vexati in hyeme, verno tempore liberantur a Gramine recenti, notante *Glissonio* & *Francisco de le Boe Sylvio*.

Ubi insignis dyscrasia Viscerum calida, cum eorundem obstructione, ægros affligit, vix exoptatius medicamentum ars nostra suppeditat, authore *Simone Pauli*.

C. *GRANA* Cnidia. Thymelæa *Dioscoridis*. Cneorum *Theophrasti*. Mezeræum *Mesuæ*. Thymelæa foliis lini C. B. *Spurge-Flax. Le Garou*. Fructus ab *Hippocrate* Granum Cnidium & Coccus Cnidius, vel Coccus aut Granum, per se sine additamento positum, vocatur.

Acris est Fructus & adurentis facultatis. Humiditatem ex ore trahit. Qui ægre desudant, trito semine cum nitro & aceto, inunguntur.

Per inferna bilem, pituitam, aquas detrahit, si viginti granorum pars interna (aut medulla alba) bibatur, verum fauces adurit, unde cum pane aut polenta, vel in uvæ acino dari debet, aut melle cocto obductum devorari. Oleum, quod ex eo fit, solvit ventrem potentius, quam Oleum Cicinum, seu è Ricino.

Videtur magis convenire fœminis quam viris; cuidam enim, absque ulla alia purgatione, ad uterum purgationes adduxit. Non incommode datur hydropicis, & quorum venter est frigidior, itemque comitialibus, attonitis, articulorum doloribus vexatis. Capitis denique defluxiones exsiccat.

Foliis eadem facultas inest, sed imbecillior. Authore *Dioscoride*, herba Stomacho infesta, & partus imposita necat.

NOTÆ. Baccæ saporis sunt acerrimi & urentissimi, vehementissime purgantes, unde miratur *Raius* perdices & aviculas has avidissime vesci.

Radix

Radix sicca usurpatur pro Vesicatorio, ad serositates attrahendas, in vertigine & fluxionibus violentis, quando frustulum ejus inditur auri perforatæ ad excitandam suppurationem, ut in setaceo, vel brachio, aliove loco imponitur.

Cortex quoque hujus plantæ applicatur pro vesicatorio apud rusticos in Gallia, ad curandas Ophthalmias pertinaces, & ad præcavendum ac dissipandum fluxiones, ut vocant, ad caput (*b*).

C. *GRANATI Cortex*. Malicorium, aliquibus Sidion appellatum. Malus Punica sativa C. B. *The Pome granate tree.*

Hicce Cortex inter acerba numeratur, spissandi, adstringendi, siccandi vim habens, & proinde ad cicatricem inducendam accommodatur; sanguinolenta glutinat, ubi nempe vas aliquod magnum perruptum, aut vehementer reclusum, hiat, vel ubi Gingivæ humore flaccidæ mobilesque dentes, decocto colluuntur. Herniam prolapsam intestini erumpentem cataplasmate repellit, necnon uterum prolapsum. Ulcera exsiccat, & ulceribus internis (v. g. intestinorum) opitulatur, nec ullam visceribus noxam infert: tostus in dysenteria prodest, & in curandis ulceribus malignis, prius lævigatus quam admisceatur ærugini, ceræ & resinæ laricis.

NOTÆ. Gustus est valde adstringentis, valentius quam Balaustia, & simul amaricans: Infusum in aqua acidum erat, valde adstringens, & nigrescebat cum Vitriolo viridi.

Usus est ad coria præparanda & ad atramentum, vice Gallarum.

℥j exhibet fere ℥ß Extracti valde austeri, & pauca tantum grana substantiæ resinosæ.

Spiritus Vini rectificatus parum Extracti austeri exhibet; Aqua vero fere dimidium ponderis sui exhibet Extracti valde austeri, quatenus differt a Balaustiis, sed convenit Acaciæ.

Lymphæ hydropicorum admixtus eam coagulavit.

Præcipuus usus est in sedando fluxu hæmorrhoidum, nasi & uteri; ingreditur collyria, gargarismos & enemata adstringentia; privatimque utiliter adhibetur decoctum ejus pro lotione ad præcavendam læsionem oculorum & faucium in Variolis, vacillantes dentes roborat, & cruentis putridis gingivis medetur.

Constantinus, a *Trago* citatus, affirmat, vino decoctum ac potum omnes ventris tineas enecare, maxime eas, quas Ascarides vocant.

D. *GROS*.

(*b*) Hunc corticem ad Scrobiculum cordis in asthmate humido cum fructu applicatum fuisse, sæpius observavi . lenius agit, quam Cantharides.

D. *GROSSULARIA* spinosa C. B. Uva crispa. *The Goose berry bush.*

Grossulariam spinosam *Theophrasti* esse credit *C. Bauhinus.*

NOTÆ. Saporis diversi est pro ratione ætatis. 1 Baccæ, nuper enatæ, saporis sunt moderate acidi. 2. Debitam magnitudinem adeptæ fortiter acidæ & acerbæ. 3 Maturæ mucilaginosæ, dulces, vinosæ, & decoctum harum acidum est, dulce & austerum, sed non mutatur addito Vitriolo viridi.

Immaturorum succus in inflammationibus & erysipelate prodest. Ventris profluvium & hæmorrhagias, privatim hæmoptoën, sistunt. Appetitum excitant, & remedio sunt in relaxatione fibrarum ventriculi, & contra gravidarum Picam valent.

Maturæ in Recipiente, exhausto aëre, per aliquot dies repositæ, magnam quantitatem aeris emittunt.

Copiose comestæ alvum solvunt. Conveniunt tempestatibus calidis & temperamentis sanguineis, biliosis.

Succus ex lbj dedit Extracti acidi & valde austeri ℥iv ʒij gr. vj, quod, dilutum, non mutabatur addito Vitriolo viridi. Austeritas hæret in pelliculis.

N. *GUAIACUM* Lignum Vitæ. Lignum Indicum. Guaiacum Americanum primum fructu Aceris, sive legitimum *Breyn. Prodr.*

Lignum olet resinaceum quid & gratum dum inciditur vel coquitur: saporis est acris, amaricantis &, repetitis coctionibus, seu diu protractis, insigniter amari. in valde recenti acrimonia amaritiem superat, in vetustiore acrimonia & amarities æquales. fauces asperitate quadam afficit. pinguissimum est, & optimum ponderosissimum, adeo ut parva ejus particula non supernatet, sed subsidat in aqua.

Decoctionem diuturnam postulat, imo plures coctiones.

Oleum æthereum deficit, sed substantia fixa gummosa & resinosa notabili copia adest, posterior vero priori pondere antecellit.

Putredinem arcet, carnes præservans, ut acetum vel aliud aliquod salsamentum, & mirabili virtute exhibetur contra oris graveolentiam, & animæ fœtorem a perunctionibus mercurialibus.

Fragmentum Calculi duri foedique, decocto per quatuor menses infusum, corrodebatur usque adeo, ut dimidium ponderis sui amiserit.

Decoctum dentes, eo sæpius colutos, firmat & dealbat.

Operatio ejus est varia ratione individuorum, quibusdam insensibilem tantum

tum transpirationem movet, aliis sudorem, aliis urinam, aliis alvum, adeoque sanguinem abundanti sero liberat.

In morbis chronicis, ubi lentescentia humorum peccat, valet. Destillationes abripit, & a fluxionibus caput liberat, præcipue in catarrhis viscidis, tussi humida; necnon in sordibus ulcerosis & scabiosis, præsertim in subjectis frigidioribus phlegmaticis prodest. Paralysin recentem restinguit ac discutit.

Hujus acri lixivio ablui potest intricatissimum Luis venereæ contagium, ad quod vis Mercurii pertingere non potest, methodo *Hutteniana*, quam vide apud Authores de Lue venerea, a *Boerhaavio* editos.

Ipse vidi in Nosocomio *D. Steevens Dubliniensi* mirabilem effectum Decocti cum ⅓ lactis ad ℔iv, vj, vel plures in die hausti, in curandis tribus hominibus tabidis, ulceribus amplis & profundis laborantibus cum diarrhœa & sudoribus nocturnis.

In Vino decoctum, interpositis laxantibus, Colicam pituitosam curavit.

Cortex omnium consensu vires possidet prorsus similes Ligni, sed an validiores an debiliores, discrepant Authores graves.

GUMMI GUAIACI.

Dictum est proprie Gummi-Resina, vel potius præcipue Resina, vel Balsamum inspissatum; quippe exhibere dicitur Resinæ ¾ partes ponderis sui: liquescit flammâ, sed flammam non multum alit. Super ignem odoris est grati, mitis, accedens ad odorem Balsami Peruviani: saporis est acris, calidior quam Lignum, cujus vis præcipue in resina hæret.

Acrimonia ejus integre extrahitur Spiritu Vini, sed Tinctura, addita aqua, grumescit, resina separata.

Porro, Tincturam fortem extrahit Aqua Calcis, attrahendo nempe aërem fixum, (vinculum cohæsionis in resina) & quidem hoc nomine præferendam, quod in Tinctura cum Aqua Calcis nulla fit separatio a vehiculo aquoso, secus quam fit in solutionibus seu tincturis spirituosis. Vide *Calx viva.*

Dosis, satis larga, v. g. ad ℈ij, purgat.

In Scorbuto, Rheumatismo, Asthmate, & in morbis venereis, speciatim in Gonorrhœa, aliis remediis non cedente, præscribitur.

GUMMI COPAL.

Bauhinus vult, nullam esse differentiam inter G. Copal & G. Anime, & *Monardes* admodum similia esse, nisi quod G. Copal sit minus odoratum: namque viscosum est, pingue, inflammabile, & flammam alit; frictum quibusdam thus redolet, aliis magis grati odoris quam thus, vel ad Styracem quodammodo

modo accedentis: saporis amaricantis, subacris, aliquantulum calidi & aromatici.

Non est Gummi, sed Resina, in oleo Terebinthinæ solubilis, lente vero, &, instar Succini, difficillime; ¼ pars enim modo solvitur in Spiritu Vini: dicitur solvi in Æthere.

In Vernice præcipue usurpatur; tonicæ tamen & resolventis qualitatis particeps; necnon in suffitibus similiter usurpatum fuit, ad morbos capitis frigidos, Thuris & Gummi Animæ vicem explens.

C *GUMMI AMMONIACUM.* Hammoniacum. *Gum Ammoniac.*

Ejus planta ignota est nobis æque ac Veteribus: verum Hammoniacum tamen nobis haud deest, plura enim adsunt requisita, sed præcipue facultates.

Castoreum odore imitatur, gustu amarum. Mollit, discutit, calfacit, concoquit, attrahit, panos maturat, clavos extrahit cum melle aut pice illitum. Lassitudines & coxendicum dolores eo illini utile est cum nitro & cyprino oleo. Chæradas (strumas) per halitum digerit. Apostemata oculorum mundificat & dissolvit, eorum Albugines abstergit; genarum scabritiem absumit.

In fine primi generis calfacientium locatur, hinc in scirrhosis affectibus efficax, utpote molliens & digerens, inter emollientia principatum obtinens; nullum enim vehementer excalfaciens siccumve medicamentum aptum est ad scirrhosos affectus, sed ea tantum, quæ molliendo digerere possunt: ab iis vero, quæ vehementer trahunt digeruntque, digesto eo, quod in tumore tenuium partium erat, veluti lapidosa concretio remanebit. Hinc (pergit *Galenus*) in scirrhoso tumore in toto femore, erysipelate nimis infrigidato, atque adstricto, Ammoniaco pinguissimo, (scil. recenti) in aceto acerrimo soluto, circumline totum femur, dein per aliquot dies Opopanacem pinguissimum, mixto aceto acerrimo, applica.

In compositionibus emplastrorum, ad ora ulcerum indurata emollienda, locum habet.

Lienem minuit, cum aceto drachmæ pondere haustum, & articulorum coxendicumque doloribus liberat.

Tritum cum aceto & impositum jecinoris lienisque duritias emollit, dummodo conveniens victûs ratio instituatur cum medicamentis aperientibus & abstergentibus.

Potum alvum solvit, partus extrahit: auxilio est anhelatoribus, orthopnoïcis, comitialibus & in cordis strangulatione, item quibus humor in pectore coit, si cum melle delingatur aut cum succo ptisanæ sorbeatur. Cruentam urinam pellit.

NOTÆ.

NOTÆ. Recentiſſimum odorem habet Caſtorei, vetus Galbani, vel ad Opopanacis odorem accedit, ſaporis acris, acrimonia tarde ſe expediente, amari quoque in ore & guttare.

Eſt Gummi-Reſina, ſeu Gummi balſamicum, ſive ſuccus lacteus plantæ inſpiſſatus, & proinde tritura cum aqua ad priſtinam formam reducitur.

Spiritus Vini rectificatus diſſolvit fere dimidiam partem, quæ ſaporis ejuſdem eſt ac Gummi ipſum, relicta parte mucilaginoſa fere inſipida.

Attrahit valide adeo ut ſpinas, carni infixas, eliciat.

Ad emolliendos vel & diſſipandos Clavos pedum aliaſque excreſcentias & tumores induratos, per ſe, non ſine inſigni efficacia, applicatur.

Menſes & Urinam movet.

In Aſthmate forma emulſionis exhibetur, & nil melius in paroxyſmo Aſthmatis humidi, & in tuſſi chronica, ad incidendam pituitam craſſam viſcidamque, ſive in ſtomacho ſive in bronchiis ſtabulantem.

N. *GUMMI ANIME.*

Frictum thus redolet, accenſum odoris eſt fragrantiſſimi: ſaporis eſt reſinoſi, acris, amaricantis, Copali magis oleoſa.

Non eſt Gummi, *ſed* Reſina, inflammabilis nempe in Spiritu Vini rectificatiſſimo, & in oleo ſolubilis, difficultate tamen ſolutionis ſuccino ſimilis, vix enim plus quam ¼ pars ſolvitur in Spiritu Vini.

Uſurpatur ab Americanis in ſuffimigiis contra dolorem capitis, morbos pectoris ac pulmonum, & pro embrocatione in doloribus artuum. Cerati modo, tertia parte Ceræ admiſta, geſtata diutius & ſubinde renovata frigiditatem a quacunque parte corporis elicere dicitur

Uſus equidem præcipuus externus eſt in affectibus capitis & nervorum frigidis, dolorificis, catarrhoſis, flatulentis; & uſurpatur in Emplaſtris, in luxationibus articulorum, affectibus paralyticis, partium nervoſarum læſionibus, & pro his firmandis.

C. *GUMMI ARABICUM.* *Gum Arabic.*

Optimum ex Spina Ægyptiaca, Acaciam ferente, & quidem, teſte *D. Hill*, ſæpe occurrunt fructus & ſpinæ Acaciæ Ægyptiacæ in ciſtis Gummi Arabici, nobis allati; aliarum tamen arborum Gummi ſæpe miſta ſunt; quale ſimpliciter Gummi vocabatur apud Græcos; hæc enim habet *Galenus* „ Gummi eſt „ lachryma congelata concretaque in truncis arborum, ipſum producentium ".

Eſt exſiccatoriæ emplaſticæque potentiæ. Cutis ſpiracula obſtruit, aſperitatibus medetur: medicamentorum, quibus admiſcetur, acrimoniam hebetat: ſic metallinis in medicinis oculorum admiſcendum eſt, ne aſperitatem faciant;

ciant; necnon adstringentibus admiscendum Gummi, quando Ulcus est in gula.

In principus inflammationum arteriæ prodest. Ambustis ex ovo illitum pustulas non patitur erumpere.

Sanguinem rejicientibus prodest: ex aceto infantum lichenas sanat. Prodest & tussi veteri, quatuor obolis in mixto potis. Calculosis prodest, cum passo potum.

NOTÆ. Tenax est, glutinosum, & *Alstonus* contra *Geoffroy* affirmat, quod flammam concipiat & sibi compertum esse, conjectis ℥ij gr. ij in ignem, flammam emisisse per 24 minuta.

Extus liquido effectum suum testatur in conglutinandis vulneribus & ulceribus, cruentatione gingivarum, & hæmorrhagiis partium spongiosarum.

Supputans est quatenus poros obstruens & perspirationem inhibens

Lenit, emollit, anodynum est, convenit in asperitate faucium, catarrhis falsis, & ad mictum cruentum, dysenteriam & hæmoptoën feliciter adhibetur Usûs nobilissimi est ad restaurandum mucum defendentem, abrasum in intestinis, renibus, vesica vel urethra.

C. *GUMMI CERASORUM.*

Communem omnibus viscosis, & mordacitatis expertibus, medicamentis facultatem obtinet, quæ & ad arterias exasperatas accommoda est. Cum vino diluto tussi vetustæ medetur, colorem commendat, visum acuit, ex vino potum calculosis auxilio est. Confer *Gummi Arabicum.*

NOTÆ. Et Persicæ Mali, Amygdalæ & Pruni earundem virium sunt ac G. Arabicum. Lenta sunt sine morsu & communem omnibus viscosis medicamentis facultatem obtinent.

N. *GUMMI ELEMI.*

Est lachryma arboris Americanæ, nempe Prunifera fago similis arbor, Gummi Elemi fundens, figuræ & magnitudine Olivæ ex insula Barbadensi. *Plunk. Almag* 300. *Dale Pharm.* Non liquet autem nostrum Gummi Elemi esse lachrymam Oleæ Æthiopicæ *Dioscoridis*, quippe non mordax.

NOTÆ. Odoris est terebinthinacei fragrantis, sed mitioris, præsertim accensum, vel fere Fœniculi fragrantis cum suavitate graviuscula, saporis subacris, amaricantis. Non est Gummi, sed præcipue Resina, cum sit inflammabile & in oleo solubile, partibus resinosis, maximam ponderis partem conficientibus, intermixtis oleosis quibusdam, & paucissimis gummeis.

Oleum

Oleum & Spiritus acidus ex hoc eadem methodo ac ex Terebinthina eliciuntur.

Extus tantum usurpatur, interne ob insolubilitatem in ventriculo nunquam aut raro exhibetur. Vires obtinet roborantes & resolventes: tumores discutit, emundat ulcera sordida, ac carnem inducit ad cicatricem. In vulneribus capitis, partium nervosarum ac tendinum & contusione partium nervosarum laudatur.

Porro, *D. Browne* affirmat optimum esse balsamum in ulcerationibus internis, & pauca ejus grana deglutita statim Tussim sedare.

C. *GUMMI JUNIPERI* Sandaracha Arabum. Vernice & Vernix. *Gum Sandarach.*

Gummi Juniperi nec *Dioscorides* nec *Galenus* memorat. *Aëtius* suffumigium ejus laudat pro somnifico in vigiliis febrilibus. A Sandaracha Græcorum fossili, rufa & auripigmento simili, quod violentum minerale est, probe discernenda.

Arabes, quos *Serapio* adducit, multas vires huic Gummi tribuere videntur, quales *Dioscorides* & alii veræ Sandarachæ attribuunt: proinde caute adhibenda est fides Arabibus, de hujus viribus differentibus.

Hæc, vero similia, apud *Avicennam* prostant „ Prohibet tremorem cordis „ sicut Carabe; prohibet quoque fluxum sanguinis & asthma humidum per „ suam exsiccationem; luctatores ipsa quoque utuntur, ut leves & fortes „ fiant, & non incurrant difficultatem anhelitus ".

NOTÆ. Dictum revera non est Gummi sed Balsamum inspissatum seu Resina, quippe inflammabile est, in ore non liquescens, & in Spiritu Vini vel Oleo Terebinthinæ pro Vernice solubile. odoris est balsamici, fragrantis dum accenditur, saporis resinosi, vix acris: infusum in aqua mecum amarescebat.

Ulcera profunda & manantia exsiccat & ad cicatricem ducit inspersum. externe & interne ad emundandas ulcerum sordes confert, & in phthisi, hectica, renum exulceratione nulli facile balsamo postferendum, authore *Junkero*, quippe non acre.

Urinam ciet, ut tota Juniperus.

Usus præcipui est in Nervorum affectibus, resolutione, frigiditate, contractura; & in suffitu in affectibus catarrhalibus, ad nervorum artuumque dolores adhibetur, & ubi nimia est humiditas.

In *Miscellaneis Curiosis* Gelatina, seu Gluten Juniperinum, teste experientia rusticorum in Styria, mense Maio præcipue collecta, membris paralyticis applicata, omnem contracturam sanare dicitur.

Haustum mensium profluvium sistit, cruditates ventriculi emendat, diarrhœas antiquas sistit, lumbricos necat.

D. *GUMMI LACCA.* *Gum. Lac.* Jujuba Indica *Rai. Hist.*

Lacca, vel Laccha Græcis recentioribus, nulli Græcorum antiquorum cognita fuit. Nondum definitum est an sit re vera Cancamum *Dioscoridis.* Deest odor Cancami, ad suffumigia usurpati. Arabes tamen de Lacca eadem proferunt, quæ *Dioscorides* de Cancamo: iis proinde non fidendum.

Avicenna Laccam non novit: inquit enim Myrrhæ persimilem esse & odoratam.

NOTÆ. Sic dictum inflammabile est: vel ustum odorem primo gratum, dein fœtidum animalis substantiæ spargit. Saporis est resinosi, amaricantis, subadstringentis.

Mixtum est corpus. Non est Gummi, etsi mandacata sputum colore rubro tingat, ut & aquæ, in qua cocta fuit, addito quolibet Acido, colorem scarlatinum pulchrum exhibens, tincturam dans acidis debilibus, non fortibus. Ope Aluminis cum Spiritu Salis Ammoniaci, vel cum Spiritu Cochleariæ tincturam exhibet rubicundam.

Nec est Resina, quoniam non solvitur Oleo Olivarum, nec illud colore rubro tingit. Non est rubra per se, sed ab insecto, quod eam colligit, ut Apes Ceram. Materia ejus tingens amarans solvitur in aqua & Spiritu Vini, &, animali natura privata, videtur naturæ esse intermediæ inter ceram & resinam.

Eadem fere principia dat, quæ Cera Apum, sed non in Oleo instar Ceræ liquescit.

Gingivas roborat, malignitati humorum resistit: hinc ad mobilitatem dentium confert, & ad corruptelas gingivarum putridas, simplices ac scorbuticas ac ad earum cruentationem in scorbuto.

Usu interno attenuare & aperire dicitur, sudorem ciere, diuretica esse atque in oppilationibus hepatis & lienis valere, in quem usum in hydrope & ictero a plerisque medicis unanimi consensu praescribebantur Trochisci, *Dialacca* dicti.

C. *GUMMI TRAGACANTHÆ* C. B. Gummi Tragacanthæ Creticæ incanæ, flore parvo, lineis purpureis striato. *Tournefort. Gum Dragon from Goat's thorn.*

Lachryma subdulcis similem Gummi vim obtinet, cutis spiracula obstruens, vim emplasticam obtinens, &, quæ acrimoniam hebetat, exasperata lævigans. Hujus

Hujus increbuit usus ad oculorum medicamenta: medicamentis oculorum metallinis admiscetur, necnon adstringentibus, quando Ulcus in gula est. Macerata vino & linctu arteriae asperitates sanat. Ad tussim, vocem interceptam & destillationes cum melle in delinctu & linguæ subdita liquescere finitur. In passo madefacta drachmæ pondere bibitur ad renum dolores & vesicæ erosiones, misto cornu cervi usto & eloto, aut scissi aluminis momento.

NOTÆ. In ore non æque tenax est, ac Gummi Arabicum, sed liquescit & mollis mucilago fit; magis mucilaginosum hoc est quam G. Arabicum & proinde magis incrassans in acrimonia ab humoribus tenuibus & irritatione solidorum.

Gummi Arabici ℈j solvitur in Aquæ ℥j vel ℥ij sine visciditate notabili, sed G. Tragacanthæ ℈j dat consistentiam Syrupi ad ℔j Aquæ. Ardorem linguæ & faucium solatur: ad dysenteriam in clysteribus, ad rubedinem & acres destillationes oculorum, ad palpebrarum scabritiem, & ad fissuras manuum, pedum & papillarum prodest mucilago.

Usu interno in hæmoptoë, mictu sanguinis, diabete, ardore urinæ & stranguria, in tussi inveterata & morbis pectoris ab acredine insignis est, speciatim in phthisi; & hectica febre.

In debilitatibus seminalibus & fluore albo, in vino rubro austero solutum, insigniter profuit.

H.

D. *HÆMATITES* Lapis. *Blood stone.*

Sub diversa specie reperitur, unde antiquis & nostris nominibus diversimode nuncupatur, inquit *Listerus*. Noster lapidi Schisto aut Scissili *Dioscoridis* accedere videtur.

Parum odoris habet, nec saporis nisi subadstringentis. In ignem conjectus scintillas emittit, ut ferrum, sed minus. Pulverisatus crudus vix cedit magneti, sed ustulatus fortiter attrahitur. Cum Acidis non effervescit, sed in naturam stypticam abit.

Destillatus dat phlegma & acidum simile illi, quod ex Vitriolo nascitur. Porro, ex Hæmatite per mixtionem cum Sale Ammoniaco producitur Spiritus volatilis, æque ac ex Sale Tartari cum Sale Ammoniaco, & ex lapide Calaminari, ac limatura Martis. Sal Ammoniacus, cum lapide Hæmatite sublimatus, flores croceos exhibet, Flores Martiales dictos, insigniter deobstruentes & aperientes.

Omnium

Omnium consensu est meracissima Ferri minera, usque adeo ut *D. Hill* testetur, se ℈iix ferri separavisse ex ℥j.

De reliquis ingredientibus non convenit inter authores: quidam volunt tantillum plumbi quoque inesse, quoniam arte chemica lapis similis artificialis colore, natura & usu, ex vitriolo martis & saccharo saturni probe mistis, & per retortam sublimatis, parari soleat. *Cramerus* vero vult, Hæmatiten exiguam quantitatem Arsenici continere, aliter reponendum esse inter mineralia, quorum tota compages nondum est penitus detecta.

In omnibus hæmorrhagiis extus & intus adhibetur: in hæmoptoë, vomitu sanguinis, & mictu cruento datur tenuissime lævigatus, vel ℈ß cum Nuce Moschata.

Oculis, cruore suffusis & lachrymantibus cum lacte muliebri instillatus, convenit. Succus seu aqua e Cotibus cum Hæmatite attritus palpebrarum asperitati, Trachoma dictæ, conducit. Ulcera exsiccat. Alvum adstringit; & in dysenteria notabilem præstat efficaciam.

Locum habet inter aperientia & emmenagoga, easdem fere vires habens, ac Crocus Martis.

C. *HEDERA* arborea C. B. Hedera Antiquis. Edera *Plinii*.

Theophrastus, *Dioscorides* & *Plinius* plures species seu varietates recensent. Apud nos unica duntaxat species habetur, quae videtur esse nigra *Dioscoridis*, *The climbing or berried Ivy*. Has varietates (inquit *Raius*) non separamus, cum Hederæ accidat pro loco in quo oritur, & pro ætate, ut vel repat vel scandat, vel sterilis sit, aut fertilis. Utimur Foliis & Corymbis.

Hedera omnis acris est, calida & adstringens. Nervosum genus tentat, & nigræ hederæ Succus, aut epoti corymbi, corpus infirmant mentemque turbant largius sumpti.

Tenellæ folium per nares ducit & narium graveolentiam emendat. Succus per nares purgat, antiquas aurium fluxiones & ulcera vetera tum aurium tum narium expurgat, atque ad cicatricem perducit. Viridis, foliis ejus in vino decoctis, ulcera grandia conglutinat, & maligna sanat, ulcerationes, ex igne factas, cicatrice inducit, & maculas a sole contractas sanat.

Succus foliorum & corymborum cum irino unguento, melle aut nitro contra veteres capitis dolores utiliter per nares infunditur, necnon capitis dolorem sedant mollia imposita folia cum aceto & rosaceo trita, addito postea rosaceo oleo illinuntur autem fronti, & decocto eorum fovetur os & caput perungitur.

Decoquuntur & contra horrores febrium, & eruptiones pituitæ (exanthemata) aut in vino teruntur.

Pedi-

Pediculus foliorum, melle irrigatus ac vulvæ inditus, menses & partus extrahit.

Corymbi illiti capillum denigrant, & repellunt in cephalæa; movent menses triti & subditi: iidem poti post fœminarum purgationes drachmæ pondere concipiendi spem adimunt.

Hedera urinam ciet potu. Lien & potu & illitu prodest, ac corymbi inter pharmaca potabilia ad splenicos locum habent.

NOTÆ. Folia odoris sunt haud ingrati, saporis amaricantis, austeri & acris in gutture, sed minus quam Baccæ. cocta mucilaginem dant. Recentium infusum in aqua atro-viride fiebat cum Vitriolo Martis.

Ipse sumpsi ʒj pulveris foliorum siccorum, & inde sequebatur purgatio levis, nec sine dolore.

Viridia & leviter contusa rite feliciter adhibentur in fonticulis, loco Emplastri viridis, eorum & vesicantium fluxum adjuvantia, non tantum humorem illuc allicientia, sed & inflammationes prohibentia.

Valent ad tineam, ad pediculos & lendes enecandos.

In *Actis Academiæ Cæsareæ* laudantur folia in paidatrophia in pluribus exemplis, dato pulvere ad 2 vel 3 cuspides cultri, pro ratione ætatis per 9 dies quotidie semel in die mane in jusculo vel infuso Theæ. Eadem, Vino decocta & pota, menses impeditos evocant.

Lignum tornatum forma pisorum adhibetur in fonticulis & setaceis, bene attrahens, nec renovari (scil. putredini non obnoxium) postulat nisi semel in mense, authore *Hildano*.

Baccæ obscure subdulces, amaricantes, mucilaginosæ & acres in gutture sunt per tres quatuorve horas.

Decoctum rubrum erat, sed addendo Vitriolum Martis, fiebat cærulescens.

Emetico-purgantes sunt ad ʒj, sed minore dosi attenuant, diuresin & diaphoresin promovent, & maturarum pulvis vi diaphoretica antipestilentiali laudatur a gravibus authoribus, menses impeditos evocare dicitur aeque ac folia, tusæ autem & sumptæ in Vino baccæ urinam movere & calculum expellere.

D. *HEDERA* terrestris vulgaris C. B. *Ground Ivy.*

An sit Chamæcissus *Dioscoridis* non satis liquet.

Odoris gravis est, inter Mentham & Lamium ambigui, saporis amaricantis & subacris, ast in decocto, diutius protracto, evidenter amari & austeri, quod & atro-viride fiebat addito Vitriolo Martis.

Rubra fortior est quam viridis.

Folia vix rubefaciunt Chartam cæruleam. Infusum enim hanc quoque non rubefacit, nec Syrupum Violarum, sed solutioni Heliotropii dat colorem Vini rubri.

Præcipua activitatis ratio quærenda est in substantia gummosa fixa; unde commode praescribitur in decocto; Extractum enim aquosum, præter debilem odorem balsamicum, saporem primo subdulcem & amaricantem exhibet, postea tam acrem, ut Pimpinellæ radicem nonnihil æmulari videatur, authore *Cartheusero*. Ipse quoque deprehendi, Extractum aquosum insigniter calidum esse, spirituosum vero longe minus calidum.

Dolio indita Cerevisiam clarificat citius quam Lupulus vel fere ulla alia planta, unde nomen *Alehoof* & *Tunhoof*.

Laudatur in Ulceribus mundandis & consolidandis contusa & cum lardo applicata. Ingreditur enemata antidysenterica.

Succus instillatur in Pterygiis: cum melle abigit aphthas, &, naribus attractus, cephalalgiam vehementissimam & inveteratam auferre dicitur.

Valde stimulando, abstergendo, attenuando, leniterque discutiendo ac roborando operatur.

Celebratur non tantum in morbis a frigida & lenta materie ortis, asthmate humorali & tussi pituitosa, sed & tanquam sanativa partium excoriatarum, in erosionibus & exulcerationibus viscerum, pulmonis renumque in phthisi pulmonali præcavenda & curanda, in phthisi hæmoptoïca præ omnibus aliis commendat Syrupum ejus *Mortonus*. In empyemate & pleuritide supporata & male curata valere dicitur, atque ad sputum mictumque cruentum, detergens & consolidans.

Usus est feliciis concisa cum Avena, data in expellendis equorum vermibus.

Dicitur quoque esse Emmenagoga; & in Calculo renum simplex pulvis cum Sacchari dimidio præparatus, & cum Aqua Hederæ, cui Spiritus Vini quarta pars est affusa, exhibitus, eum atterere dicitur supra omnem fidem.

C. *HELENIUM.* Vid. *Enula campana.*

C. *HELLEBORUS.* Vid. *Elleborus*

D. *HEPATICA. Liverwort.* 1. *Hepatica vulgaris* sive Lichen *Raii Hist. Liverwort.* 2. *Hepatica fontana* sive Lichen petræus latifolius C. B. Lichen fontanus major, stellatus æque ac umbellatus & cyathophorus. *Star Liverwort.*

Non liquet alterutrum horum esse Lichenem Veterum. Licheni enim *Dioscorides* vim tribuit inflammationes arcendi; oris & linguæ defluxiones inhibendi;

bendi, *Aëtius* vero, *Paulus* & *Oribaſius* vim exterſoriam & moderate refrigerantem: verum noſtri Lichenis ſupra dicti folia odorata ſunt ac ſaporis amaricantis & aliquantum aromatici, præſertim prima ſpecies, ſecunda dictis qualitatibus tantummodo paulo inferior priori: hinc (bene notante *Dillenio*) patet, quid ſentiendum ſit de vi refrigeratoria.

De ſecunda ſpecie hæc *Caeſalpinus*. „ Folia ſaporis ſunt aliquatenus aromati-„ ci, amaricantis & nonnihil morſicantis: vidi multos ex maligna ſcabie, & „ ulceribus exedentibus ſanatos, decocto in aqua vel ſero lactis, ad libras duas „ ſumpto, nova decoctione ſingulis diebus parata ".

D. *HERMODACTYLUS.* *Hermodactyl.*

Quid ſit apud Veteres non liquet. Quidam Colchicum non venenatum eſſe volunt, quod alii negant.

Colchicum radice alba C. B. proponitur pro Officinali, ex Syria ad nos allatum, ſed ex qua planta neſcimus, nec an ſit Hermodactylus, cujus Arabes primo, dein Græci recentiores meminerunt.

NOTÆ. Inodora eſt Herba ſaporis farinoſi, ſubdulcis, aliquantulum viſcoſi, & diu maſticata ſubnauſeoſa, amaricans & ſubacris.

Non eſt reſinoſa, ſed perfecte farinoſa, & proinde non inflammabilis. Infuſionem Heliotropii minime rubefacit.

Dicitur pinguefacere, pauperibus comeſta toſta, ut Caſtanea. Externe anodynus eſt in Podagra forma cataplaſmatis. Leniter interne datus purgat & ſudorem excitare dicitur.

C. *HIERACIUM* primum. C. B. Eſt Sonchus ſecundum *Raium*, vel Hieracium ſonchites Veterum, nempe Sonchus arboreſcens. *Ger. emac.* Hieracium majus folio Sonchi. C. B. *Tree Sowthiſtle.* *Raii Synops* ſcil. ad Hieracium magnum *Dioſcoridis* quam proxime accedens, congener ſaltem, & virium ut videtur haud abſimilium.

Latinis Accipitrina, ab Accipitre, qui ἱέραξ nomen habet, quia accipitres ſcalpendo eam, ſuccoque oculos tingendo, obſcuritatem diſcutiunt.

Hujus non reperio *Galenum* mentionem feciſſe, nec *Paulum*, ſed *Plinium*, qui ad Lactucam ſylveſtrem refert & cum ea confundit, eaſdem vires huic tribuens, quas *Dioſcorides* Lactucæ ſylveſtri dat.

Vim, authore *Dioſcoride*, habet refrigerantem, modiceque ac leviter adſtringentem, unde, emplaſtri modo impoſitum, ſtomacho æſtuanti inflammationibusque prodeſt.

Succus erosionem stomachi sorbitione mitigat. Herba, cum radice illita, ictis a Scorpione auxiliatur.

NOTÆ. Easdem fere facultates sortitum est quas Endivia (quam vide). Sapor amarus acrisque esse dicitur cum caulescit, mihi evidenter falsus.

Diureticum est, & Succus emendat Urinæ difficultates, majore autem dosi purgat, sanatque morbos hypochondriacos. Radix præcipue usurpatur, succo lacteo amaro plena.

D. *HIPPOSELINUM Theophrasti.* Smyrnium *Dioscoridis* C. B. *Alexanders.*

Folia odoris sunt gravis, aromatici, saporis amariusculi, subacris, aliquantum calidi, amarore in decocto & in aqua destillata magis manifesto, & calore in succo.

Odore, sapore & viribus similia Petroselino.

Urinam cient, stranguriæ succurrunt.

Succus non mutabatur affusis liquoribus alcalinis, sed coagulabatur a Spiritu Vitrioli & Oleo Sulphuris. Cocta comesta ut Brassica, odorem Violæ dat Urinæ, ut Terebinthina.

Folia tenella, caulis & radix concisa veniunt in cibum, cruda & cocta in jusculis & intinctibus ad sanguinem depurandum verno tempore.

Aqua destillata odorem & saporem plantæ mecum per duos annos retinuit.

Semen odoris est fortis aromatici, resinacei, baccas Juniperi forte redolens, saporis amariusculi, subacris, aliquantum calidi.

Sole conspectum foramina exhibet, liquore claro balsamico repleta.

Carminativum est, diureticum, emmenagogum, Vino decoctum & bibitum.

C. *HORDEUM.* Ptisana, seu Hordeum cortice exutum. Ptisanæ cremor aut sorbitio vel Ptisanæ jus aut succus. Hordeum distichum C. B. *Barley.*

Datur & nobiscum polystichum: apud Veteres unicum est, ex quorum effatis de ejus viribus hæc præcipua sunt.

Propter humiditatem omni fere qualitate caret, postea maturatum dulcescit. Non calefacit ut triticum, sed quovis modo utare, sive panes ex ipso feceris, sive ptisanam coxeris, sive polentam feceris, vim quandam refrigerandi habet; aliquid detergentis & flatuosi: at flatuosum halitum coquendo deponit.

Optimum est nec nimis recens, nec nimis vetustum, & quod inter coquendum tumet. Recens excrementitia plenum est humiditate.

Lentor ejus levis est & lubricus, sitim arcet, caliditates mitigat, tusses concoquit, omnia emollit.

Fari-

Farina moderatissime deterget, cutis universæ ac ulcerum sordes extergendo auferens, non tamen meatus farctu liberat.

Quum farina triticea maxime ad suppurationem valeat, hordeacea plurimum resolvit & suppurationem prohibet, halitus diffari permittens, exsiccans.

Ptisana contra arteriæ asperitates exulcerationesque pollet. *Succus decocti* in aqua cœlesti digeritur in pastillos, ut infundatur exulceratis interaneis & vulvis.

Lac abunde suppeditat, si, cum fœniculi semine decocta, sorbeatur. Minus quam triticum alit: ptisana tamen ob cremorem, in decoctione redditum, plus alimenti præbet quam polenta, ex hordeo facta. In cibo fabis præstat, quod flatuosam naturam exuat, sed fabas, quantumcunque coxeris, flatuosa natura remanet, sunt enim crassioris essentiæ & plus alunt.

Authore *Plinio*, vetustiore ævo gladiatorum quoddam genus Hordearii appellabantur, quod hordeo pro cibo uterentur. Teste *Galeno*, Veteres militibus polentam dabant, Romani tamen milites, ejus imbecillitatem damnantes, eo non amplius utuntur; exiguum enim corpori alimentum dat, privatis quidem, & omni exercitatione abstinentibus, satis multum; iis autem, qui quoquo modo exercentur, minus quam par est. *Asinis & Equis* cibus familiaris. In Africa aliisque regionibus ferunt, adhuc in usu esse panem ex hordeo, parum nutrientem, corpus frigefacientem.

Panis ex hordeo laxo ac levi partibus furfuraceis respondet, & per alvum citissime subducitur, atque excrementa inde fieri, facile solubilia, notat *Galenus*.

Eos, qui pane hordeaceo utuntur, morbo pedum tentari quidam negant, authore *Plinio*.

Hordeum ustum, si per se inspergatur, chironia ulcera juvat: ambustis illinitur, & carnibus, quæ recedunt ab ossibus, eruptionibus pituitæ (exanthematibus) & Muris aranei morsibus.

Exterior cortex, qui furfuraceus est, siccior existit & fortius abstergit; quæ vero intus pars est, veluti caro, & quæ nutritioni accommoda, abstergit quidem & ipsa, sed furfure minus, habet autem se ipsa unde flatum possit excitare. Cæterum altera membrana, quæ tenuis est, sub furfure quidem posita, ipsum vero hordeum complectens, ut situm, ita etiam vires habet inter hæc media, ideo abstergit, furfure quidem minus, hordeo autem magis.

Ratio Ptisanæ optimæ conficiendæ ex *Galeno* hæc est.

Hordeum adhuc crudum oportet primum in aqua macerare, deinde manibus ipsum conterere, donec tenuis ejus membrana excutiatur, postea validius rursum manibus confricare, quousque totum id, quod paleaceum est, auferatur,

 nisi

nisi quis ptisanam voluerit magis abstergentem efficere, tum enim melius est hordeum cum ipsa membrana coquere.

Porro, ipsa coctio hunc in modum fieri debet ut primum quidem multum ebulliat, postea vero molli igne quousque in cremorem vertatur. Hac ratione decocta totum id, quod inerat, flatulentum amittit, febribus ardentibus accommodatissima & recte omnibus edulus præfertur in morbis acutis.

E recentioribus Græcis quidam præcipit hordeum coquendum esse donec crepet, & deinde abjiciendam esse tenuissimam aquam.

NOTÆ. Gallicum & Perlatum inodorum est, saporis farinacei, subdulcis, aliquantulum viscosi, non sine sensu acrimoniæ in gutture, & hinc prima decoctio in conficiendo Cremore Ptisanæ rejicitur, utpote nimis acris. Sub coctione hordei blanda quædam temperans & aliquantulum nutriens mucilago & quasi gelatina elicitur.

Liquor Cerevisiæ incoctus, *Wort* dictus, longe dulcior est ex Hordeo disticho quam ex Hordeo polysticho.

Panes hordeacei triticeis longe friabiliores sunt, nihil in se lentoris habentes.

∴ Hordeum inter fermentandum magnam quantitatem aëris generabat.

∴ Calculi fragmentum, decocto Hordei perlati infusum, partim solvebatur.

Farina ingreditur cataplasmata emollientia & resolventia, quin & recepta est in cataplasmatis ad tumores suppurandos; & in erysipelate.

∴ Si polenta decoquatur in aceto, idque percolatur per linteum & aliquamdiu in ore teneatur, sæpe id intolerabiles dolores dentium tollit; & Cataplasma ex ea cum butyro contra omnes dolores anodynum est.

In Experimentis nuper institutis deprehensum est infusum Brasii, Anglice *Malt* dicti, fermentationem vegetabilium cum carne promovere, & Vaporem inde assurgentem Carni putridæ dulcedinem restituere, unde haud temere commendatur in Scorbuto Nautarum aliisque morbis putridis curandis, utpote summum Antisepticum, & Vegetabilium recentium Succedaneum (*c*).

D. *HORMINUM* Sclarea dictum C. B. Sclarea *Matthioli. Common Garden Clary. Raii Hist. Plant.*

Folia odoris sunt gravis, fere instar Lupuli, aromatici, & qui capitis dolorem affert, saporis amaricantis & aliquantum calidi, subadstringentis.

Succus

(*c*) *Macbride Experimental Essays.*

Succus solutionem Heliotropii rubefacit, sed chartam cæruleam parum mutat. A solutione Salis Martis atro viridescens fiebat. Huic non male convenit Observatio de viribus ejus traumaticis, sc. in vulneribus consolidandis, folio extus admoto.

Aliculi pro Lupulo substituitur: ebrietatem facit, & vinum, cui herba imposita est, Moscatelinum mentitur, facile decipiens incautos.

Externo usu discutit & anodynum est, unde pro Anodyno usurpatur in Coliels spasmodicis; & Unguentum exinde ac ex Butyro recenti probe affrictum, dolores post partum egregie mitigat.

Præter partes tenues, habet & crassas, quibus abstergit.

Folia tenera esitantur cum ovo & butyro frixa.

Pulverisatum, naribus inditum, sternutamenta provocat, catarrhum tollit & cerebrum purgat.

Venerem stimulat. Emmenagogum est & decoctum contra affectus uterinos & passiones hystericas dicitur præsentaneum esse remedium, atque in colica convulsiva & fluore albo vix haberi par.

In vino decoctum & potum frigidis, infœcundis, & mensibus albis laborantibus subvenit.

Florum Odor eximius est & cum gravitate quadam jucundus, fortior quam foliorum, qui Odor inter destillandum perit. Glutinosi sunt & amaricantes, evidentius acres quam folia, & aliquantum candi

Seminis granum, si quid extranei oculis illapsum sit, imponitur, qua lympha oculi prolicit è semine, hoc tumefacto, mucilaginem, qua id quod in oculos illapsum sit, obvolvitur & dein ejicitur.

C. *HYACINTHUS* Anglicus. *Ger. English Hyacinth or Harebells.*

Hyacinthi duplicis meminere Veteres, cujus alter poëticus, alter medicus: de ultimo solo in præsens, quem *Plinius* confudit cum poëtico, qui Iridis species est, de qua vide *Spatulam fœtidam.*

Apud nos multæ species sunt; *Dioscorides* tanquam unicam describit, sed adeo breviter, ut non ausim affirmare, nostrum supra nominatum idem esse. Bulbus enim Veterum (cujus folia habere dicitur) nobis ignoratur, cæteræ notæ quadrant, nisi quod nostri floris color cæruleus sit: hinc merito ambigitur, an sit Hyacinthus comosus, major, purpureus, Hyacinthus *Dioscoridis* C. B. an Hyacinthus Anglicus, qui tamen videtur congener; proinde vires, a Veteribus suo Hyacintho tributas, huc transferre visum est, nempe,

Radix bulbacea est, mangonius venalitius pulchre nota, pueris scil. cum vino albo illita creditur, authore *Dioscoride*, pubertatem coercere, & non pati erum-

erumpere (*d*). Sistit alvum pota & urinam impellit: phalangiorum morsibus auxiliatur.

Semen (*e*) adstringentius est (apud *Galenum* fructus leviter extergit & adstringit) adeoque cœliacis auxiliatur, theriacisque expetitur, regium morbum emendat cum vino potum.

NOTÆ. Tota planta repleta est succo viscoso.

Radix admodum mucilaginosa, tenax, subdulcis: succus ejus glutinosus glutinis loco inservit, & Amylum bonum exhibet.

Foliorum odor, ut Sambuci; Florum, ut Lilii, gratus.

Florum infusum, in aqua viride, fit fuscum, addendo Vitriolum Martis.

D. *HYDROLAPATHUM.* Vid. *Lapathum.*

C. *HYOSCYAMUS.* Herba Apollinaris. Hyoscyamus albus major, vel tertius *Dioscoridis*, & quartus *Plinii*. C. B. *White Henbane.*

Hoc ut mitissimum medici recepêre: niger, ut deterrimus, improbatur.

Non dubitandum, quin Hyoscyamus noster congener sit Hyoscyamo Veterum, similes pariens effectus, soporem, vertigines, insaniam, & majori dosi mortem, ὑοσκύαμος i. e. faba suilla vel porcina dicta, quod apri ejus pastu resolvantur, & convellantur præsenti mortis periculo, nisi aqua copiosa statim se foris & intus polluerent, ut *Ælianus* prodit. nobis *Henbane*, quoniam semen, pullis gallinaceis copiose sumptum, lethale: & quidem omnes ejus partes venenosæ sunt, tam hominibus quam brutis.

Odore alienus est succus Hyoscyami, planeque pugnantiam cum homine indicat, licet succi exigua portio sumpta, authore *Galeno*, magnam afferat commoditatem (*f*).

Ex Creta Romam apportabatur, & quatenus anodynum Succo Mandragoræ miscebatur, cui quoque jungitur apud *Hippocratem*.

Recente semine, caulibus foliisque tusis, succus exprimitur, &, in sole exsicca-

(*d*) *Mangonici* venditores erant negotiatores Mancipiorum, qui pueros puellasque, quo facilius vendi possent, artificio quodam componere atque horum ætatem tegere, pubertate coercita, solebant, ut vendibiliores essent. *Harduin. Not. in Plinium.*

(*e*) Capsulæ seminales nostræ mucilaginosæ sunt, ut radix; Semen vero non est adstringens, verum sensum acrimoniæ imprimit faucibus.

(*f*) Quemadmodum de Cicuta aliisque venenis ex observationibus Recentiorum patuit.

ficcato humore, usus ad annum usque prorogatur, collyriis, quæ doloris sensum auferant, inferi solitus: hæc femina contra acres calidasque fluxiones, dolorés aurium atque vulvæ mala profunt: cum farina item aut polenta oculorum, pedum cæterarumque partium inflammationes placant.

Semen eadem præstat, prætereaque tussi, destillationibus, oculorum fluxioné & doloribus efficax: contra mensium abundantiam & erumpentem aliunde sanguinem oboli pondere, cum papaveris semine & aqua mulsa, bibitur: podagris subvenit: testibus inflatis mammisque tumentibus a partu, tritum ex vino, illinitur. Aliis quoque cataplasmatis, quae doloris levamentum præstant, admisceri solet.

Folia omnibus medicamentis dolorem sedantibus per se & ex polenta utilissime imponuntur. Recentia ad mitigandos omnis generis dolores oblinuntur. Cum vino terna quaternave sanant algidas febres, quas Epialos vocant; &, si plura, quam quatuor bibantur, mentem corrumpi author est *Plinius*. Cocta olerum modo folia, si acetabuli mensura mandantur, mediocrem insaniam gignunt: idem efficere tradunt si, colo intestino ulcus sentiente, clystere infundantur.

Radice, in aceto decocta, dentes in dolore colluuntur.

Notandum vero, quod Oculis mire obsint medicamenta, quæ ex Opio, Mandragora, Hyoscyamo, cicuta similibusque fiunt, utpote quæ nulla re alia sublati adpræsentis doloris speciem præstant, quam quod ipsum sensum enecant: & multi ab ejusmodi medicamentorum usu, cum liberalius fuissent admota, nunquam postea naturalem statum recuperant, sed ex his principio quidem obscure atque ægre vidisse, tempore vero suffusione, vel pupillæ nimia dilatatione, aut tabe vel corrugatione occupati fuere.

NOTÆ. Foliorum Odor validus, sed minus quam nigri.

Semen mitius & tutius est quam nigri, recens tamen odoris satis gravis, saporis pinguis, subnauseosi, subamari, & in gutture subacris.

In odontalgia suscipitur ejus fumus per infundibulum. Contra haemoptoën, ut alia anodyna, antiquissimum est remedium, & a *Platero* aliisque celebratum cum Conserva rosarum vel violarum, caute tamen exhibendum. Nam vel fumus accensi Seminis, vel Vapor decocti in fomentatione, vel semimanipulus herbæ in lacte, pro enemate decoctus, Deliria enormia peperit. Pilulæ tamen e semine egregii usus sunt in moderata dosi, quatenus anodynæ, spasmos refrænando & impulsu ad peripheriam promoto, unde mador blandus & doloris pacatio. Vide *Miscellanea Curiosa*.

Hyoscyaminum Oleum prostat apud *Dioscoridem*, ad tollendos omnis generis dolores, ubi cætera præsidia non juverint, efficacissimum, præsertim in inflammationibus pudendorum utriusque sexus, item in acutissimis aurium doloribus cum castoreo vel croco instillatum, & dentium dolores mirifice mulcet, si tepidum in ore teneatur. *Matthiolus* ejus præparationem, diversam ab ea *Dioscoridis*, sic tradit: „ Sumito novum siccumque Hyoscyami semen, „ tundito ponitoque in stanneo vel vitreo vase, ardenti aquæ, quæ ex Vino „ fit, parumper prius affusum. His factis, ponito in calentis aquæ balneo „ nocte dieque. Demum adhuc fervens sacculis imponito & prælo subjecto, „ sicque Oleum habeto ".

HYOSCYAMUS niger vel vulgaris C. B. *Common Henbane.*

Folia prope nares fœtida, sed aliquantulum distantia moschum redolent, parum viscosa, amaricantia, subacria in gutture. Succus, decoctum & infusum nauseosa & amaricantia in gutture.

Folia magis rubefaciunt Chartam cæruleam quam Radix, succus tamen non mutabatur à Syrupo Violarum; porro, coagulabatur ab acidis, sed potius clarior fiebat a liquoribus alcalinis, argumento congruitatis majoris cum alcalinis, quam cum Acidis.

Vi narcotica ipsi Opio non cedunt: emolliunt, anodyna sunt, resolvunt.

Sub cinere cocta, hæmorrhoidibus admota, contra dolores excellentissima sunt, necnon ad arthritidis dolores.

Ex herba comesta visûs & intellectûs abolitio, syncope, sopor, motus convulsivi, dolores ventris, fluxus dysentericus insequuti sunt. Ipse novi ab admotis foliis Ulceri largo delirium supervenisse.

Radicis odor minus fœtidus est quam folii; sapor subdulcis, fere instar cinaræ, acris in gutture, tum in substantia, tum in decocto.

Aliquantulum rubefacit Chartam cæruleam, sed minus quam folium.

Hæc Radix est vehementer narcotica: in quacunque odontalgia, gingivis affricta, vel cavis dentium inserta, certissimum est remedium.

Loco Pastinacæ per errorem comestam sequebantur aphonia, abolitio sensuum & convulsiones.

Semen minus narcoticum, quam folia & radix, magis vero quam semen albi; proinde perperam, nec sine periculo, venditur pro semine albi.

C. HY-

C. *HYPERICUM* vulgare C. B. *St. John's wort.* Vide *Androsæmum.*

Quatuor sunt herbæ apud *Dioscoridem*, quæ Androsæma vel Hyperica appelantur. Hypericon, Ascyron, Ruta sylvestris, Hyperico similis, & propriè appellatum Androsæmum.

Deest equidem Hyperico nostro similitudo foliorum foliis Rutæ, quam Hyperico suo tribuit *Dioscorides*; aliter satis conveniunt, & quum quatuor herbæ supra dictæ congeneres sint, atque earundem fere virium, haud temerarium mihi visum est, vires, Hyperico suo a Veteribus tributas, hic apposuisse: scil.

Planta hujus nominis ab *Hippocratis* tempore ad hunc usque diem celebris erat: a Creta in Italiam afferebatur, &, notante *Galeno*, si veris constitutio sicca obvenerit, quod in Italia nascebatur par erat Cretâ allato: forte eorum Hypericum, cælo calidiore, caloris vel acrimoniæ plus quam nostrum particeps erat; inquit enim *Galenus* quod calfaciat & desiccet, essentia tenuium partium, adeo ut menses & urinas provocet.

Semen resinosi est odoris: spissat, alvum sistit: bibitur in quartanis & horroribus, authore *Plinio*, in tertianis quartanisque cum vino potum, authore *Dioscoride*, & quadraginta diebus haustum, ischiadicis medetur. Confer *Androsæmum.*

Fructus, cum Foliis illitus, viridis ad cicatricem ducit tum alia, tum ambusta. Cæterum, si sicca contusa inspergas, sanabis & mollia nimis humidaque putredinosa ulcerum.

In sputo albo, cruento, & febre, postquam dolor sedatus fuerit, Hypericum cum Salvia & irione (forte Rapistro nostro) ac polenta in vinum temperatum conjecta, jejuno bibenda præcipit *Hippocrates*, & in vino aquoso in mensibus albis laudat.

NOTÆ. Folia & Flores odoris sunt balsamici, grati, saporis valde adstringentis, amaricantis & subacris. Foliorum sapor mitior est quam florum.

Infusum & decoctum viride fit, addito Vitriolo Martis.

Succus aliquantum viscosus, ruber fere ut vinum Claretum, valde austerus & subacidus: albumen ovi coagulat; rubrum colorem perdit, spissescit & præcipitatum viridescens exhibet cum liquoribus alcalinis, contra rubrior & clarior fit cum acidis.

Summitates floriferæ dant tincturam saturatam rubro-flavescentem Spiritui Vini rectificato, & pallidius rubram quam Oleis expressis, ob succum balsamicum in vesiculis. Hoc raro fit ab aliis vegetabilibus, dempta Anchusa.

Usus primarius est chirurgicus in Vulneribus mundandis & consolidandis. Oleum, infusione & insolatione diuturna paratum, mirifice vulnera recentia sanat: in specie vulneribus partium nervosarum dicatur; item in contusionibus & ulceribus, praecipue partium nervosarum, & in fotibus discutientibus usurpatur. Herba cum semine ambustis medetur.

Mixtura sequens dicitur esse valde resolutiva in sciatica & rheumatismo affricta: ℞ Olei Hyperici ℥ij, Spiritus Vini ℥j. Misce.

Extus & intus usurpatur in hæmorrhagia, intus in ulcerationibus internis, sputo sanguinis & mictu cruento. Præstantissimum esse dicitur infusum florum in Spiritu Vini, ad lumbricos expellendos.

Urinam & menses ciet, dicitur & utilis fuisse hypochondriacis. Decoctum vermes necat.

Semina, seu Capsulæ seminales quoque confricta odoris & gustus resinacei sunt, & saporis austeri, amaricantis, subacris in gutture, aliquantum mucilaginosa, eorumque infusum fit atro-viride addita solutione Vitrioli Martis.

Pulvis a ʒß ad ʒj multum valet in hæmorrhagia.

D. *HYPOCISTIDIS* Succus. Succus inspissatus Hypocistidis sub Cisto C. B.

Vires secundum *Dioscoridem* habet, aliquanto magis siccantes & adstringentes, quam Acacia; *Galenus* autem vult, Acaciam vehementiorem habere adstringendi vim; Hypocistidis succum equidem acerbum esse, sed tantum in principio tertii ordinis; nullum enim ait inveniri, quod quarto ordine desiccet & non simul urat: quatenus mediocriter adstringens lippitudinibus commodissimum esse, & contra asperitates palpebrarum, ac pro gargarismis, genitalium nomas cohibere, & internis ulceribus opitulari, nec ullam visceribus noxam inferre judicat.

Corroborat partes & a plurima humiditate exsolutis firmitatem addit, quatenus stomachicis & hepaticis conducit: firmat enim & roborat, si sat magna copia epithematis aut antidotis admixtus sit.

Admodum efficax remedium ad omnes fluxionum affectus, puta profluvia muliebria, potus aut Clystere inditus: prodest dysentericis & cœliacis, atque potu tribus obolis cum amylo sanguinis excreationes emendat. Confert omnibus affectibus cum ulcerum tum pustularum.

NOTÆ. Saporis est austeri, acidi, vim habens adstringendi potentissimam, magis adstringens, quam Acacia: infusum ejus in aqua nigerrimum fiebat, addita solutione Vitrioli Martis & differt ab Acacia, quod fere tota solu-

solubilis sit in Spiritu Vini rectificato, quum Acacia fere nihil det huic menstruo.

C. *HYSSOPUS.* Hyssopus offic. cærulea, sive spicata C. B. *Hyssop.* An montana *Mesuæi?*

Nam descriptioni *Mesuæi* convenit, quod folium habeat thymi. Non equidem certa fuit aut fixa in una aliqua planta Hyssopi appellatio penes Hebræos & Græcos. Nostra non convenit Hyssopo *Dioscoridis*, nec Hebræorum, qui ultimus arbor fuit. Vid. I. Regum IV. 33.

Nec *Avicennæ* adhibenda fides, qui vires Hyssopo tribuit easdem, quas *Dioscorides* & *Galenus* Hyssopo suo tribuunt.

„ Est calidus, siccus ordine secundo, vel potius tertio. Tenuat, tergit, „ digerit, flatus dissipat: coctionem juvat & cutis colorem floridum efficit. „ Pituitam crassam & putrem purgat, sed minus quam Thymus. Thoracem „ & pulmones a pituita & humoribus aliis putribus & pure expurgat, tenuando, incidendo, tergendoque sputum facile reddit: ob inde asthmati, tussi è „ materiis dictis est salubre, & Epilepsiæ pituitosæ cæterisque cerebri affe„ ctibus pituitosis ".

Phlegma & vermes è corpore educit, authore *Averrois*.

NOTÆ. Odorem balsamico-camphoratum spirat, vel gravem aromaticum; saporis est subacris, aliquantum calidi, amaricantis. Optime exhibetur forma infusi vel decocti levis, nam protractam ebullitionem non fert

Aqua destillata, Oleo essentiali abundans, ad eadem prodest quæ herba.

Aqua & Spiritus Vini rectificatus vires extrahit, sed Spiritus Vini plus quam Aqua.

Succus coagulatur tum ab alcalinis liquoribus, tum ab acidis.

Infusum crocei coloris a solutione Vitrioli Anglicani mutabatur in colorem fuscum cum gryseo-atro sedimento.

Pistores & Cerevisiarii coquunt in aqua ad præcavendam viscositatem in cerevisia & pane.

Externe adhibetur ad sugillationes oculorum, vel ad sanguinem, sub cornea collectum, quando summitates, nodulo inclusæ, immersæ aquæ fervidæ vel vino calido, instar fomenti calidi impositæ, usu continuato sanguinem grumosum dissolvunt; & sic livores a contusionibus tolluntur a decocto.

Scabies dicitur curari a frequenti lotione cum decocto.

In affectibus frigidis pectoris ab inculcata pituita sine febre, in tussi diuturna a colluvie serosa, in orthopnœa & catarrhus prodest.

Syrupus evidenter expectorat.

 Ante-

Attenuans est & diaphoretica. Menses & urinam ciet.

In Cardialgia flatulenta, & ubi ventriculus muco ex pituita vitrea est obsitus, infusum vinosum frequentis est usûs.

I.

N. *JACOBÆA* vulg. laciniata C. B. *Common Ragwort.*

Folia & Flores odoris sunt gravis, saporis subadstringentis, amaricantis, & aliquantum acris in gutture, & infusum tum foliorum, tum florum viride fiebat addendo Vitriolum Martis; atque in experimento subsequente infusum foliorum flavum eximie coeruleæ fusca fiebat, quæ folia chartam cæruleam aliquatenus in rubrum mutabant.

Ad anginas adhibetur pro gargarismate, præcipue in Angina aquosa, & in tumoribus frigidis, œdematosis, discutiens & forte subadstringens, nec non adversus tormina in dysenteria forma cataplasmatis feliciter applicata fuit.

Vulneribus quoque & fistulis mederi perhibetur; & celeberrimi Botanographi ad ulcera inveterata & sordida unanimiter commendant. Unguentum quoque, e Succo paratum, in Erysipelate prodesse dicitur.

Emetica & Cathartica esse fertur ut huic affinis planta, Erigerum. Confer vires *Erigeri.*

Succus e Vino ad Icterum quam maxime valere dicitur.

N. *JALAPII* radix, *Jalap.* Convolvulus radice rapacea.

Ex nova Hispania circum initium Centuriæ ultimæ allata.

Insipida est nisi quod acris fit in gutture, acrimoniæ sensu aliquot horas durante. Candelæ admota flammam concipit. Discissa recens succum lacteum exhibet, qui, siccatus, fit Resina nigra. Pulvis, inter terendum naribus exceptus, instar aliorum fortium purgantium sternutationem excitat.

In ℥j dicitur adesse principii Gummosi ℥ß, Resinosi ℈ij. Pars gummosa parum movet alvum, sed diuretica est, resinosa fortem catharsin movet, multis torminibus stipatam; hinc optime sine ulla præparatione exhibetur in pulvere; optimum vero menstruum est Spiritus Vini tenuis, partes tum salinas tum resinosas extrahens.

Pulvis solutione Heliotropii leviter rubra fit, indicans aliquid aciditatis adesse, sed multo minus quam in Colocynthide ac Scammonio.

Solvitur in Aqua Calcis, quæ fortem hinc extrahit tincturam, Tincturam Spirituosæ præferendam, quoniam nulla fit separatio addito vehiculo aqueo.

Apud destillatores magni usus est substantiis fermentabilibus, saccharo vel *Melas-*

Molasses mixta, fermentationem insigniter auget, majorem copiam Spirituum eliciens. An in nostris quoque intestinis fermentat? Notat *Alstonus*, se observasse Fæces alvinas ab ejus usu spumosas fuisse.

In corporibus pituitosis vix purgat, sed in biliosis largissime. Infantibus tuto usurpatur, datis granis ij recens nato, annicuio a ʒj ad ʒij et sic porro, aucta dosi pro ratione ætatis.

Crebro usurpata dissolvit sanguinem in aquam & hanc evacuat per intestina.

D. *JASMINUM* vulgatius flore albo C. B. *White Jasmine or Jessamy*.

Nulla descriptio Jasmini invenitur apud *Dioscoridem*, nec constat, ejus Oleum Jasminum è floribus Jasmini nostri confectum fuisse.

NOTÆ. Odoris sunt Jasmini Flores fragrantis, gratissimi, saporis amaricantis & acris, qui in ore nucleum fructus Mali Persicæ redolet. Odor servari nequit destillando, sed infundendo sine igne Oleo, *de Ben* dicto, vel Axungiæ porcinæ, ut fit apud unguentarios.

Odor biliosis & quibus temperatura calidior, dolorem excitat capitis, & periculum adfert profluvii sanguinis è naribus, si diutius odoretur.

Porriginem tollit & maculas rubras. Oleum, ex floribus confectum, similes vires habet, strumas & tumores frigidos discutit, catarrhosis hyberno tempore utile est, & ad contractos induratosque artus, articulos, tendines nervosque calefaciens, emolliens & aperiens.

C. *IBERIS* Nasturtii folio C. B. Iberis cardamantica. *Ger.* *Sciatica Cresses*.

Radices calfaciendi & adurendi vi præditæ sunt. Ischiadicis utiles, si cum axungia suilla salsa, emplastri modo, quaternis horis impositæ fuerint; deinde vero in balneum descendatur, ac postea oleo ac vino cum lana locus affectus perungatur.

NOTÆ. Recte apud Veteres radix præcipue in usum trahebatur, quippe recens valde acris instar Raphani rusticani, dum folia tantum leviter acria.

Acrimonia exsiccando partim dissipatur. Extrahitur Aquâ & Spiritu Vini rectificato.

Iberis similis est Nasturtio odore, gustu & viribus.

C. *ICHTHYO-*

C. *ICHTHYOCOLLA.* Piscium Gluten. *Ising glass.*

Utilis est (authore *Dioscoride*) emplastris capitis (*h*), lepraruмque medicamentis, & iis, quæ ad nitorem splendoremque cutis conficiuntur, vel quæ faciei cutem erugant atque extendunt. Epinyctidas tollit.

Plinius fusius & clarius de hac re sic. „ Ichthyocolla erugat cutem extenditque, in aqua decocta horis quatuor, dein contusa & subacta ad liquorem „ usque mellis. Ita præparata in vase novo conditur, & in usu quatuor „ drachmis ejus binæ sulphuris & anchusæ totidem, octo spumæ argenteæ „ adduntur, aspersaque aqua teruntur una. Sic illita facies post quatuor ho„ ris abluitur ".

NOTÆ. Inodora est & insipida, nisi glutinosa, & adhibetur ad gelanda jura. Solvitur integre in aqua, non in Spiritu Vini rectificato, sed in *Proof Spirit* dicto ob phlegma solvitur.

In herniis & vulneribus extus insigniter conglutinat: & in emplastris consolidantibus usurpatur.

Clysteres ingreditur in dysenteriis, ad mitigandam doloris acerbitatem.

Maxime incrassat, conglutinat, & acredines quascunque temperat, illas involvendo, unde interne in catarrhis salsis, inflammatione faucium, tussi, hæmoptoe & urinæ ardore usurpatur: in jusculis & gelatinis roborat; sed ubi metus Putredinis caute exhibendum, quum sit gluten animale.

N. *IMPERATORIA* major C. B. *Masterwort.*

Plures hoc nomine herbæ apud varias gentes circumferuntur.]

NOTÆ. Radix præfertur, plus acrimoniæ habens quam herba & caulis, quippe odoris est aromatici, aliquantum fortis, saporis calidi, acris, subamari. Folliculis, balsamo flavo turgidis, abundat. Infusa Aquæ vel Spiritui Vini rectificato utramque imbuit odore fragrante, aquam debiliter, Spiritum Vini valide cum acrimonia, calore & sapore amaricante.

Radix & Semen non mediocrem Olei essentialis quantitatem destillatione fundit; & Aqua destillata easdem facultates habet, sed gratior usu quam radix & semen.

Radi-

(*h*) Considerandum videtur, an *Dioscorides* non potius ea intelligat emplastra, quæ peculiariter calvariæ fracturis dicata sunt, quam quæ capitis doloribus accommodantur.

Radicis ℔j fere ℥viij substantiae gummosæ, & ℥iij resinosæ reddit; verum infusum spirituosum longe acrius est, quam aquosum; proinde virtutes hujus radicis principiis spirituoso-oleoso-resinosis adscribendæ, etsi longe minore quantitate quam gummosæ inhæreant.

Commansa oris fœtorem corrigit, & a peste obinde præservare dicitur. Præstantissimum est remedium Apophlegmatismum in odontalgia, gargarismo; aut, radicis frustulo denti dolenti imposito, & in ore detento, copiose pituitam eliciens, & extrinsecus in unguentis, fomentis, cataplasmatibus adhibita, tumores frigidos contusionesque, ubi non metuitur inflammatio, discutit. Usurpatur quoque in Scabie exsiccanda lotione, & in serpigine inveterata sananda cum adipe suilla illita.

In tympanitide, doloribus colicis & flatuosis divinum est remedium ultra Angelicam & Zedoariam, flatus dissipans. Pulverisata specifica esse dicitur in cruditatibus acidis Ventriculi.

Sudores præcipue movet, ut alia aromata; & in Gallia, ante detectionem Quinquinæ, febrifuga existimabatur, semicochleari radicum propinato hora una ante paroxysmum ac identidem repetito, & quidem contra febres intermittentes quascunque per sudorem curandas, etiam in quartana valere afferunt *Brasavolus* & *Etmullerus*.

Est quoque diuretica, & decoctum ejus leve bonos præstitit effectus in retentione urinæ. In hydrope summopere laudatur ad aquas expellendas, si ejus ℥j, cum aqua & melle cocta, bibatur. Porro, si ad ℥ß vel ℥j exhibeatur, purgat.

Menses movet, &, ad eruendos partus facilesque reddendos, experta esse dicitur.

Valet in paralysi, & omnibus nervorum affectibus frigidis, herba vel radice in vino decocta, in malo hypochondriaco; in asthmaticis, ad tussim humidam & frigidam, decocto in Vino sumpto mane & vesperi; in morbis ab inertia fluidorum & viscididate phlegmatica fluidorum; & ad omnes morbos, ad quos Angelica valet, nisi quod potentior sit.

N. *IPECACOANHA.*

Ante paucos annos ex America, & speciatim Brasilia ad nos deportata est, ante annum 1700 parum usurpata.

NOTÆ. Masticanti cortex (in quo vis præcipue hæret) amaricans est, subacris, subadstringens, aliquantum mucilaginosus & nauseosus. Infusa in aqua radix per sesquidiem nauseosa erat & subadstringens, viridisque fiebat, addito Vitriolo Martis, & in altero experimento non nigrum, sed magis fuscum evasit Infusum addendo Vitriolum Martis.

In aqua cocta mucilaginosum quid exhibet. Vino Canarino infusa & colata relinquit notabilem quantitatem mucilaginis, quando acrimonia ejus in guttare insignis est. Ad grana sex perbelle vomitum provocat (*h*).

Constat partibus resinosis cum subtili terra adstringente mistis. Resina violentius est emeticum quam radix ipsa, sola purgans sine ulla adstrictione, hinc Vinum menstruum est convenientius Aquâ, quoniam partem resinosam extrahit. Extractum vero gummosum vix emeticum est, sed bonum adstringens.

Grysea & fusca adeo acria sunt ut contundentes, nisi se muniant contra particulas pulveris assurgentis, corripiantur dyspnoea, hæmoptoë, tumore & inflammatione faciei, oculorum, & aliquando gutturis.

Heliotropium rubrificat fere instar aluminis, sed Syrupum Violarum viridem reddit, hinc vis ejus non derivanda a sale acido vel ab alcalino.

Per vomitum & secessum purgat, in dysenteria fere specifica, nec non in aliis ventris fluxibus, praecipue dolore stipatis, & in fluore albo multum valet.

Non tantum materiam morbificam per superiora, rarius per inferiora, educit, sed & post vomitionem & purgationem adstringendo robur intestinis conciliat, eorumque tonum relaxatum restituit, quod ab aliis emeticis non fit.

Minuta dosi sudorifera, vel & diuretica & emmenagoga fieri potest (*i*).

Antequam exhibeatur Dysentericis, bene judicandum, num ventriculus, intestina aliaque viscera inflammata sint, aut aliqua putredine vel gangræna corrupta, id quod cadaverosus, horrendusque fœtor manifestat; iis enim in casibus Medicamentum hoc locum invenit nullum.

Porro, nec tantummodo in Dysenteria, & morbis supra memoratis, valet, sed Vomitus sanguinis, hæmoptyses horrendas, urinas cruentas, fluxus hæmorrhoidales, imo hæmorrhagias narium abundantissimas & pertinacissimas vidit *Mangetus*, per Ipecacoanham sanatas; sed nunquam de facultate hujus radicis in sistendis hæmorrhagiis sibi plenius constitisse, quam ubi profluvia uterina ejus ope aggrediebatur.

C. *IRIS.*

Veterum optima odoratissima erat, ad modum Violæ, gustu fervido & cum

---

(*h*) Cortex Radicis, demto nucleo, integræ radici, saltem in infantibus, qui eo purgandi sunt, longe preferendus, præstat enim ad gr. iv vel vj, quæ Radix ad ℈ʃ.

(*i*) In asthmate humido mirabilis præstat minuta dosis, diu protracta. In convulsivo asthmate vim sedantem possidere perhibetur.

cum tundebatur sternutamenta ciebat. Africana, authore *Plinio*, tractata, pustulas fecit. fulva, flava & rubra alba calidior. Alii de Iride in genere testantur, halitum oris commanducatam abolere, alarumque vitia, amaram esse & proxime ad acrem pertingere; omnes autem Irides excalfacere, discutere, attenuare, duritias omnes emollire, siccare, detergere, sed detergentium esse moderatissimas, etsi in balneo magis detergant, quam ervi, hordei aut fabarum farina.

Hæc clarius elucescent enumeratione specialiori virium usu externo & interno.

Prosunt in accessionibus febrium, perfrictionibus & algoribus cum tremore. Ex oleo imponuntur contra perfrictiones, necnon in Nervorum doloribus. Strumas veteresque duritiei molliunt elixæ & illitæ. Sic discutit parotidas Iris Illyrica contusa, cocta ex passo, more farinæ hordeaceæ, calida bis terve imposita. Cum vino utuntur ad clavos vel verrucas, triduoque non solvitur, & ad paronychias farinam ejus adhibent. Lentigines & asperam discoloremque ceu a sole cutem, emendant, cum veratro albo duploque melle tritæ. In oleo coctæ, mane post exsurrectionem a somno, frictæ expurgant colorationes in ictero & sudores movent.

Sedis rimas & condylomata, omniaque in corpore excrescentia sanant. In gangræna crustas dirumpunt & a sanis partibus separant.

Fovent fœminæ calido Iridum decocto utiliter muliebres locos molliente & aperiente. Glandis modo ex melle Irides subditæ partus extrahunt.

Clystere decoctum contra coxendicis dolorem infunditur lumbis & coxendicibus cum resina illinitur. Contra capitis dolores ex aceto & rosaceo inungitur.

Ulcera sordida purgant. Ulcera capitis iidem purgant, praecipue suppurationes veteres. In Ulceribus cuticulae parum extergunt. In Ulceribus malignis admodum exsiccant. In farinam tusæ Ulcera explent & cum melle purgant. Ulceri cavo conveniunt.

Inter sarcotica, seu carni producendæ apta, numeratur, utpote modice siccans & modice detergens. Fistulas & sinus carne explet. Carnibus nuda ossa operit.

Usu interno, Tussi utiles sunt hæ Radices, humores non facile excreabiles extenuant. Ducunt menses cum Vino potæ. Urinam promovent. Purgant pituitam crassam & bilem ad pondus dr. vij cum mulsa aqua potæ. Si plus justo dederis, sanguinem & nigra evacuabit; & hoc modo lienosis, quotidiana & quartana febre laborantibus, anhelatoribus, tussientibus & colicis datur. Purgant indigestibiles cibos in intestinis & lumbricos excludunt.

Somnum in corporibus frigidis non vero in calidis conciliant: torminibus &

& inflationibus medentur: inter pharmaca colica locantur. Lienosis ex aceto prosunt & convulsis. Contra venenatorum morsus utiliter ex posca bibuntur. Utiles contra feminis incontinentiam.

NOTÆ. 1. *IRIS vulg.* seu Germanica, vel sylv. C. B. *Iris vulg.* nostras hortensis Offic. *Dale* *Common Flower de Luce.*

Radix hujus minus odorata est quam Florentinæ, uno recens Sambucum olere dicitur, saporis calidi, os & fauces calefaciens per plures horas decoctum ejus amaricans est, subdulce, austerum, calidum, calore duas tresve horas durante, &, addito Vitriolo Martis, coloris fusco-rubescentis fiebat, ast in altero experimento coloris fusco-subatri.

Errhinum est efficacissimum, speciatim succus. Extrinsecus usurpatur in impetiginibus & maculis cutis detergendis, cum farinâ fabarum aliquando usurpatur. Oleum, infusione paratum, strumas resolvit.

Succus, subsidentia depuratus, vix ultra ℥ij exhibendus: ℥ß ad ʒvj vel ℥j validissime purgat, sed propter acrimoniam, qua fauces excoriat, sumitur in jusculo, sero lactis, vino malvatico vel Syrupo Violarum.

Succus est Emeticum validum. Coctione vis purgans tollitur.

Recens gustûs acris est & purgat serositates *sur* & *sum*; sicca minus acris, & vix purgat, sed locum habet inter aperientia atque incidentia. Est quoque Diuretica.

2. *IRIS alba* Florentina C. B. *Florentine Orris.*

Radix odoris est fragrantis, Violæ similis, saporis subamari, acris, calidi, calore in ore ultra sex horas durante. Infusum saporis est amaricantis, pinguis, nauseosi, austeri, & coloris fit atro-fusci, addito Vitriolo Martis.

Odor & sapor extrahitur Aqua & Spiritu Vini rectificato, sed magis perfecte a Spiritu. Tinctura enim spirituosa longe acrior est quam aquosa; proinde radicis activitas parti oleoso-resinosæ præcipue adscribenda.

In Vino aut Cerevisia suspensa hanc dulcem reddit, illud jucundo odore & sapore commendat, plane æmulo, quem mora Rubi Idæi communicant.

Errhinum est forte, necnon apophlegmatismum, in ore detenta salivam copiose eliciens. Extrinsecus delet maculas & fordes cutis.

Colluviem serosam ulcerum veterum absorbet inspersa, carnes fungosas destruit, putrefactionem præcavet.

Usitatum est iis quorum anima fœtet, vel ozænis laborant, radicem mandere.

Succus ad ℥ß purgat in hydrope. Sicca radix Urinam movet, non ventrem.

Carminativa est radix & pulverisata ad gr. iv vel v usurpatur in torminibus

bus infantum pro purgatione leni & vomitorio commendata. Expectorat, phlegma tenax attenuans; & datur ad gr. j vel ij infantibus, pectoris oppletione mucida affectis.

Urinam movet, eamque violaceo odore inficit.

Menses movet intus, & extus forma pessarii vel balnei.

3. *IRIS palustris* lutea *Ger.* & *Park.* Acorus adulterinus C. B. *Bastard Acorus.*

Patebit mox, hanc Iridem & duas praecedentes qualitatibus sensilibus & viribus convenire, vixque aliter differre quam odore, scil. peculiariter fragrante Florentinæ, etsi nostra hortensis aliquantum odorata sit, sed palustris lutea neutiquam; quippe, odorem carere Iridem in regionibus frigidis, author est *Theophrastus*

Iridis palustris luteæ Radix inodora est, viscosa, saporis subdulcis, in infuso & decocto valde dulcis, dein magnopere adstringentis, mox calidi in gutture, caloris sensu mecum ultra duodecim horas durante.

Infusum nigrum fit addito Vitriolo Martis, proinde hæc fortius adstringit quam duæ præcedentes Scoti montani ex radice, per 24 horas infusa, aut parum cocta, perpetuo in olla fricando calculum album asperioris superficiei super cultellum per aliquot horas, exinde atramentum optimum conficiunt.

Siccando acrimonia minuitur.

Succus usurpatus fuit pro Errhino, sed præ acrimonia inflammare & exulcerare potis est, quare gutta una vel altera admiscetur lacti fœminino pro errhino in odontalgia.

In fontanellis ad pisi formam redacta fungos destruit & fluxum promovet.

Porro & Succus usurpatus fuit in ulceribus serpiginosis, ac vi insigni adstrictoria & stiptica in alvi fluxibus, ac hæmorrhagiis commendatur, dum inspissatus & cum saccharo ad consistentiam Syrupi redactus fuerit. Hanc radicem menses sistere author est *Lobelius*; crediderim tamen, hæc caute tentanda esse; nam radix hæc experimento se comprobasse dicitur Emeticum forte, & ejus succi guttas 80, omni hora vel bihorio repetitas, Catharticum fuisse egregium, ubi Jalapium & Gambogia (*k*) frustra exhibita fuissent.

C. *Ir.*

(*k*) *Edinburgh Med. Essays.*

C. *JUGLANS*, quasi Jovis Glans: non est tamen διὸς βάλανος *Theophrasti*, quum ea potius Castanea sit. Vide *Castanea*. Nux Basilica seu regia *Dioscoridis* & *Galeni*. Persica & Basilica *Plinii*. J. B. *Raii Synops.* quoniam è Perside a Regibus sit translata. *The Walnut.*

De qualitatibus sensibilibus & viribus foliorum, putaminis & fructûs haud sibi ipsi constare videtur *Galenus*. Folia, inquit & germina adstrictionem possident quandam, plurimam vero putamen recens & siccum (*l*). Externo cortice tinctores utuntur, qui tenuium est partium, & hunc manus eorum, qui virides nuces decorticant, inficiuntur tinctura, per fortissima extergentia ægre abluenda.

Ejus succum, addito quodam adstringente, applicabat aliquando in principiis inflammationum circa fauces idem *Galenus*, qui alibi tamen ait, succum è Corticibus nucum non esse acerbum.

Damnantur fere in cibis fructus, utpote concoctu difficiles, stomacho nocentes, bilem augentes, capitis dolorem inferentes, si quis assidue utatur, & tussientibus inimici.

Recentes tamen dulciores & stomacho innocentiores, quapropter & alliis miscentur ad acrimoniam ipsorum eximendam.

Si cum Caricis mandantur, melius concoquuntur & stomacho commodiores sunt, cibumque optimum exhibent.

Quæ humida & viridis est neque adstringentis qualitatis, neque oleosæ conspicue est particeps, saporis quasi aqueæ, & inter cibaria humida, v. g. uvas, ficus, & cucumeres ei, qui siccæ complexionis est, accommoda, atque in temporibus & civitatibus siccis. Porro, humida viridis ad dejectionem est accommodatior, ut quae adstringentis qualitatis minus sit particeps, & plerique, ventris subducendi gratia, cum garo ipsam præsumunt.

Nux citius oleosa fit quam Amygdala, habet, authore *Galeno*, adstringentis qualitatis non exiguum, quæ tandem, procedente tempore, marcescit, tota ipsius

(*l*) In examen diligentius revocavi, tum folia, tum putamen viride, recens & molle Juglandis, & compertum habeo, folia saporis esse subamari & subadstringentis, eorumque infusum saturate viridem tincturam exhibere cum Sale Martis.

Putaminis autem, qualis dicti, Succus est subacidus, subausterus, & coloris fusci fit, addito Sale Martis, cum quo infusum ejus in aqua nigrescit.

Hinc tandem patet fructus Juglandis non alii in juniore & admodum tenera ætate inter cibos admittendos esse.

ipsius substantia in succum pinguem transmutata, adeo ut cibo prorsus sit inepta, quod sua pinguitudine oleo veteri assimilis appareat.

Venenis resistit cum ficubus & ruta præsumpta, ac etiamnum, post ipsa Venena hausta, comesta; largius autem esitata lumbricos latos pellit.

Imponatur & mammarum inflammationibus, abscessibus luxatisque cum melle exiguo & ruta. Cum Cæpa autem Sale & Melle, contra canis hominumque morsus proficit.

Id, quod edendo est, oleosum est & tenue, & quo diutius reconditur, magis tale efficitur; quamobrem Oleum ex eo inveterato exprimere liceat, tunc etiam admodum fit per halitum evaporatorium, digerens & admodum discussorium. Itaque quidam eo gangrænas, carbunculos & ægylopas sanant; porro & est oculorum cenoticum, lachrymas educens & aures purgans. Perveterum Nucum nuclei commanducati & imposita gangrænis, carbunculis, Ægylopibus & alopeciis præsenti sunt remedio: & Nux pinguis, vetustate rancida, diligenter trita & imposita laudatur à *Galeno* & *Aëtio*, tanquam certissimum ad sugillata seu livores remedium.

Ad Capillorum defluvium valent.

Nucum viridium, sed jam submaturescentium, confractarum numero centum, Olei Sextaria duo, Aluminis liquidi libræ tres conjiciuntur in novum vas testaceum praesaturatum aqua, ne combibat concreditum sibi humorem.

Hoc vas dein, accuratissime oblitum, reponitur in domum liberi patentisque aëris per xl dies: aufertur demum atque in usum conservatur sic præparatum Oleum.

NOTÆ. Nuces recentes magis aquosæ sunt, & proinde concoctu faciliores: alvum movent, v. g. experimento *Raii*, virides & immaturæ, si cum exteriore cortice coquantur, donec mollescant, & addito sacchato condiantur, binæ tresve si sumantur sub vesperam, alvum leniter subducunt; quin & conditæ nuces mensis apponuntur comedendæ ad roborandum ventriculum.

Fructum immaturum mollem & viridem condire novit vulgus, ut a contagio Pestis præservetur, aut Ventriculus languens corroboretur.

Quidam nucis corticem viridem arefaciunt, & in pulverem redactum, piperis loco, in condiendis cibis, usurpant. Quod si huic pulveri folia Salviæ sicca ac tusa admisceas, non contemnendi saporis condimentum habebis. Pari ratione prima ac tenera rubraque foliola siccata & tusa usurpari possunt.

Maturæ saporis sunt dulcis ut Amygdalæ, oleosæ; flammam concipiunt & alunt instar Tedæ. Involvunt, temperant, nutriunt, sed in his comedendis detra-

detrahenda est tunica, quæ medullam ambit. Maturæ & siccæ calidiores sunt & concoctu difficiliores, sitim adducunt & cephalalgiam, bilem augent, tussim & dyspnœam exasperant, præsertim in ventriculis calidioribus, in quibus corrumpuntur.

Legitur apud *Raium*, Juglandibus nucibus propriam quandam facultatem inesse ad remoratos menses ciendos, aliis medicamentis nihil proficientibus. Macerantur in aqua, donec nuclei membranis possint denudari; deinde nuclei, sic expoliati, macerantur in aqua vitæ per biduum, eorumque duo vel tres quotidie mane jejuno exhibeantur per decem dies ante tempus menstruæ fluxionis.

Ranculæ calidæ sunt usque adeo ut vesicas in lingua excitare dicantur; sanant impetigines, & sugillationes a verberibus tollunt contusæ & applicatæ.

Oleum earum expressum tumores discutit, contractos nervos emollit, flatus dissipat; & contra dolores colicos aliosque dolores abdominis in Clystere efficacissimum.

Porro, Oleum hoc & Lini *drying Oyls* dicuntur, quoniam in aëre aperto siccantur secus quam Oleum Olivarum & Amygdalarum, nec congelantur ut Olivarum & Amygdalarum, quippe magis oleosæ, minus aquosæ, & proinde fortiora Anthelmintica sunt. Porro, præfertur Pictoribus Oleum Juglandis Oleo Lini, siquidem hoc, cerussæ admixtum, tractu temporis colorem immutet, illud vero incorruptum perpetuo asservatur.

C. *JUJUBÆ* majores oblongæ C. B. *Galeno* Serica. *Plinio* & recentioribus Græcis Zizypha. *Jujubes.*

Harum vetustissima memoria creditur esse apud *Plinium* & *Columellam*. *Plinius* unum tantum genus novit, ex Syria Romam allatum, extremo Augusti tempore. Verior fuit distinctio illa *Columellæ*, qui Zizyphum arborem in albam & rutilam partitur. Nostra rutila est.

Fructus mulierum & infantum effrænatorum est edulium, exigui alimenti & difficilis coctionis. Confert pectori & pulmoni, tussi ac destillationi ex calore succurrit, & invenitur in Antidoto bechico *Nicolai Myrepsi* & apud *Actuarium* in potionibus contra ardentem febrem, sanguinem calidum alterans, viscosum faciens.

NOTÆ. Ante maturitatem saporis sunt austeriusculi, maturæ mellea dulcedinis, vinosæ, passulas majores æmulantes, mucilaginosæ

Expectorationem promovent: acrimoniam quamcunque obtundunt, raucedinem leniunt, & usûs sunt in Urina acri, & erosione renum ac vesicæ.

Usus earum valde cum *Sebesten* convenit.

C. JU-

C. *JUNIPERUS* fruticosa. C. B. *The common Juniper tree.*

Constat ex *Theophrasto*, antiquitus nomine eodem appellatum fuisse Cedrum & Juniperum.

Vidit *Brasavolus* baccas, allatas Venetias ex Græcia, nucem Ponticam magnitudine æquantes; quales descripsit minores *Dioscorides*; nostri adhuc minores sunt, congeneres tamen & similium qualitatum sensibilium & virtutum haud temere æstimari possunt, etsi forte minus acres quam *Galeni*. ille enim describit baccas calidas esse in tertio gradu, & grana esse valde aromatica, quales nostræ non sunt, & proinde carent nostræ malis iis, quæ *Galenus* adscribit tam Juniperi quam Cedri baccis.

Fructus odoratus est, dulcis in mandendo ac subamarus, acris admodum secundum *Galenum* cum exigua dulcedine & minori adstrictione; habet autem & aromaticon quiddam. sed moderate calefacit & adstringit secundum *Dioscoridem*, stomacho utilis, ad digestionem facit; &, si quis ipsum largius sumpserit, stomachum mordet & caput calefacit doloribusque infestat.

Urinas ciet, hepar & renes purgat, succos crassos & lentos tenuat.

Ad pectoris vitia, tussis, inflationes, tormina, virulentarumque bestiarum venena potus juvat. Convulsis, ruptis & vulvæ strangulatui subvenit.

De *Gummi Juniperi* vide suo loco.

NOTÆ. Folia semper virent, argumento virtutis balsamicæ.

Odor aromaticus, terebinthinaceus, sapor subamarus, adstringens cum acrimonia levi in gutture; recentia notavi subacida. Decoctum quoque subadstringens est, & subatro-fuscum fiebat, addito Vitriolo Martis, & in altero experimento viridescebat.

Turiones seu Summitates purgant, ut istæ Sambuci, & Vinum, in quo infusæ fuerint, valde diureticum est, eoque infuso authores graves testantur, se hydropicos curasse. Dicitur quoque Gonorrhœam sanasse.

Folia carminativa sunt, uterina, antiscorbutica.

Umbra noxia est si *Virgilio* credamus, qui Eclog. X. sic scribit:

Surgamus, solet esse gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra, nocent & frugibus umbræ

Baccarum Odor aromaticus quoque & terebinthinaceus est, sapor dulcis, subamarus, subacris, subadstringens; recentes virides adstringentes: pulpa glutinosa, resinacea, inflammabilis: decoctum maturarum subadstringens est, & a fusco mutatur ad viridescentem, addito Vitriolo Martis.

Dulcedo hæret in pulpa, amaror in feminibus, aroma in veſiculis diſperſis inter pulpam & ſemina.

Deſtillando quantitatem notabilem Olei diuretici præbent, quod per deſtillationem è baccis contuſis cum aqua mistis parandum; Oleum enim cum aqua adſcendit, vel per expreſſionem è baccis contuſis, cum Oleo Olivarum miſtis, fit.

Valet Oleum ad tormina, & guttulæ duæ vel tres, pueris verminantibus exhibitæ, lumbricos enecant & expellunt: illitum ad dolores hæmorrhoidum abigendos valet, & omnis generis malas ſcabies ſanare dicitur, necnon pedum manuumque rimas.

Suffitus uſitatiſſimus eſt tempore Peſtis, tum e baccis tum e ramuſculis ſuſcitatus.

Virtutes extrahit Aqua & Spiritus Vini rectificatus.

Plurimis, doloribus nephriticis laborantibus, baccarum contuſarum in Vino infuſum profuit, facta inde arenularum & calculi excretione, ſed in *Actis Academiæ Cæſareæ* proſtat exemplum cujusdam, ſic curati, verum poſtea ad doſin enormem, v. g. Semimanipulum, quotidie ſumens in Diabetem lethalem incidebat.

Urinam devorantium inficiunt odore violaceo ut terebinthina, omnibus ejus partibus balſamo repletis inſtar Terebinthinæ, ſed mitiore.

Extus in Suffitu aut Cataplasmate, aut Spiritu vel Oleo ad laxas partes roborandas & ad catarrhos tumoresque frigidos diſcutiendos inſerviunt.

Infantes tineâ liberare dicitur Unguentum ex his, bene contuſis & permistis axungiæ porcinæ, præmiſſa catharſi.

Carminativæ ſunt, Urinam cient, & in mucilagine renum & veſicæ proſunt, ac infuſum toſtarum, inſtar Coffee ſumptum quatenus diureticum, aliquos hydrope liberavit.

Tranſpirationem promovent & menſes, atque inter pectoralia locum habent, pituitam tenacem attenuantes.

K.

1. C. *KALI.* Kali majus cochleato Semine C. B. *Glaſſwort*, proſtat apud *Dale* in *Mat. Med.*

2. *Cinis Kali induratus*, alias Soda, alias Cineres clavellati vel Ruſſici. *Potashes*

Hujus plantæ vel ejus congeneris præparatum debemus Arabibus. Quænam ſit planta apud *Dioſcoridem* non liquet.

Cine-

Cineris Sarmentorum meminit *Aëtius*.

Authore *Avicenna*, Kali vel *Usnen* est calidum, absterfivum, adustivum, corrosivum, fortius quam Sal.

Confert Morpheæ, Scabiei & corrodit carnem additam.

Pondus ℈ſs resolvit difficultatem urinæ. Pondus ℥v dejicit partum vivum & mortuum: ℥ſs Persicæ usque ad ℥j provocat menstrua: & ad ℥iij exhibitum solvendo educit aquositatem hydropis. Pondus ℥x est venenum perniciosum, & ex ejus suffumigatione, quæ ex ipsâ est viridis, effugiunt venenosa parva.

NOTÆ. Ex Soda potest Sal elixiviari, cui rectius Sal Alcali nomen imponitur, quam Sodæ.

Soda non tantum paratur ex hac herba, sed nonnullis in locis Fucos aliasque plantas marinas urunt in eundem usum.

Sal alcalinum fixum herbæ Kali convenit Sali alcalino fossili, sed differt a Sale alcalino aliorum vegetabilium, scil. 1. Mitius est, longe minus acre. 2. In aëre non liquescit nisi tardissime. 3. Cum acido marino conficit salem marinum, cum vitriolico Sal mirabile, cum nitroso Nitrum quadrangulare. 4. Majorem quantitatem aquæ poscit ut solvatur, quam Sal purum vegetabile.

Apud Gallos, & nuper apud nos in usum medicum recipitur, tum per se, tum cum tartaro, in conficiendo Sale Rupellensi.

Quinimo Sal Sodæ datur interne ad grana xv bis die in aqua edulcorata: infantibus autem ad gr. v vel vj; decoquitur a ℥ij ad ℥ſs per 5 minuta in aquæ ℔ij pro usu interno ad ℔ij in die.

Præter Sal Alcali purum tum Cineres clavellati, tum cineres aliorum vegetabilium continent quoque Sal neutrum amarum, cujus Acidum evidenter vitriolicum est; nam, cum carbone ligneo fusum, purum Sulphur generat, authore *Neumanno*.

C. *KERMES* vel Chermes Arabum.

An Coccum Infectorium *Dioscoridis* & Granum tinctorium *Galeni*? *Plinio* Scolecion dictum, in Attica & Africa proveniens, ex cujus medulla tenues oriuntur vermiculi.

Granum tinctorium, quo tingitur Scarlatum, unde *coccinea* (scil. è Cocco) vestis apud antiquos.

An Granum Ilicis aculeatæ cocci glandiferæ C. B.?

Serapio, de Chermes agens, omnia in ejus historiam refert, quæ *Dioscorides* suo Cocco tribuit.

Authoribus *Dioscoride*, *Galeno* & *Plinio* adstringentem simulque amaram quali-

qualitatem possidet, & sine morsu desiccat: vulneribus recentibus nervisque sauciatis tritum ex aceto convenienter imponitur. *Epiphoris* & oculis suffusis sanguine ex aqua instillatur.

Sic Veteres Cocco suo tantummodo vim adstringentem tribuunt, sed Arabibus debemus notitiam virium ejus cardiacarum.

Proinde apud *Mesuen* ingreditur Electarium ad cordis palpitationem, syncopen, mentis alienationem, mærorem sine causa manifesta: facultates enim, corpus nostrum dispensantes, mirifice roborat.

L.

C. *LABDANUM.* Ladanum *Dioscoridis.*

Habetur non ex Cisso, i. e. Hedera, ut voluit *Plinius*, sed ex Cisto, qui est parvus frutex surculosus. Frutex Ladon vel Ledon appellatur. *Brasavolus* testatur, se verum Ladanum *Dioscoridis* vidisse Venetiis, & *Tournefortius*, se vidisse Cistum Ladaniferam Creticam in loco.

Inter aromata numeratur. Spirat odorem eximium: igne liquescit. Est medicamentum, authore *Galeno*, primo excessu complete calidum vel secundum attingens, habens etiam adstrictionis paululum. Authore *Dioscoride*, vis ei est adstringendi, calefaciendi, molliendi, & vasorum oscula reserandi. Hoc clarius elucescet ex enumeratione sequenti virium ejus.

Solum, ex Vino tritum, ulceribus, ægre ad cicatricem venientibus, conducit, non quia Vini potentiam requirat, sed quia durius est, quam ut emplastro conveniat, sed si Oleo admisto id coquas, pharmaci vim obtundis, adeo autem validum non est, ut obtundi desideret quemadmodum ærugo vel chalcitis. Recens autem mollius est & ulceribus, cicatricem difficulter ducentibus, accommodatissimum. In Cypro igitur, ubi plurimum nascitur, medicus quidam recens adhuc & molle id genus ulceribus ipsum molliens imponebat. quod si paululum induruerat, ex myrteo emolliebat, & hujus inopia, ex cyprino vel rosaceo.

Hinc invenitur in Emplastro viridi *Andromachi* molliendi & repellendi virtute præditum, ut labia Ulceris emolliantur, & nihil ex superioribus influat. Furfures capitis & manantia Ulcera sale addito sanat. Medetur fistulis cum castoreo.

Defluos capillos retinet, nam & vitiatos humores juxta pilorum radices attenuat ac consumit, & meatus, quibus impacti erant, adstringendi vi cogit & constringit. Authoribus *Dioscoride* & *Plinio*, Ladano cum Vino vetere ingesto sistitur alvus.

Pessis

Pessis immissum Vulvæ duritias sanat. Suffumigatur ad secundas ejiciendas, & ad corrigendas vulvas conversas vel adscendentes, & dolentibus iis exulceratisque imponitur. Urinam ciet. Aurium doloribus cum hydromelite aut rosaceo infusum medetur.

Miscetur utiliter iis, quæ somno dolorem levant, malagmatis & medicamentis, contra tussim veterem, v. g. cum styrace sumptum: interaneorum vitiis occurrit, & ad ructus efficacissimum.

NOTÆ. Gummi Cisti Ladaniferæ Creticæ flore purpureo *Tournef. Coroll. Inst.*

Accensum grati est odoris, aliquantulum ad Ambram gryseam accedens: mollescit igne & inflammabile est, saporis amaricantis & subaustere; diu masticanti sentiebatur acrimonia, salivam eliciens.

Resina potius est quam Gummi, nam licet non solvatur pinguibus, Spiritus Vini rectificatus fere totam dissolvit, accuratius vero *Cartheuser* sic: Resinosæ portionis in ℥j Spiritus Vini solubiles sunt plerumque ʒv vel vj. Gummosæ circiter ʒj in Aqua solubilis.

Oleum & Spiritus acidos præbet destillatione.

Deterget, resolvit, roborat, consolidat. Sic Ulcera antiqua consolidare dicitur emplastri modo impositum, & cum Oleo mistum adjicere vim quandam ad continendum in capillorum defluvio; & in suffitibus usitatissimum est, speciatim in membris paralyticis, necnon in pulveribus catarrhalibus; quin & usu interno in fluxibus ventris & hæmorrhagiis valere dicitur, & uteri suffocationibus & catarrhis acribus a causa frigida, quatenus obtundens & incrassans particulis suis glutinosis acribus intermistis & vi anodyna præditum.

C. *LAC.* Milk.

De Lacte in genere sequentia prostant. Modicæ dulcedinis particeps est. E contrariis substantiis est conflatum: quod ejus serosum est, succos crassos tenuat, & alvum subducit, quod vero caseosum est, alvum sistit & succos crassos gignit. Crassum minus alvum emollit, magis nutrit, tenue & serosum minus alit, ventrem subducit magis. Hinc Mulieris, Asinæ & Equæ Lac ventrem magis subducunt & minus alunt, quam Vaccæ, Capræ & Ovis.

Multum serum habens nihil penitus affert periculi, quod autem habet caseosam crassitiem multam, omnibus, qui eo multum utuntur, est periculosum; nam eos quidem renes offendit, qui calculis generandis sunt appositi, jecur item obstruit iis, qui hoc affectu facile prehendi possunt.

Gargarizatur ad oris ac tonsillarum exulcerationes. Exulceratis uteris lenitatem inducit infusum. Maxime mitigat phlegmonas Oris, tonsillarum, colu-

mello & anginam. Infusum magnopere intestinorum rosiones mitigat, ubi præ simei acrimonia dolent, aut phlegmonas perpetiuntur. Sic recens dysentericis infunditur & in urinæ difficultate. Cancrosis ulceribus applicatur, medicamentis idoneis commistum, qualia sunt, quæ constant ex pompholyge.

Ad acres oculorum fluxiones & alias acrimonias conducit, & ad hyposphagmata & sugillata.

Usu interno Lac omne boni succi est, corpus alit, stomachum & intestina inflatione vexat: minus inflat quod semel fervefactum est.

Usus Lactis est ad omnia intus exulcerata, maxime renes, vesicam, intestina, fauces & pulmones: vel, ut verbo complectar, ad omnia, lenimento opus habentia ob inflammationem, mordacitatem, aut ulceris malignitatem. Sic, recens efficax est contra rosiones & inflammationes a medicamentis ex calidis factas, uti cantharide, hyoscyamo, &c.

Et ante applicationem Cantharidum in cura morbi comitialis, Lac tribus diebus bibendum antequam his utamur, ut Vesica muniatur.

In fluxu uteri & exulceratione sic præcipit *Hippocrates*: „ Lac bubulum „ per quadraginta dies bibat, nam & purgatur & nutritur ac fluxus obtunditur ab hujusmodi lacte: vesperi vero cœnet carnem volucris modicam assatam, & panem modicum subcinericeum, bibatque insuper vinum vetus nigrum vinosum, quamdiu lac biberit."

Ad papularum eruptiones & furunculos aliasque cutis asperitudines, convenientissimum est in potu, & datur recens cum melle crudo, addito sale, & exigua aqua dilutum, quoniam lac aliter facile in caseum cogitur. Confer *Serum Lactis*.

Totum lac medicamentum est leniens, cujus tota quidem substantia morsu caret, sed multo etiam magis ubi moderata coctione major humiditatis serosæ pars fuerit consumpta: hinc iis, quibus Venter imbecillis est, & facile subducitur, lac bis coquere oportet, vel etiam fluviatiles lapillos in id injicere, lac enim in quo, silicum aut calculorum ignitorum ope, portio tenuior exhausta est, ventrem astringit, ac omnibus internis exulcerationibus auxiliatur, præsertim vero gutturis, pulmonis, intestinorum, renum ac vesicæ. Sic decoctum cum marinis calculis ignitis ad dimidias, tenesmum & ulcerosas ventris fluxiones adjuvat.

Omnibus hecticis, præsertim in marasmum desinentibus, idoneum, & in hæmoptoë. Thoracis ac pulmonis partibus Lac omne utile, & convenit tabidis ex ulcere pulmonum non valde febricitantibus, capiti vero, nisi quis ipsum habeat admodum firmum, non est accommodum.

Sic, authore *Celso*, Lac, quod in capitis doloribus & in acutis febribus pro veneno est, in phthisi tamen, sicut in omnibus longis difficilibusque febribus

recte

recte dari potest; & in empyematicis, si non vehementer febricitent, vel ubi calor febrilis moderatior evaserit, omnia enim, quæ in pulmonis cavernis infixa sunt, rejectioni morigera reddit. Sic visi sunt ægre spirantes lacte asinino vel equino adjuti: non dandum tamen his, quum febris infestat, nec accessionis tempore.

Noxæ Lactis sic perhibentur. Præcordiis, quæ facile inflantur, incommodum est, & Lac omne contrarium est spleneticis, hepaticis, vertiginosis, comitialibus, nervorum vitio laborantibus, febricitantibus & capite dolentibus, calculosis, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt dejectiones, vel & iis, qui talia evomunt.

Multus ejus usus lædit dentes, ad quos muniendos Os colluendum vino, postquam quis Lac sumpserit, monet *Galenus*.

In Ventriculo frigidiore acescit, in calido vero in nidorem abit, nam celerrime ab omnibus causis calidis in nidorem alteratur.

Edulia ex lacte, cum triticea farina elixo, jecur obstruunt, calculos gignunt, & ex lacte ac simulagine placenta jecoris meatus obstruit.

Lac varium est secundum anni tempora, vere liquidissimum & copiosissimum, progressu temporis magis ac magis crassescit: laudatur æstivum, ut coctu facilius & jucundi odoris: post æstatem sensim crassescit, donec penitus deficiat.

Differt quoque Lac pro pastu, ætate, habitu bono vel malo animalium. Sic in animalibus, cruditatem perpetientibus, aut nimiam famem sitimve, aut quæ cibis pasta sunt pravis, mutatur, ut in mulieribus victûs vitæque errore.

Id, quod post editum fœtum emulsum fuerit, protinus sine coagulo concrescit, si super cineres calidos parumper calefiat, *Colostrum Plinio* dictum, quod, nisi admisceatur aqua, in pumicis modum coit duritie: & infantes *colostrati* dicuntur, qui præpropere nimis a puerperio lac crassius matris suxerunt, quod in infantium deinde stomacho densatur in casei speciem.

Denique Lac diversum est pro animalium specie diversi. Camelarum liquidissimum est & dulcissimum post humanum, & serosæ humiditatis plurimum habet, mox Equarum, deinde Asinarum.

1 *Lac muliebre* dulcissimum est, & præferendum, quoniam corpori humano familiarissimum: ubi mitigatione opus est, sive ob inflammationem, sive ob morsum, sive ob malignitatem ulceris, eo utimur accommodate. Sic in Collyriis in ulceribus oculorum prodest, utpote detergens sine acrimonia, infunditur uteris ulceratis, & oculo ab ictu cruore suffuso, & in dolore oculorum aut epiphoris, si immulgeatur, plurimum prodest.

Sunt, qui existimant solo hujus usu sanari posse Ulcus pulmonum, antequam magnum id & callosum fiat; sed mammam, infantium ritu, exsugant, antequam

quam immutetur lac ab aëre, quoniam, quamtocius mammas excedit, propriæ facultatis nonnihil deperdit, & sic casu factum mox ne prodest ad stomachi corrosionem & tabem. Cœliacis utilissimum, & eis, qui ejectionibus vel doloribus acutis alvi variis vexabitur, potenter succurres, si muliebris lactis quamplurimum dederis, donec persanetur.

2. *Asinæ Lac.* Aberrat longe a veritate *Plinius*, quando pronunciat hoc crassissimum esse, revera enim serosum est & tenue, minimum habet pinguitudinis, & minus nutrit quam caprinum, quoquoversum in corpus distribuitur, nec coagulatur epotum, veluti quæ crassa sunt.

Inter purgantia mitius est, expurgans & contemperans, & ejus heminæ duodecim ad sexdecim bibuntur ad purgandum.

Hippocrates præcipit in febre ardente utpote bilem vacuans, dum purgantia acria & calida timet, sed præcoquit ipsum ob flatus. Si in [illegible] cum inflatione ventris, dolore & alvo adstricta Lac bibendum, ut fiat purgatio, utpote acrimoniam obtundens, & inter purgantia mitius. In torminibus ventris sine febre pauxillum lactis asinini bonum.

Historiæ prostant eorum, qui asininum bibendo liberati sunt podagra chiragrave. In curatione ulcerum pectoris concedendum, utpote bilem non generans, bene nutriens & in caseum non spissescens.

3. *Equarum Lac* alvum solvit. Hoc bibunt Scythæ, comedunt autem caseum equinum, authore *Hippocrate*.

4. *Vaccarum Lac*, secundum *Galenum*, crassissimum ac pinguissimum, pinguius quam ovium & caprarum, caseo ferculus quam caprarum secundum *Galenum*, *Plinium* & Principes medicos, *Galeni* authoritate, ut videtur, seductos: Vaccarum enim lac esse tum longe minus pingue & longe minus crassum quam caprarum & ovium, saltem in Europâ, ab experimentis infra recensendis, in Hibernia, Scotia & Gallia institutis patebit (m).

5. *Lac caprinum*, authore *Dioscoride*, alvum minus tentat. quoniam hoc pecus adstringenti pabulo maxima ex parte vescitur, sed & altera causa in promptu est assignanda, quod nempe plus caseosæ substantiæ contineat quam lac vaccarum, & longe plus quam asininum, quodammodo nobis, ut videtur, consentiente *Galeno*, dum de lacte caprino cautelam singularem sequentem exhibet: „ Minime toto sumitur absque melle, multis namque, qui solum id
„ sumpsissent, in caseum coactum fuit in ventre, quod quum contingit, mirum
„ quomodo hominem degravet & suffocet. Nonnulli, ne coaguletur, addunt aquam

(m) Proinde haud recte afferit *Mangetus*, Lac vaccinum, [illegible], [illegible] esse dixit, [illegible]

" aquam. Si cui in ventriculo cogi solet, injiciatur Mel; quod si ipsum descendere ad alvum citius cupis, injiciatur Sal". Hoc convenit observationibus recentibus de majori tenacitate crassamenti lactis caprini.

6. *Lac ovillum* crassius est, quam caprarum, crassissimum quidem ac præpingue, non adeo stomacho utile. Vitiligines albas sub cute inducere solet, si quis ipso assidue utatur.

NOTÆ. Lac coagulatur ab omnibus Acidis, a Salibus volatilibus & fixis, & a corporibus nec acidis, nec alcalinis, ut semine Sinapios, Spiritu Vini similibusque.

Sales perfecte neutri Lac non coagulant, & inter hæc Nitrum & Sal Ammoniacum id minus coagulabile reddunt; quin & ab acidis vegetabilibus coagulatum dissolvunt.

Saccharum ejus coagulationem retardat, impeditque separationem Cremoris à lacte, & Butyri a Cremore, hocque non quatenus vel alcalinum vel absorbens acidi, sed proprietate sua uniendi olea cum aqua; & eadem ratione Sales alcalini impediunt separationem Cremoris à lacte.

Aqua Calcis & Fel dissolvunt coagulum.

Ad præcavendam Lactis aciditatem Cochlearia ij vel iij Aquæ Calcis vel guttæ aliquot Olei Tartari per deliquium adduntur ad lbj Lactis.

Lac debet æstimari efficacissimum omnium medicamentorum.

Extrinsecus dolores dentium & aurium sedat.

Omnis Febris, nisi lenta, prohibet usum Lactis.

Cremor Lactis plus caseosæ & serosæ partis continet quam Butyrum. Oleum Cremoris fit ex Cremore super ignem posito, unde Caseus subsidet & Oleum supernatat ad ambusta utile.

In renum debilitate, mictu sanguinis & diabete Lac ovillum præbabetur, cui in confortando renes, ut loquitur *Avicenna*, non est medicina compar, quippe ex omnibus maximam quantitatem tum Olei tum Casei præbens.

Experimentis, a me institutis, Lac pro diversitate animalium inter se differebant Sapore, quantitate Cremoris, Casei & Salis, quæ a singulis exhibentur, hac fere ratione;

1°. *Feminæ* / *Asinæ* / *Equæ* } A reliquis distinguuntur dulcedine saccharina, a singulari natura Salis hujusmodi in his contenti: scil.

2°.	*Fœminæ*	præbuit Salis	duplo majorem quantitatem quam Lac bubulum.
	Asinæ		supra triplam quantitatem quam Lac bubulum.
	Equæ		triplo majorem quantitatem quam Lac bubulum.
	Capræ		minus quam Lac bubulum, scil. ut 108 ad 152
	Ovis		quantitatem minimam omnium, & longe minorem quam Lac caprinum.

3°.	*Fœminæ*	præbuit Cremoris	vix 1/[illegible] partem Lactis bubuli.
	Asinæ		dimidiam partem Cremoris Lactis bubuli.
	Equæ		infra dimidiam partem Cremoris Lactis bubuli.
	Capræ		quantitatem triplo majorem quam Lac bubulum.
	Ovis		quantitatem plus quam triplo majorem quam Lac bubulum.

4°.	*Fœminæ*	præbuit partis Caseosæ	infra 1/[illegible] partem crassamenti Lactis bubuli.
	Asinæ		dimidiam partem crassamenti Lactis bubuli.
	Equæ		1/[illegible] partem crassamenti Lactis bubuli.
	Capræ		Crassamentum se habuit ad crassamentum Lactis bubuli ut 9 ad 2
	Ovis		duplo majorem quantitatem quam Lac bubulum.

Ex supra dictis patet Veteres sibi ipsis non prorsus constare de differentia Lactis diversorum animalium; sed *Varronis* testimonium Libro 2°. de re rustica capite 11 apud *Ludovicum Nonnium* de re Cibariâ, Experimentis supra recensitis, melius quadrat & mihi videtur a vero minus aberrare, scil. „ Lac „ ovillum maxime alere, deinde caprinum; quod autem maxime perpurget „ est equinum, tum asininum, deinde bubulum, tum Caprinum ".

SERUM

SERUM LACTIS.

Extergendi potentiam possidet, ac per clysteres injicitur, extergens & abluens intestinorum acrimoniam: & si quis Ulcera, quæ sane infestantur acri, vice aquæ, sero colluat, optime sane fecerit, & in contusis, sugillatis livoribusque præstat sero quam aqua diluere medicamenta digerentia.

In potu quoque ad intestinorum Ulcera efficacissimum est, & succi bonitate alia omnia, quæ ventrem dejiciunt, superat, unde Veteres hoc potu plurimum utebantur, ad purgationem enim efficacius quam lac, & exhibetur, quibus citra acrimoniam dejectionem moliri volumus, uti melancholicis, comitialibus, atque in lepra, elephantiasi, & papularum toto corpore eruptionibus, & in morbis articularibus (a): Necnon in corporibus mollibus & quibus evacuare & educere solum ea, quæ in intestinis hærent, volumus; iis quoque quibus intestinum exulceratur ab acribus drasticis, quibus pura bilis ventrem infestat, aut inanes ventrem ad egerendum stimulant conatus, & in quibus periculum est, renes aut vesicam aut uterum exulcerari, in macilentis tandem ac tenuibus, purgatione tamen indigentibus: maxime autem Sero uti oportet in iis, qui imbecillem stomachum habent, & tamen purgatione indigent. Sic puero, mulieri & seni citra omne periculum exhibetur, & caniculæ æstibus intrepide datur, quanquam tunc temporis alia medicamenta non æque tuta sint.

NOTÆ. Seri lactis miri effectus recensentur in Miscellaneis Curiosis, scil. Fœminæ cardialgia vehementi cum ardore circa præcordia, seri lactis caprili usu per mensem integrum curatæ, sed simul oborta est in sinistræ manûs tribus digitis Paronychia dolentissima; redeunte vero cardialgia & eodem Sero repetito, denuo Paronychia digitum manûs dextræ occupavit.

OXYGALA Lac acetosum, vel Lac acidum Veterum.

Diversimode præparabatur *Columella*, apud *Ludovicum Nonnium* de re Cibaria, docet modum præparandi Oxygala, additis, pro condimentis, origano, mentha, coriandro, cæpa: in hoc tamen convenit cum *Galeno*, quod in hac præparatione sola relinquatur caseosa substantia, sero & oleo orbata, eaque ipsa ad frigidiorem naturam conversa.

Proinde Oxygala Veterum proditur frigidum esse medicamentum & crassi succi, chymum crassum generans, tardæ digestionis, ventriculis justo calidioribus commodum, sed frigidioribus adversissimum.

Hoc

(a) Ubi non [illegible] Aquarum mineralium.

Hoc tamen boni habet, quod etsi non coqueretur, non convertitur in nidorem, quippe oleosa parte orbatum (a).

Apud nos duæ species Lactis acidi occurrunt, sed ab Oxygalacte seu Lacte acido Veterum prorsus diversæ, scil.

1. *Lac stagnando acidum factum*, *Bonny Clapper* vulgo dictum, nec serosa nec oleosa, nec caseosa parte orbatum, & proinde maxima proprietate Lac acidum denominandum.

2. *Lac ebutyratum*, vulgo *Buttermilk*.

Est Lac parte butyracea seu oleosa, non tamen serosa nec caseosa, orbatum.

Non statim acidum fit, nec nisi incuria, vel postquam diem unum aut alterum repositum fuerit.

Supra dictum de Oxygalacte Veterum, quod non convertatur in nidorem, in hoc quoque locum habet, quippe oleosa parte orbato, unde & vires ejus in caloribus hecticis & phthisi curandis illustrantur.

Si diu quiescat, acidum fit & emittit ad superficiem spumam crassam, & subtus fit serum limpidum, subcæruleum vel viridescens acidum & coagulum tenax.

Serum dictum in Ophthalmia adhibitum fuit, atque ad maculas & nigredinem a Sole præcavendas & tollendas.

LACCA GUMMI Vid. *Gummi Lacca*.

C. *LACTUCA*. Lactuca sativa C. B. *Garden Lettuce*.

Lactucarum sativarum *Dioscorides* meminit, non tamen diversas species distinguit. Inter has, notante *Hoffmanno*, nostra capitata papaveraceum quid olet. Verum Lactucam sylvestrem *Dioscorides* in omnibus facultatibus comparat Papaveri, qualis & est nostra sylvestris major odore Opii: porro & de sativis hæc habet *Dioscorides*: „ Cum in caulem exierunt, vim quandam nanciscuntur, succo aut lacti sylvestris Lactucæ similem ".

Est olus insipidum, succumque habet frigidum; suavior & utilior redditur, si acrium olerum quoddam admisceatur: nil lentoris ejus succo adest ut Malvæ. Alibi apud *Galenum* dicitur, solum esse ex Oleribus quod detergit; & apud

(a) Hoc, ut vult *Harduinus*, quoddam Lactis acidi genus in cibum Turcis familiare *Jugurtam* id appellant: diluunt aqua frigidissima, panemque inserunt, eoque utuntur in magno æstu & siti. Cibus is, cum palato & ventriculo gratissimus est, tum ad extinguendam vehementiorem sitim vim habet admirabilem.

apud *Plinium* lentorem pituitæ digerere, inflationes discutere, & ructus lenes facere, copiosioresque alvum solvere, mediocres sistere.

Prudentiores prima mensa sumebant, ut ejus beneficio Alvus citaretur.

Si Erysipelati cataplasmatis modo applicueris, senties Lactucam manifeste refrigerare, Malvam autem calorem quendam habere moderatum. Ad calidas phlegmonas accommoda est, & ad parva leviaque Erysipelata, non tamen majoribus satisfacere idonea est.

In capitis dolore, ac solis æstu fervente æstuanteque vehementius capite, succus Lactucæ aceto commiscendus est, & applicandus.

Lactucæ sativæ ambustis prosunt recentibus priusquam pustulæ fiant cum sale illitæ. Linguam cujusdam, usque adeo tumefactam, ut in ore contineri non potuit, colluendo solo succo Lactucæ curavit *Galenus*.

Usu interno est tam cibus quam medicamentum frigidum. Manditur ut plurimum cruda; cum autem æstatis tempore accingere se ad semen producendum cœperit, in aqua dulci præcoctam sumunt cum oleo, garo & aceto.

Æstate gratæ stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiam faciunt. Illota, &, ut ex terra eruta est, comesta, in stomacho cibum non continentibus utilis.

Multi medici hoc olus omnibus aliis antepofuerunt, utpote succi laudabilioris & magis nutriens. Lac evocat. Somnum conciliat. Coctum alvum solvere bene notum *Martiali* in Epigr.

Prima tibi dabitur ventri Lactuca movendo utilis.

„ Ætate juvenili " inquit *Galenus* „ cum mihi ventriculus bile assidue infestaretur, Lactucæ, qua ipsum refrigerarem, utebar; cum vero ad ætatem declinantem perveni (quæ ætas ad infomniam admodum est propensa) hoc olus, vesperi comestum, unicum mihi infomniæ erat alexipharmacum ".

Frequentior in cibo claritati oculorum officit.

Eos, quibus venter æstuat, manifeste refrigerat, ac a siti vindicat; quibus autem refrigeratus est, manifeste lædit & in temporibus ac temperamentis calidis administrari debet, in Inflammatione concedenda & in febre tertiana exquisita, sed ab hac, utpote olere frigido & humido ei cavendum, qui tenuante diæta uti volet.

Dantur candidæ copiosiores melancholicis, & ad vesicæ vitia. In curando majore, cui erysipelatosa affectio conjuncta sit, maxime competunt humidæ ac novellæ Lactucæ, in aqua exacte frigida ablutæ prius.

Semen epotum assiduas libidinum imaginationes in somno compescit & veneri refragatur.

NOTÆ, Apud *Raium*, in *Synops. methodica Stirpium Britannicarum*, pro-

ftat Lactuca fylveftris major odore Opii. *Ger. emac.* five *fylveftris odore virofo* C. B. *The greater ftrong fcented wild Lettuce*, de qua hæc notatu digna: „ Hanc fpeciem narcoticam effe & foporiferam, Opii vehemens & virofus „ odor abunde convincit; unde appetitus venereos irritat potius quam extin- „ guit, faltem moderate fumpta; contra quod tradiderunt Veteres, Lactucam „ fativam, dum adhuc in herba eft, necdum in caulem abiit, frequentius & „ copiofius fumptam venerem extinguere, quod maxime concedimus ".

Folia tenera præcipue edulia funt, Cichoraceis fimilia, fed magis temperata, fucco lacteo plena, faporis dulcis, vel obfcure amaricantis, aquea, mucilaginofa.

Ejus æftum compefcunt, fitim fedant, alvum liberam fervant, capitis dolores & vigilias, ab æftu ortas, curant. Commanducata in hoc ftatu, fcil. antequam caulefcat, Veneri adverfatur & libidinem extinguit. Lac generat, ubi defecit a calore & ficcitate, contra in temperamentis frigidis.

Calculi fruftulum, fucco infufum, per tres usque ad viginti fex dies partim forvebatur, partim mollis fiebat.

Idem Succus vi faponacea ad fundendum & diffolvendum id, quod tenax eft, in corporibus melancholicis maxime prodeft: & proftat hiftoria in *Actis Germanicis* Viri, malo hypochondriaco pertinaci affecti, in quo ventriculi imbecillitas, anxietas a cibo, refpirandi difficultas, aurium tinnitus & flatus copiofi, in ructus erumpentes, aderant, frequenti Lactucæ ufu, quam in prandio & cœna comedebat, curati.

Folia ficca feu Lactuca vetuftior & caulefcens, cibo minus apta, amarorem contrahens & aliquid acrimoniæ, abftergendi facultate non vacans, præfertim Succus lacteus, qui oculorum argemas & maculas delet, & vitia cutis emendat.

Radix lactea, amara, acris, odore fimilis papaveri; & quidem vis hypnotica hæret in fucco lacteo, reliqua planta tota refrigerat, diluit, nutrit.

Semina accenfentur Seminibus quatuor frigidis minoribus, & ad eadem valent, quæ Folia, inodora fere & infipida: adjunguntur Emulfionibus in febribus continuis, vigiliis, ftranguria & Gonorrhœa.

N. *LAMIUM* album non fœtens folio oblongo. C. B. *White Archangel or dead Nettle.* Vid. *Galliopfis.*

Flores faporis funt fubdulcis, aliquantum glutinofi & fubadftringentis.

Folia odoris non prorfus expertia, fed longe minus validi quam Lamii rubri, faporis herbacei, fubdulcis, fubadftringentis, & Decoctum coloris fufci fiebat addito Vitriolo Martis, Infufum in *Alftoni* experimentis viride, & Infufum fummitatum floridarum vix rubefecit folutionem Heliotropii.

Con-

Conserva summitatum vel decoctum in vino specifica esse dicitur in Fluore albo, & flores, in vino Clareto levissime coctos, sistere fluxum sanguinis hæmorrhoïdalem.

Commendatur tusa & imposita ad discutiendos tumores etiam scrophulosos.

C. *LAPATHUM.* Rumex Latinis. *Dock.*

Lapathum à λαπάζειν ab exinaniendo, quod foliorum decoctum alvum emolliat, & exinaniat.

1. *Lapathum folio acuto*, quod Oxylapathum *Dioscoridi* & *Plinio* C. B. *Sharp pointed Dock.*

2. *Lapathum aquaticum* folio cubitali C. B. Britannica Antiquorum vera *Muntingio*, sed *Dodonæo* mihique potius Hippolapathum *Dioscoridis*. *Great Water Dock.*

3. *Lapathum acetosum* vulgare. Acetosa pratensis C. B. *Common Sorrel. Raii Synops.* An Lapathum quartum Oxalis apud *Dioscoridem* dicta, & Oxylapathum *Galeni*? de hac vid. *Acetosa.*

Anceps aliquamdiu hæsi, an has Lapathi officinalis species collocarem sub titulo *Communium* nobis Veteribusque, an sub titulo *Dubiorum*: verum, quum non tantum omnes congeneres sint, etiam secundum Botanicos hodiernos, sed & viribus & qualitatibus similibus præditæ, spero, me tandem recte posuisse has Lapathi singulas species sub titulo primo.

Quidam refragantur Lapatha nostra esse Veterum, sed palam est, *Galeni* Oxylapathum fuisse Acetosam: inquit enim „ Oxylapathum est Lapathum „ acidum " & „ Oxalis & Oxylapathum simpliciter acida sunt, seu saporis „ acidi sinceri, & omnia hæc refrigerantia esse expertus sum ".

Miror *Muntingium*, & cum eo *Raium* affirmare, Hydrolapathum nostras descriptionibus *Britannicæ* apud Veteres per omnia respondere. Profecto, haud scrutati sunt Veterum scripta. Primo enim, apud *Dioscoridem* radix Britannicæ tenuis est & brevis, verum Hydrolapathi nostratis radix est crassa, lata ac manûs fere longitudine. Secundo, eodem authore *Dioscoride*, Britannica folia habet sylvestris Lapathi, quod parvum esse describit lib. II cap. 108. & in eodem capite Hippolapathi meminit, utpote oleris magni in paludibus nascentis, cui equidem Hydrolapathum nostras longe melius convenit, quam Lapatho sylvestri *Dioscoridis*: proinde quid fuerit Britannica apud *Dioscoridem* non liquet, sed hoc manifestum est, Hydrolapathi nostri radicem viribus, alvum leniter ciendi & adstringendi, aliis Lapathis & Rhabarbaro convenire.

De Lapatho hæc apud Veteres prostant: Mistam facultatem fortitum est, discutiens quiddam & repellens habens. Firmat commanducata radix dentes: eadem, cum vino decocta, sistit alvum. Sistunt muliebrem fluxum Radices

tritæ & subditæ. Ex aceto coctæ, aut etiamnum crudæ impositæ, lepras, impetigines & scabrosos ungues curant; sed ante locus nitro aut aceto in sole perfricandus est. Quin & earum decoctum pruritus corporis sedat vice fotûs affusum, aut in solia balnearum additum & affrictum.

Eædem aurium dolores leniunt itemque dentium, si in vino coctæ colluantur. Strumas parotidasque similiter in vino coctæ & impositæ discutiunt, aceto vero decoctæ & impositæ lienem extenuant.

Cum Vino decoctæ ac bibitæ regio morbo laborantes persanant, calculos vesicæ comminuunt, menstrua cient, & a scorpione ictis auxiliantur: necnon a cane rabido morsis, ulcere decocto radicis perfuso, herbaque imposita, & de ipsa bibentibus ægris.

In febre dandum Oxylapathum, v. g. nempe in Tertianæ febris exquisitæ curatione pro alimento moderatissime nutriente.

Oxylapathi Semen ex aqua aut vino utiliter bibitur contra dysenterias, cœliacorum affectus, stomachi fastidium & scorpionis ictum.

NOTÆ. Oxylapathi Folia subacida sunt & adstringentia.

Cocta comeduntur ut Brassica & alvum subducunt.

1. *Lapathi sanguinei* seu Lapathi folio sanguineo rubente C. B. Succus ruber est & acidus.

2. *Lapathi vulgaris* folio obtuso C. B. Juxta fimetum caules luxuriantes novi acidos fuisse instar Acetosæ.

3. *Rhapontici* folio Lapathi majoris glabri, Rha & Rheum Veterum C. B. de quo infra, Caulis egregie & grate acidus est.

4. *Lapathi folio acuto crispo* C. B. Folia magis rubefaciunt Chartam cæruleam quam Radix, argumento, ea plus acidi continere.

Oxylapathi Radix Odoris est gravis saporis amaricantis, adstringentis, & subacris. Decoctum saporis erat subdulcis, unde austeri & subacris in gutture, Rhabarbaro non dissimilis, tum croceo colore, tum sapore & operatione, ventrem solvens & sistens; omnia enim Lapatha majore dosi purgant.

Magis amara quam Rhaponticum & forte magis cathartica, & ut Rhabarbarum dupla dosi.

Decoctum flavi coloris mutatur ad nigrum, addito Vitriolo Martis. Succus valde adstringens est, & cum eodem cærulescit; spissescit cum liquoribus alcalinis; fluiditatem servat cum Acidis.

Succus mecum non mutabatur a Syrupo Violarum, attamen Radix Lapathi folio crispo rubefacit Chartam cæruleam.

Virtus Radicis, nempe Oxylapathi, extrahitur Aqua & Spiritu Vini rectificato, & utriusque Extractum satis amarum est, valde austerum.

Caro

Caro quæcunque quamvis vetus & dura, si cum Lapatho cujuscunque generis coquatur, tenera & mollis evadit. *Langham Hort. Sanitatis. Raii Hist.*

Extrinsecus loco lotionis, fotus vel unguenti adhibetur in scabie ferina, serpigine & herpete miliari; decoctumque cum effectu propinatur ad sanguinem repurgandum in morbis cutis pruriginosis & Erysipelate; necnon in Ictero ab experimentis recentiorum.

Semen omnium Lapathorum adstringit. Acuti saporis est valde adstringentis, simulque aliquid acrimoniæ se prodidit, & infusum cum Vitriolo Martis nigrescebat: frixum in dysenteria & lienteria valet.

Obtusi semen, in lacte coctum, hoc inspissabat.

C. *LAPIS Bezoar* Orientalis. *Oriental Bezoar.*

Hujus non meminere Græci antiqui, nec Latini, sed ejus primus meminit *Rhazis*, qui obiit A. D. 932, posteaque *Avenzoar*.

Occidentalis Bezoar primus meminit *Monardes* Hispalensis A. D. 1571.

NOTÆ. Lapidem Bezoar Orientalem inodorum & insipidum esse pronunciant aliqui, sed in quibusdam speciminibus odoris est mitis, grati, ad Ambram gryseam accedentis.

Super ferrum ignitum fœtet, & destillatus Sal volatile suggerit, cum animalis originis sit.

Vis absorbendi acida vitiosa, ei tributa, non stabilitur experimentis; plura enim sunt Acida cum quibus non ebullit: in experimentis *Fred. Slare* quoque non effervescebat cum Omphacio, aceto, Oleo Vitrioli forti aut diluto, Spiritu Salis, aut Nitri: nec equidem aliquid certi de aliis virtutibus traditur.

D. *LAPIS Calaminaris.* Ochra Zinci.

Quidam existimarunt, hunc esse Cadmiam antiquorum, sed perperam; Cadmia enim *Dioscoridis* recrementum erat æris, & Cadmia nativa *Plinii* Cuprum continebat, cujus Lapis Calaminaris nostras expers est. *Salmasius* tamen affirmat, antiquis cognitas fuisse duas species Cadmiæ, quarum una Cupri expers fuit, unde Orichalcum, vel Aurichalcum Veterum parabatur, luteo vel aureo colore inducto, addita Cadmea terra.

NOTÆ. Hic lapis saporis est nullius evidentis. Absorbet Acidum, cum Spiritu Nitri & Spiritu Vitrioli effervescens, in Spiritu Salis solubilis, ejusque & Spiritus Nitri aciditatem destruens; & ex hoc lapide cum Sale Ammoniaco producitur Spiritus volatilis, quemadmodum ex Calce viva & ex Sale Tartari cum Sale Ammoniaco.

 Igni

Igni validiori injectus mox tingit flammam instar Zinci, colore elegantissime viridi, qui tamen nec Sulphur nec Arsenicum redolet, sed odoris est mitioris singularis, & in flores levissimos, primum cærulescentes, dein gryseos, albos condensatur. Præter hanc volatilem partem, adest insuper in Lapide Calaminari plurimum Ferri, tum & Terra, non metallica, satis copiosa. Ferrum patet hinc, 1. Calcinando flavior fit. 2. Acidum marinum ex eo extrahit tincturam saturate flavam. 3. Cum Oleo calcinatus ferrum, magneti cedens, exhibebat.

Ulcera carne replet: infantum excoriationibus inspergitur: Ulcera & vulnera antiqua sanat; quamobrem Unguentum è Lapide Calaminari, aceto & oleo Olivarum ac Emplastra nonnulla inde fiunt.

Igni inditus donec rubefiat, & ter vel pluries in aceto extinctus, potenter repellit in inflammationibus palpebrarum, quin & non ablutus præstantissimus est in affectibus oculorum, & sæpe usurpatur ad tollendas pelliculas in oculis pecorum.

Porro & datus fuit interne, ejusque usus largus dicitur tutus fuisse in *Dysenteria.*

LAPIS Hæmatites. *Bloodstone.*

Noster non est *Dioscoridis* nec *Galeni.* Vide *Hæmatites..*

N. *LAPIS Hibernicus.* Ardesia Hibernica, seu Tegula Hibernica *Pharm. Paris.* *Irish Slate.*

Dicitur primum detectus fuisse in centuria ultima.

NOTÆ. Lapis est friabilis, coloris subcœrulei, vel nigrescentis, odorem sulphureum tractando & fumos sulphureos in igne emittens, aliquantum unctuosus, saporis plus minus acidi, austeri.

Experimenta non pauca instituta ad investigandam hujus Lapidis naturam prostant (p): hic imprimis notanda venit insignis varietas, quoad gradum aciditatis in hoc lapide, nempe aliquando saporis subdulcis, subacidi, adstringentis, & Vitriolum Martis redolentis, aliquando longe magis acidi, austeri, & aliquando aluminis instar, pro ratione ætatis, vel expositionis aëri, cujus acidum attrahendo Vitriolum Martis exhibet, unde sub terra plerumque mitior, & usui interno aptior, debiliorque, &, cum lacte coctus, hoc tantummodo inspissat, quum ditior lac evidenter coagulet.

Terram

(p) *Methodical Synopsis of Mineral Waters.*

Terram martialem huic adesse patet ab omnibus experimentis; 1. Sapore; 2. Tinctura ejus infusi in aqua cærulea vel purpurea, addito pulvere gallarum; 3. Efflorescentia vitriolica martiali, quam exhibet ut aliæ Pyritæ diu asservatus; 4. Colore rubro, quem acquirit calcinando, & simul majore duritie, argumento terræ argillaceæ.

Ab experimentis institutis, in loco citato memoratis, concludere fas duxi, hunc lapidem constare è terra bolari, sulphure, Vitriolo Martiali & tantillo Cupri. His addidit *D. Hill* Alumen, se ⅓ partem Aluminis è ditiore obtinuisse testans, quod & ipse ulteriore examine diversorum hujus generis lapidum confirmatum vidi sic:

1. Speciminis cujusdam hujus lapidis decoctum tincturam rubram extraxit è ligno Campechiano, ut Alumen, non cæruleam, ut Vitriolum.

2. Alterius decoctum forte exhibuit tincturam coccineam cum ligno Campechiano & cæruleam cum pulvere gallarum, argumento combinationis Vitrioli Martis cum Alumine.

3. Tertium ditius tincturam saturate rubram extraxit è ligno Campechiano, & calcinatum tincturam coccineam ex eodem ligno, sed cum pulvere gallarum nullam subiit mutationem, argumento Aluminis sine mixtura Vitrioli Martis.

Ab experimentis recensitis patet, compositionem hujus lapidis variam, & proinde vires & dosin incertas esse, quare vix damnum inferri Medicinæ, eam prorsus omittendo, etsi recte exhiberi dicatur in contusionibus internis, sanguinem scil. coagulando, ejus affluxum ad partem læsam præcavens; quin & in Miscellaneis Curiosis dicitur ad ʒß exhibitus, obstructiones aperire, menses movere, & præcipue Pleuritidi succurrere.

C. *LAPIS Judaicus*, *Aliis* Lapis Syriacus. *The Jews Stone.*

Dilutus nullam qualitatem gustu repræsentat, attamen ciceris magnitudine solutus ad cotem, collyrii instar, cum aquæ calidæ cyathis tribus, potu urinæ difficultati auxiliatur & vesicæ calculos frangit. Hæc *Dioscorides*, *Galenus* vero inquit „ In quibus nos experti sumus, in calculis renum efficax, sed in „ calculis vesicæ profecit nihil ".

NOTÆ. Est spinula Echini marini petrefacta, è Spatho puro constans, & proinde valide ebullit cum omnibus Acidis, in iis perfecte solubilis, in igne calcinabilis, & cito fit Calx viva, atque cum acido vertitur in naturam salinam, unde urinam promovet, arenulas & calculum pellit, inodorus & insipidus.

Brasavolus confirmat *Galeni* testimonium de efficacia ejus in Calculo renum.

Apud *Etmullerum* in urinæ difficultate & calculis solvitur in Spiritu Salis; quæ solutio inspissatur in cineribus, & coagulum pulverisatum per deliquium in cella vel alio loco frigido fluit. Credo medicamentum Lithontripticum nuper decantatum, *Liquid Shell* dictum, hoc modo, Solutione nempe terræ cujusvis calcariæ in Spiritu Salis, parari.

C. *LAPIS Lazuli* Arabum; *Dioscoridis* & *Galeni* Cyaneus, Latine Cæruleus. Lapis Lazuli obscure cæruleus, punctulis pyritaceis. Lapis stellatus *Alesus*. Sapphirus *Plinii*. *Walerii Mineralogie*. *The Azure Stone*.

Apud *Plinium* Lib. 37 Sect. 39 alterum Sapphiri genus prostat, in quo aurum punctis collucet cæruleis, a nostra Sapphiro prorsus discrepans, quæ & tota cærulea & pellucida est.

Vis ejus est modice erodere, crustas gignere & exulcerare: inest & ei nonnulla adstrictio, seu vis reprimendi.

Pulverisatus super palpebras facit nasci pilos, quia minuit & removet humores calidos, abstergens & stypticitatem habens, authore *Averroë*.

NOTÆ. Saporis est aliquantulum ærei, de Cupro participans, & proinde solvitur in Spiritu Salis, unde saporem Vitrioli Veneris acquirens.

Calcinando vaporem sulphureum emittit.

Orientali vis Electrica dicitur inesse, ut Succino in Miscellaneis Curiosis.

Analysin ejus tradit *Woodwardus*, afferendo, quod constet 1. substantia alba spathosa vel crystallina. 2. Micacea flava. 3 Marcasitica flava, calcinando emittente fumos sulphureos. 4. Cærulea, pictoribus *Ultramarine* dicta, quæ quando ditior; Cupri & tantillum Argenti exhibet. Tandem vero ulteriore indagine *Marggraafii* & aliorum patere videbitur, hunc Lapidem Argentum continere, sed non Cuprum, quoniam 1. Colorem suum cæruleum diu retinet in igne, quum Cuprum nunquam exhibet colorem, qui non statim evanescit in igne. 2. Spiritus Salis Ammoniaci, additus Solutioni cuilibet Lapidis Lazuli crudi vel calcinati, non exhibet colorem cæruleum.

Vide plura apud *Cronstedt*, *System of Mineralogie*.

Supra & infra purgat, sed, quum omnes partes ejus non sint æque saturatæ, dosis incerta est, unde &, ob violentiam operationis, haud locum meretur in Materia Medica.

D. *LAVENDULA* angustifolia C. B. *Common Lavender or Spike.*

Foliorum & Florum odor & sapor similis, sed florum fortior, Odorem enim tef-

possidet resinosum, aromaticum, validum, gratum, Saporem, calidum, aromaticum, subacrem, subamarum, subadstringentem, & ad finem amygdalas amaras resipit.

Infusum florum nigrescit cum Vitriolo Martis cum quo in secundo experimento viridescebat.

Infusum tantummodo diluit Syrupum Violarum, vix mutat solutionem Heliotropii.

Virtus extrahitur Aqua, sed Spiritu rectificato potentius.

NOTÆ. Oleum Spicæ vulgare nihil est nisi Oleum Terebinthinæ cum pauxillo Olei essentialis Lavendulæ.

Extrinsecus adhibetur in fotibus calefacientibus & roborantibus, in tumoribus frigidis, & speciatim Spiritus, a floribus aliquoties abstractus, in rheumatismis & arthritide declinante egregium adfert solamen, & in ulceribus antiquis, fistulosis, & in tendinosarum partium læsionibus plus opis præstat quam ingens emplastrorum & unguentorum farrago.

Ad membra paralytica & quæ frigiditate læsa sunt conducit Aqua & Spicæ herba frictu & fotu, ea calefaciens, & pristino vigori restituens atque tremorem auferens.

Adhibentur quoque Flores in Masticatoriis ad exsiccandum & revellendum in catarrhis, salivam copiose elicientes, & in aphonia, spiritu, in quo flores infusi sunt, sacchar instillato, tarde in ore soluto, & contra pediculos nil melius Oleo Spicæ, Aqua florum pediculos capitis & pubis lotione fugat.

Interne utuntur in urina, mensibus ac fœtu pellendis, & in torminibus flatulentis: egregium præbent auxilium senibus vertiginosis, nisi malum oriatur ab inflammatione intra caput, tunc enim maxime nocent. Prosunt quoque in memoriæ debilitate, sal volatile penetrantissimum habentes, quod serum superfluum, nervis adhærens, dissipat.

Lavendula operationem suam fere totam absolvit instar explosionis sclopeti, cito avolans, secus quam stæchas, qui diutius in sanguine hæret, hinc in quibusdam affectibus capitis nimis implet & minus tuta est quam stæchas.

C. *LAUREOLA* semper virens flore viridi C. B. Græce Daphnoides, Latine Laureola, a similitudine foliorum Lauri. *Spurge Laurel or Dwarf Laurel.*

Omnibus fere notis convenit Daphnoidi *Dioscoridis.*

Gustatu foliorum os & fauces incenduntur.

Commanducatum folium pituitam è capite extrahit, sternutamenta movet. Folium, seu recens seu aridum, in potu pituitosa per alvum dejicit, vomitus quoque ac menses ciet.

Baccæ quindecim potæ purgant.

NOTÆ. Folia, Fructus & Cortex os urunt. Folia aliquantum mucilaginosa, & Baccæ dulces primo gustatu, mox os & fauces excalfaciunt ut piper, calore vero longe diutius durante, scil ad 16 vel 20 horas, & omnes dictæ partes violenter purgant pituitosos & biliosos humores.

Folia, cuti applicata, caustica sunt. Pulvis in aceto maceratus, dein siccatus, utilissimus esse perhibetur in vulneribus ubi gangrænæ metus.

Qui ægre desudant trito semine cum aceto inunguntur.

Rustici dicuntur se purgare longe minore dosi quam supra, *Dioscoridi* præscripta, sc. baccarum N°. iij vel iv, & sæpius inde excitari vomitum, hypercatharses vel dysenteriam.

In Aceto macerando corrigi potest.

C. LAURUS.

1. *Laurus vulg.* C. B. *The common Baytree*

2. *Laurus latifolia platytera Dioscoridis* C. B. *The broader leaved Bay-tree.*

Similiter apud *Dioscoridem* duplex est: una tenui folio, altera latiore.

Folia deficcant & calfaciunt vehementer, ac, si recentia sunt, aliquantulum adstringunt.

Trita & illita vesparum apumque ictibus auxiliantur. Eadem adhibita cum polenta & pane, ad inflammationem quamlibet leniendam, valent. Antisepticæ sunt, authore *Galeno*, dum ait. „ Ne putrescat Medulla aut Adeps, aut „ situm colligant, in ædibus siccis atque editis & ad aquilonem obversis, par„ vasque habentibus fenestras apertas, cum foliis Lauri siccis repono ".

In remedio Uvulæ relaxatæ prodest, quadrantem pondo baccarum foliorumve decoquere in aquæ sextarus tribus ad tertias, eaque calida gargarizare.

Decoctum ex foliis insessu vulvæ ac vesicæ vitiis convenit.

Pota stomachum gravant & vomitiones cient.

Commanducata, atque devorata per triduum terna, liberant à tussi. Eadem prosunt suspiriis trita cum melle.

Baccæ calidissimæ sunt, magis calfacientes quam Folia. In medicamentis inferuntur, quæ nervorum lassitudines reficiunt, & acopa vocantur, atque unguentis, quæ calfaciunt & discutiunt.

Prostant in compositione *Andromachi* ad ischiadicos, & in tumore frigido flatuoso, oleo incoctæ, usu externo. necnon in cura Icteri in oleo coctæ expurgant colorationes, & sudores movent post exsurrectionem mane a somno fricatæ.

Perunctos succo fugiunt venenata omnia.

Cutis

Cutis pruriginem succus baccarum emendat & phthiriasin: Vitiligines emaculat (q).

In Epinyctidibus, ulceribus manantibus & ulceribus oris ac furfuribus ex Oleo illiniuntur.

Expressus ex iis succus aurium doloribus auditûsque gravitati auxiliatur cum vino vetere & rosaceo instillatus.

In eclegmate tritæ cum melle aut passo, authore *Dioscoride*, prosunt tabi, orthopnœæ & in pectus destillationibus; authore *Plinio*, tussim veterem sanant binæ, detracto cortice, in vino potæ: si & febris sit, ex aqua aut eclegmate ex aqua mulsa, aut ex passo decoctæ; concoquunt enim pituitam & extrahunt: in tabidis tamen cum sanguinis rejectatione recte vetat *Galenus* ob calorem baccarum.

Contra Scorpionum ictus ex vino bibuntur, decem baccis potui datis.

NOTÆ. Folia ejusdem fere odoris sunt & saporis ac baccæ, sed mitiora & minus oleosa, cum odoris sint grati, aromatici, saporis acris, calidi, amaricantis, & simul subadstringentis, adstrictione in viridibus evidentiore: infusum eorum quoque evidenter adstringens, & tum infusum, tum decoctum cum Vitriolo Martis viride fiebat; hinc stabilitur vis adstringens, his foliis a Veteribus tributa.

Vires similes his tribuuntur ac baccis, urinam & menses cientes, in colica, ac cruditatibus ventriculi prodesse, & in clysteribus in colica.

Trita olfactaque pestilentiæ contagia prohibent, & tanto magis, si urantur.

Quidam ex Veteribus volunt folia Ventriculum subvertere; verum revera nauseabundum corroborant potius, hinc cum nonnullis cibariis, præsertim piscibus, coquuntur.

Baccæ sunt in censu calidissimorum remediorum, (aroma Europæum, aromatibus Indicis substituendum;) Junipero affines, Oleum quoque copiosum & satis spirituum urinosorum cum acido per destillationem exhibentes, odoris & saporis valide aromatici, calidæ, amaræ, acres, pingues & oleosæ. Oleum duplex continent, *unum* crassius unguinosum, expressione separandum, baccis maturis in aqua coctis, & ubi diu ferbuerint, Oleum supernatans pennis auferendo: *alterum*, subtile æthereum valde aromaticum, in quo hæret virtus præcipua.

Usu externo, in emplastro vel cataplasmate tumores frigidos discutiunt, &

in

(q) Sic Oleum laurinum unguento vivo jungitur apud recentes.

in vino coctæ, in atonia partium paralytode, & doloribus a partu egregiæ sunt; atque adduntur Clysmatibus carminativis & anodynis.

Oleum expressum dolores, a frigiditate ortos, sedat in hominibus & pecoribus, partibusque, scabie aut paralysi laborantibus, valde utile.

Interne ventriculum refrigeratum calefaciunt, concoctionem humorum crudorum promovent, languentem appetitum excitant, transpirationem abundantem producunt, egregie carminativæ sunt. Oleum destillatum ad guttas v egregium est Anticolicum. Diureticæ & emmenagogæ, & apud *Hippocratem* dantur ad partum accelerandum. *Matthiolus* autem præcipit parturientibus Baccas vj vel vij sumendas.

C *LENS.* Lenticula. Lens vulgaris C. B. *Lentils.*

Ut Cibus & Jusculum (*r*) antiquo tempore nota & jam apud Orientales in frequenti usu fuit Lens: hi enim Lentibus, facile solutis in massam (*s*), jusculum exhibentem, coloris Cocoladæ utebantur.

Lenticulæ succus degustatus, perspicuam mixturam repræsentat, tanquam nitroso austeram: hinc intelligitur operatio ejus diversa, quemadmodum Brassicæ: scil. Lentem aut Brassicam decoquito, postea decoctum Oleo, garo piperique conditum, propinato; videbis quidem potione alvum dilui, solidi autem corporis esu constipari. Corticem equidem habet magis adstringentem. Caro crassi est succi ac terrei, austeram qualitatem habens exiguam, cujus cortex multæ est particeps. Hinc Lens, cum cortice cocta, alvum sistit, sed si detracto ante cortice, accurate decoquatur, prima aqua, inter coquendum effusa, alvum solvit.

Contra, bis coctæ Lentes facultatem habent succo contrariam, ut quæ Ventris fluxus siccent, stomachum & intestina corroborent, quamobrem cœliacis & dysentericis cibus est accommodus. & usu externo decoctæ Lentis succus ad Oris exulcerationes & genitalium, ut purgans, & adstringens usurpatur; pernionibus lenticulæ coctæ & tritæ cataplasma proderit, ut & ulceribus, difficile cicatricem trahentibus.

Lens vero decorticata, adstringendi vehementiam amittit, & tunc magis nutrit, quam quæ cortice spoliata non est; succum crassum parvumque gignit, tarde commeat, non tamen Alvum desiccat, uti ea, cui cortex non est ademptus. Jure igitur qui largius hoc edulio utuntur in elephantiasin & cancros incurrunt, siquidem crassa siccaque cibaria succo melancholico generando

(*r*) Genesis XXV. 30. 34.
(*s*) *Shaw's Travels.*

do sunt idonea: quare iis duntaxat, quibus aquea in carnibus cachexia, Lens in cibo utiliter præbetur, sicuti aridis & squallentibus admodum damnosæ: Menstruis purgationibus non accommoda, crassum enim & tardiorem sanguinem reddit, at muliebri profluvio est utilissima. Ab esu earum multo cavere debet senex.

Inter legumina pessimum, etsi valentioris alimenti sit quam Pisum: frequenti enim cibo aciem oculorum obtundit, ægre concoquitur, stomachum lædit & intestina inflat; insomnia tumultuosa excitat, nervosis partibus, pulmoni capitique contraria.

Præter vim purgantem & adstringentem Lenti quoque adest aliquid dolorem mitigans, & quodammodo refrigerans: nam in inflammatis Columellis, post usum acerborum, v. g. gallæ & aluminis, oportet Lentium decocto gargarizare, utpote asperitudinem, ab ipsis inductam, mitigante: & in ambustis sanandis Lens, ex aqua semicocta, imponitur, procedente vero curatione Lens cruda conteritur, ejectoque ejus furfure, decoquitur, sic imponitur, & postea mel adjicitur. Dolor vehemens in inflammationibus mitigatur cataplasmate ex arnoglosso, lente, pane & rosaceo oleo; in Carbunculis autem ex Lente cocta cum mica panis tenera, utpote modice reprimente & simul digerente. In Herpete exedente, refrigerari desiderante, Lens adjungitur capreolis vitis; foliis rubi & arnoglossi: decocta Lens cum polenta imposita que podagras lenit, ulcerum crustas circumquaque rumpit, & ulcera ipsa repurgat.

Nec Lentis usus internus prorsus damnandus; nam, præter supra dicta à *Galeno*, Lens bene cocta deponit ventositatem, & additis pulegio & satureia suavior fit & concoctu facilior; authore autem *Dioscoride*, decorticata Lentis grana triginta devorataque contra subversiones stomachi prosunt: & *Galenus* in victu ad capitis dolorem ex ebrietate & meri potu meminit Lentis, utpote cibi non calefacientis.

NOTÆ. Semen inodorum, nisi pisum forte redolens, consistentiæ & saporis ut viciæ. Cortex eadem ratione se habet ad carnem, ac Cortex Fabæ majoris ad suam carnem, scil. longe magis adstringens.

Usu externo ad durities & tumores discutiendos valet.

Decoctum leve alvum quodammodo laxat vel potius sistit sed prima aqua est detergens, edulcorans, & utiliter adhibetur pro fotu in variolis, si expectetur donec inflammatio inceperit cessare, & suppuratio inchoaverit. Porro, authore *Hoffmanno*, Lentium decoctum cum caricis & semine fœniculi utuntur plebeii maximo cum fructu in Variolis & morbillis ad exanthematum eruptio-

 nem;

nem; materiæ enim morbidæ acrimoniam mitigando spasmos & dolores sistit, & hac ratione eruptionem promovet. Confer similes vires *Ciceris*.

Primum decocti Lentis Jus lumbricos puerorum expellit, ut cito convalescant, authore *Trago*.

C. *LEPIDIUM.* Lepidium latifolium C. B. *Dittander. Pepperwort.* Lepidium dictum, quod λεπίδας seu squammas & maculas faciei deleat.

Confunditur Lepidium cum Iberide a plerisque nisi *Plinio*, qui Lepidium describit foliis laurinis, quum Iberis folia habet nasturtii: proinde ex *Plinio* depromendæ sunt vires, quæ Iberidi videntur similes. Vide *Iberis*.

Lepidium inter urentia locatur: hinc in facie cutem emendat exulcerando, sic tamen ut cera & rosaceo facile sanetur, lepras & psoras eodem modo tollit & cicatricum ulcera. Tradunt in dolore dentium alligatum brachio lateris affecti, convertere dolorem (*t*).

NOTÆ. Saporis est acerrimi, calidissimi, præsertim Radix, urentis & amari, acrimonia tamen masticanti non diu durante, instar piperis, unde nomen Anglicum, & quidam in cibis utuntur ut pipere, fortior quam Nasturtium & quam Raphanus rusticanus, cui odore fere similis. Commanducata pituitam elicit.

Chartam cæruleam rubefacit.

Exsiccando perit acrimonia, sed recentis acrimonia extrahitur Aqua & Spiritu Vini rectificato: cum utraque elevatur in destillatione.

Vesicas excitat, & cum axungia trita, impositaque dolori ischiadico, & podagræ auxiliatur.

Antiscorbutica est optima hæc Radix, si caute usurpata & cum aceto temperata sit, sin imprudenter, urit ventriculum: alias pituitam acidam ventriculi corrigit, ejusque cruditates viscidas absumit, & appetitum egregie excitat.

In *Actis Germanicis* commendatur, ut euporiston in scorbuto frigido, foliis recentibus lotis superstratis pani, butyro illito, & masticatis, sic omni acrimonia conticescente.

Apud nos in comitatu Corcagiensi æque ac in Angliâ, exhibetur ad partum accelerandum.

C. *LEU-*

(*t*) Excitat enim pustulam, quæ humoris impetum, quo dens vexatur, ad brachium revocat.

C. *LEUCOIUM* luteum vulg. C. B. *Wall-flower*. Græce Leucoion. Arabice Cheiri. Quamvis si interpreteris Leucoion, albam Violam dixeris, uno tamen nomine omnes, nempe luteæ, purpureæ & albæ intelliguntur. Antiqui luteas magis laudabant, & nunc Medici iis potissimum utuntur.

Est medicamentum, si quod aliud, amarum. Flores oculorum cicatrices crassas extenuant.

Aridi flores fervefacti in desessionibus valent in vulvæ Morbis, menstruaque pellunt: &, si quis virium eorum vehementiam multa aqua aut alia re admista retundat ac mitiget, habebit ad phlegmonem non malum medicamen. Sic & decoctum ejus, si non meracum fuerit, fomento uteri phlegmonas sanat, præsertim quam diuturno tempore ad scirrhi modum induruere.

Menses quoque decoctum florum movet, secundas fœtusque mortuos elicit, ac, si bibatur, abortum facit.

Cerato excepti & impositi Ulcera, ægre ad cicatricem pervenientia, & rimas sedis curant; cum melle oris ulcera, quæ aphthæ dicuntur, sanant.

Semen ejusdem facultatis est, & duarum drachmarum pondere ex vino pôtum, aut cum melle subditum, menses, secundas & partus extrahit.

NOTÆ. Flores odoris suavis, fragrantis sunt, vi sua aromatica capitis gravitatem inducentes, saporis amari, in decocto & extracto valde amari, & partim salsi, subacris, quodammodo instar Nasturtii, & Aquam destillatam, dum recens est, similis odoris & saporis præbet.

Vires extrahuntur cum tinctura saturate flava, aqua & spiritu Vini.

Folia valde amara cum acrimonia & odore Nasturtiorum, & mucilaginosa.

E Floribus fit Oleum, infusione paratum, tumoribus frigidis resolvendis, doloribus sedandis & nervis roborandis idoneum; est quoque insigne anodynum in vulneribus & inflammationibus partium nervosarum.

Decoctum florum cum foliis tumores scirrhosos emollit.

Succus instillatus maculas & visus obscuritatem tollit.

Florum infusum frigidum cephalicum est, & utile iis, qui obnoxii stupori, paralysi & morbis convulsivis.

Floribus vel Succo expresso vix præstantius habetur remedium ad menses pellendos, fœtum & secundinas propulsandas; nec fere præstantius dari remedium quam Succus expressus, e Cerevisia calida bis die sumptus, ad obstructiones hepatis recludendas in Ictero inveterato, author est *Hoffmannus*.

D. *LEVISTICUM.* Liguſticum vulg. Apii folio C. B. *Lovage.*

NOTÆ. Tota planta ſucco flavo gummi-reſinoſo, fere ſimili Opopanaci, abundat, & ſimilibus Angelicæ atque Imperatoriæ vicina eſt.

Folia odoris ſunt perquam fortis & diffuſibilis, aromatici, ad Angelicæ naturam proxime accedentis, ſed minus grata, vel potius quaſi intermedia inter Apia & Aromata, ſaporis ſubacris, ſubamari, & diu maſticata ſatis calida.

Decocti reſidui a deſtillatione amareſcens erat, ſubadſtringens, & atro-viride, addito Vitriolo Martis, evaſit.

Aqua deſtillata valet, ſed non habet acrimoniam herbæ maſticatæ.

Folia contuſa & cum farina, ſale & vino extrinſecus applicata, ad expediendos dolores, medullitus ad oſſa hærentes, feliciter uſurpantur. Talis applicatio contumaciſſimos fundit tumores, illosque mammarum frigidos optime reſolvit.

Omnes Levistici partes ſingulariter laudantur in morbis fœminarum, ſpeciatim ſola ad menſes & lochia movenda, necnon diuretica ſunt.

Radix ſaporis eſt calidi, acris, amari, multo fortioris quam folium; longoque tempore guſtum & olfactum afficit, minus calida quam Imperatoria, ſed odoris fortioris, adeſt quoque Radici dulcedo ſingularis.

Siccata & pulveriſata inſervit Cibis condiendis, ut Piper.

Coctionem non fert ob volatilitatem, hinc Extractum aquoſum perdit aroma, ſed retinet dulcedinem, verum Extractum ſpirituoſum retinet utrumque.

Contuſa, cum ſale & vino applicata, ad eadem valet, ad quæ Folia ſupra; porro & dicitur eſſe ſuppurans bonum.

Eſt egregie carminativa, ſtomacho frigido utilis, concoctionem adjuvat, ſuperfluas humiditates conſumit, Menſes provocat, ad ſuffocationem hyſtericam laudatur, ac in partu difficili, & cunctantibus a partu lochiis medetur. Urinam educit.

Semen graveolentius eſt quam reliquæ partes, ſaporis aromatici, calidi, ſubacris, amaricantis, ferventius quam radix, & Ligures veteres; hodie Hetruſci pro pipere utuntur. Coctionem non fert.

Carminans eſt uſitatiſſimum in mulieribus, ſive in graviditate, ſive in torminibus poſt partum. Primario adhibetur ubi acidum in primis viis peccat, quando ventriculus refrigeratus eſt a viſcido, & in flatibus diſcutiendis.

Menſes movet & Urinam, quæ inde nigra fieri fertur. ʒß dicitur ſufficere promovendis menſibus & ſudoribus.

D. LI.

D. *LICHEN*, five Hepatica vulg. *Raii Hist. Liverwort.* Vid. *Hepatica.*

N. *LICHEN* cinereus terrestris *Raii. Ashcoloured Ground Liverwort.*

Inodorus, nisi quod decoctum ingratum quid redoleat, saporis muculi, fastidiosi, infusum in aqua subdulce & adstringens, sed a Vitriolo Martis non mutabatur.

D. Mead asserit calidum esse diureticum, & apud nostrates ruricolas audivi, potum ejus, instar Teæ usurpatum, in calculo profuisse; contra tusses adhibitum fuisse author est *Floyerus.*

Adversus morsum Canis rabidi egregium est remedium, pulverem Antilyssum in *Pharmacopœia Londinensi* ingrediens.

N. *LIGNUM* *tinctile Campechense. Logwood.*

In aqua subsidet, Usurpatur ad tingendum colore cæruleo, purpureo & nigro: Saporis est dulcis instar glycyrrhizæ, valideque adstringentis & amaricantis, odoris non ingrati.

Cum Aquis Chalybeatis & cum solutione Salis Martis debui colorem exhibet cæruleum.

Vires extrahuntur Spiritu Vini & Aqua, sed magis perfecte a Spiritu Vini, proinde Extractum ejus optime conficitur inspissando decoctum aquosum, dein addendo Tincturam spirituosam.

In Dysenteriis inveteratis decoctum cum ½ lactis optimum est remedium.

D. *LIGNUM* *Rhodium. Rose Wood or Rhodium.* Vid. *Aspalathus.*

Quid sit magna inter auctores dissensio est.

NOTÆ. In aqua subsidet, flammam nutrit, oleum fusco-rubrum exsudans. Odor est ut Rosæ & Oleum hinc extractum est primarium ex odoramentis, usurpatis in Pomato & linimentis. Odorem suum impertit Aquæ & Spiritui Vini rectificato, in ultimo odorem plus retinens. Saporis est calidi, aromatici, amaricantis & subadstringentis.

℔j ligni dicitur ℥j Olei dimittere.

D. *LIGUSTRUM* Germanicum C. B. *Privet.*

Cyprus *Dioscoridis* idemne sit cum Ligustro nostro ampla est controversia. Negat *Salmasius* & *Raius*, quoniam nec in arboream magnitudinem unquam excrescit, nec folia ejus capillum rufant, quæ Cypri apud *Dioscoridem* notæ sunt.

NOTÆ. Folia odoris sunt mitis, grati, & quasi nucleum Mali Persicæ redo-

redolentis; saporis amari, adstringentis, subacris in gutture, acrimonia quadam leni diu durante & fere os excoriante. Succus viscosus, austerus, amaricans, acris. Infusum & decoctum cum Vitriolo Martis viride fit.

Succus spissescit tum cum liquoribus alcalinis, tum cum Oleo Sulphuris per campanam, proinde notas Acidi & Alcali exhibet: sic & Chartam cæruleam rubefaciunt folia, sed longe minus quam Flores & Fructus.

Ligustrum vulnerarium est insigne adstringens, detergens & antisepticum. Pulverisata folia prosunt inspersa calidis & depascentibus ulceribus.

Conducunt ad inflammationes, putredines, exulcerationes oris & faucium, ad procidentiam & tumorem Uvæ, ad laxitatem gingivarum collutione, & ad prolapsum Ani. *Celsus* jubet mandere, succumque in ore continere in ulceribus gingivarum. Decoctum ambusta sanat. In Aphthis exulceratis decoctum gargarismatis forma vel succus cum melle insigne est.

Flores odoris sunt dulcis, saporis austeri, amari, nucleum Mali Persicæ redolentes, & fere excoriant linguam: Infusum, ut Foliorum, atro-viride fiebat cum Vitriolo Martis.

Baccæ maturæ quoque adstringentes sunt & amaricantes, proinde Flores & Fructus qualitatibus sensilibus Foliis conveniunt.

C. *LILIUM Album* flore erecto & vulg. C. B. *White Lily*.

" Ex græco *λείριον*, quod tamen Græcis non Lilium tantum, sed etiam
" Narcissum designat, & frequentius quidem hoc quam illud, præsertim an-
" tiquis. Sane *Theophrastus* non aliter vocem *λείριον* frequentat, quam pro
" Narcissi genere, cui Lilium *κρίνον*, ut omnibus aliis posterioribus Græcis.
" *Plinius*, cum hoc minime advertisset, in eam incidit hallucinationem in qua
" ubique perseverat, *λείριον Theophrasti* esse Lilium Latinorum, *Salmasius*.

Nullus Antiquorum *album* addidit, sed absolute Lilium aut Lirium dicunt; *Dioscorides* tamen duo genera agnovisse videtur, dum scribit & rubra Lilia esse. *Plinio* triplex, album, rubens, purpureum.

Flos temperaturam mistam habet, scil. partim ex essentia tenuium partium & partim terrena, ex qua utique habet, ut gustu sit amarus, partim ex aqueâ, eâque temperatâ. Hinc Oleum & Unguentum, quod ex eo conficitur, citra morsum, digerendi seu discutiendi, & molliendi facultatem obtinet, unde fit ut uteri duritiebus sit aptissimum, necnon in ejus inflammationibus conducens.

Folia decocta adustis proficiunt, & ad obductam cicatricem imponuntur, non in ambustionibus duntaxat, sed in aliis quoque ulceribus. Reposuimus, inquit *Galenus*, quandoque succum foliorum, cum aceto & melle coctum, succus quinque partibus plus utroque erat, eratque insigne Medicamentum ad omnia

omnia ea, quæ valenter exficcari postulant fine morsu, tum ad vulnera omnia ingentia, & maxime quæ in capitibus Musculorum eveniunt, tum ad ea ulcera, quæ nimis mollia & diuturna, atque ægre ad cicatricem perducuntur.

Imposita folia serpentium morsibus opitulantur.

Radices propter clavos pedum decoquuntur, & triduo non folvuntur. Cum adipe aut oleo decoctæ pilos adustis reddunt.

Ad serpentium ictus ex vino bibuntur, & bulbus tritus morsui apponitur.

Tritæ cum aceto, hyoscyami foliis & farina tritici, testium inflammationes demulcent

Plus inest abstergentis facultatis Radici quam foliis nam primi ordinis est abstergentium medicamentorum, itaque cum aut vitiligines, aut achores, aut psoram, aut aliquid id genus extergere volumus, commiscemus ei aliquid aliorum medicamentorum, validius extergentium, cujusmodi est mel. Hinc cum melle detrita vitiligines, lepras & furfures emendat: quin & ulcera in capite manantia extergit, faciemque abstergit simul & erugat.

Porro, inassata radix & ex rosaceo trita ambusta sanat, vulvam emollit, menstrua ciet, ulceraque cicatrice obducit.

NOTÆ. Flores odoris sunt suavis fragrantissimi, qui, diu naribus excepti, vertiginem, dolorem capitis & temulentiam inducit, qui odor per exficcationem prorsus perit: saporis sunt amaricantis, mucilaginem aqueam in se temperatam habent, hincque vim egregiè anodynam, simulque digestivam & maturativam.

Infusum florum post biduam macerationem non rubefecit Syrupum Violarum, nec solutionem Heliotropii.

Alcalescentes potius quam acescentes videntur, nam aqua vel oleum, in quibus diu, v. g. xv dies, infusi sunt, putrescit & fœtet: proinde triduum sufficit infusioni parandæ. Hoc Oleum ingreditur enemata, acredinem temperantia & laxantia; porro tensa remittit, dura emollit, dolores sedat, & igni ambustis medetur, necnon anthracibus illita. Adhibetur & in doloribus colicis, nephritide & pleuritide.

Radix odoris est leviter oleosi, viscosa, saporis subdulcis, subamara, magis discutiens quam radix Althææ, & plus ei inest abstergentis facultatis, quam Foliis.

Diu asservata, ut supra notatum de Flore, putrescit, nec fert exficcationem. nam Bulbus, qui pendet ℥iv, exficcatus pendet drachmam.

Emollit, digerit, resolvit, acredinem temperat; & recens cocta in cataplasmate omnes abscessus maturari & suppurari facit, simulque dolorem sedat. Vulnera glutinat: In fotu pudenda parturientium emollit, & in clysteribus con-

convenit, ad scybala emolliendà primum obtinens locum. Elixa, axungia vetere excepta, pedum clavos evellit, sed ante triduum removeri non debet. Calido cinere tosta postea que tusa, & cum Oleo rosaceo temperata, ac cataplasmatis instar imposita, ambustis efficaciter medetur.

Omnia capitis manantia aliaque maligna ulcera & maculæ cutis, imprimis faciei hac radice, cum melle subacta, curantur.

Folia Odoris sunt ut Sambuci, &, ut Caules, succo lento, glutinoso redundant, & amarescentia sunt.

Tergunt, digerunt, emolliunt, sed imbecillius quam radix.

D. *LILIUM convallium album* C. B. *Lily convally, May Lily.*

Forte Lilium inter spinas *Salomonis*, Botanicorum Regis.

NOTÆ. Flores odoris sunt gratissimi, qui exsiccando perit, saporis acris & amarissimi in materie fixa residentis. Exsiccati ptarmicum insigne præbent & mite, non statim, ut Tabacum, sternutationem excitans.

Salem essentialem acidulam his floribus inhærere patet hinc. Si infundantur aquæ simplici aut spiritui vini per horas aliquot, & deinde solutioni filtratæ affundatur liquor alcalinus, parva granula saporis nitroso salsi dejiciuntur.

Contra epilepsiam aliosque morbos convulsivos, paralysin & apoplexiam instar Teæ infusi & poti prosunt: dantur in Conserva in dejectione spirituum & debilitate functionum vitalium. Authore *Trago*, si Vino generoso macerentur & aliquoties destillentur, hæc Aqua, ad mensuram Cochlearis pota, loquelam amissam restituit, syncope correptis auxilio est, tormina sedat, cor & cerebrum roborat.

Radix quoque odoris dulcis est, sed non similis florum, & saporis primo subdulcis, dein ingrate amari.

Efficax est Errhinum sine periculo caloris vehementis aut inflammationis.

N. *LIMONIA* malus. Malus Limonia acida C. B. *The Lemon tree.*

Vid. *Arantium & Citria malus.*

Cum *Brasavola* consentire vellem iis, qui speciem Citriorum faciunt: hoc ad minimum ratum sit, Limones, hodie dictos, fructus à priscis non describi, vel sub nomine Citri comprehendi.

NOTÆ. Succus Citri vires æmulatur, sed magis acidus, quam succus Citri vel Aurantiorum, saporis nempe acidi, subdulcis, grati, subadstringentis.

Dentes afficit sensu quodam asperitatis, eos quodammodo corrodens, &, authore *Cratone* aliisque, est admodum efficax in dissolvendis Calculis; & in expe-

experimentis *D. Lobb* cum calculo quodam renali valide effervescebat pluriumque dierum infusione Calculi fragmenta solvebat.

Antisepticus est, magis efficax ad carnem ovinam putridam restituendam, quam Acidum salis marini: impedit fermentationem carnis & vegetabilium.

Guttæ aliquot instillatæ sanant ulcera oris scorbutica, & Cochlearia tria omni mane, vel Extractum succi (quod fortius est) sumuntur ad scorbutum præcavendum & curandum.

Potum gratum refrigerantem, sacchara edulcoratum, Limonada dictum exhibet a ʒ j ad ℥ß in aquæ ℔j in febribus ardentibus, biliosis, putridis, malignis.

Ventriculum roborat, ut ingesta retineat, vomitum & alvi fluxum sistit: Vermes necat: Urinam movet.

Nocet iis, qui tussi vel Ulceribus renum aut vesicæ laborant; & frequentius, aut nimia copia assumptum, Aphthas facere in ventriculo, unde succedit lienteria, author est *Duretus*.

A ℈j vel ʒß ad ℥j salis Absinthii frequentissimo in usu est quatenus Vomitum biliosum sistens, & in febre Intermittente, cortici Peruviano præmissus.

Hoc succo literæ scribantur occultæ, quæ, igni admotæ, manifestantur.

Cortex odoris est gratissimi, aromatici, saporis amari, subacris, magis amari quam Citri. Serva mea cortices tractando & separando per totum diem exercitata, vertiginosa fiebat cum pallore & ægritudine.

Pressus oleum emittit e vesiculis ovalibus id continentibus.

Aqua destillata odorem & saporem aromaticum mecum retinuit per tres annos & ultra.

Odor ejus, copiose sumti, sentitur in Urina.

D. *LINARIA* vulg. lutea flore majore C. B. *Toad flax*.

An sit *Osyris Dioscoridis* non liquet.

NOTÆ. Folia & Flores fricta odorem habent sambuci, gustum amaricantem, salsum, mucilaginosum. Flores satis rubefaciunt Chartam cæruleam, Folia neutiquam.

Extus applicata utilis est in phlegmone & erysipelate, fibras emolliens simulque resolvens & insigniter anodyna. Cataplasmate & fotu nihil præstantius ad minuendos dolores hæmorrhoidum.

Urinam potenter pellit, unde hydropicis prodest, haustolo decocti mane jejunis sumpto, & abstergendi vi eccoprotica est; Ictericis, etiam ad hydropem spectantibus, efficacissimum præstat commodum decocta in vino.

Succus, oculis inditus, eorum inflammationes & ruborem tollit, Cancros & fistulas linteolis imposita, item maculas & faciei vitia emendat.

Confer *Vires Sambuci.*

LINGUA CERVINA. *Hartstongue.* Vide *Phyllitis.*

C. *LINUM SATIVUM* C. B. *Flax.*

Semen dicitur calefacere primo ordine. Nonnulli frixo ipso, ut obsonio, cum garo, non secus ac salsitio sale, utuntur, rustici eo utuntur saepe frixo tosoque, mel admiscentes. quidam panibus quoque ipsum aspergunt: stomacho autem noxium est & coctu difficile, exiguumque alimentum corpori exhibet, flatuosum est, etiamsi torreatur. Torrefactum ventrem aliquatenus sistit, sed habet exiguam vim urinae ciendae. Cibus & medicamen est, semen provocans, venerem stimulans, si melli & piperi, placentae modo, largius sumatur.

Si in aqua coquas, refrigerantem cremorem efficit.

Discutit & emollit omnem intus forisque inflammationem cum melle, oleo & aqua exigua decoctum, aut melle cocto exceptum: hinc, quibus febres graves & hypochondria sunt tensa, lenitur semine tepido ex oleo & aqua cocto: scil. mollit Lini semen, nec manifeste calefacit; talia autem maxime expostulat phlegmone omnis. Hinc vulvae inflammationibus insessu perquam utile; anginas sedat in oleo & aqua decoctum, cum aniso illitum, & ejus decoctum adversus intestinorum ac vulvae erosiones, itemque ad evocanda alvi excrementa, infunditur. Contra dolorem ex semine crudo fomenta fiunt, & privatim in laterum doloribus ab hypochondriis usque ad mammas cataplasma ex semine imponitur.

Educit quae intra pectus haerent, cum melle, eclegmatis vice, sumptum, ac tussim etiam lenit; & pueros tussientes nutriunt semine cum Ovi assati vitello, & cum sesamo cocto.

Emendat & crudum vitia cutis ab insolatione, ac varos cum nitro & ficubus impositum; cum lixivio vero, vel cum adipe, melle aut cera parotidas duritiasque discutit. Herpetes & favos cum vino decoctum expurgat. Oculorum aciem succo adjuvat.

NOTÆ. Charta scriptoria, ex Lini Cortice parata, ad consistentiam gelatinae cocta, est remedium potens in diarrhoea. Vide *Hydrogal. chartae.* apud *Fullerum*, quod sudoribus matutinis, diarrhoeae & mensium fluxui immodico succurrere affertur.

Charta combusta super stannum, Oleum exhibet anodynum.

Semen turget Oleo & Mucilagine, Oleum pressione, Mucilago macerando

in

in aqua tepida extrahitur. Semen recens saporis dulcis est & ingrati, vetustius acrius est, graveolens, (ut quoque est Oleum) discutiens & emolliens.

Semen, necnon Oleum illitum & impositum ambustis, conducit.

Oleum partes habet adeo subtiles, ut in fictilibus servari nequeat, quin exudet

In *Actis Germanicis* prostant Exempla felicis usus Olei, propinati in doloribus pleuriticis, respirationem facilitantis, sputum promoventis, necnon in hæmoptoë à catarrho acri, & in Nephritide.

Oleum pressum ex hoc semine & Juglandis, *Drying Oyle* dicuntur, quoniam cito siccantur in aëre, nec hyeme congelantur, ut Olivarum & Amygdalarum Oleum, scil. minus aquosum, magis oleosum; attamen nec Oleum Lini Aquæ & Acidi prorsus expers, unde cum lithargyrio & minio coquitur ad absorbendum utrumque unde citius siccantur in aëre. Differt porro Oleum Lini a pluribus aliis expressis, non coëundo cum Alcalibus fixis in saponem solidum, & ut Menstruum potentius ad solvenda corpora sulphurea; denique, quatenus minus aquosum, potentius Anthelminticum existimandum est, quam Oleum Olivarum vel Amygdalarum.

Usu externo Oleum Lini duritias & tumores emollit, maturat, & dolores lenit.

Interne ad Uncias aliquot in pleuritide compescit inflammationem & sputum promovet; in volvulo & contumacissimis alvi obstructionibus, atque in doloribus colicis prodest, necnon in ardore urinæ & angina.

Si Oleum recens obtineri nequeat, rancor ejus & sapor ingratus tollitur, illud cum aqua tepida in ampulla vitrea conquassando, & aquam identidem mutando, donec nullus sapor & odor ingratus supersit.

D. *LINUM SYLVESTRE* catharticum *Ger. emac.* Linum pratense flosculis exiguis C. B. *Purging or Wild Dwarf Flax or Mill Mountain.*

Describitur apud plures valde amarum & nauseosum, præsertim in Albo infusum, mihi vero, sæpius nostrum Hibernicum exploranti, tantummodo subamarum, sed cum acrimonia & calore obscuris, plures horas tamen durantibus; & decoctum subamarum, adstringens, foliis & caule viscosis, mucilagine acrimoniam involvente. Succus subsalsus, derelicto in ore per horas aliquot calore obscuro, coloris fusci, qui color ab acidis parùm destruebatur, sed non alcalinis, verum ab his evehebatur ad subrubrum. porro idem succus leviter coagulabatur ab Oleo Sulphuris per campanam, & præcipitationem subiit a Spiritu Vitrioli, nec mutabatur a syrupo Violarum, etsi Chartam cæruleam

 ali-

aliquantum rubefecerit; proinde ad falem alcalicum propius accedit, quam ad acidum.

Herba, cum caulibus & capitulis Vino albo per noctem super cineres calidos infusa, crassos humores purgat fatis valide: datur quoque ad Manipulum j infusum vel coctum in Cerevisia, & in morbo cum stupore in Nosocomio Dublinensi purgabat, ubi alia Cathartica frustra fuissent tentata.

N. *LIQUIDAMBRA*

Ex nova Hispania nuper in Europam transferri cœpit.

Est Resina oleosa, odoris suavissimi, instar Styracis liquidæ, & tam validi, ut celari nequeat, totas ædes & plateas, si sit ejus copia, implens; saporis amari, subacris, aliquantum calidi.

Usus præcipuus ex ejus est ad tumores duros emolliendos, vires quoque resolvendi, maturandi & roborandi habens, in paralysi utilis, & vis ejus insignis est ad vulnera consolidanda & in fistulis ani.

Cerebrum per se illitum confortat, omnesque dolores a causa frigida emplastri modo imposita, mitigat, & *Hernandez* vim somnum inducendi ei tribuit.

C. *LITHARGYRUS.* Spuma Argenti *Plinii* & Latinorum. *Litharge.*

Author: *Dioscoride*, vis ejus est adstringere, mollire, explere cava, excrescentia in carne reprimere, cicatricem inducere, refrigerare, spiracula cutis obducere. Authore *Galeno*, desiccat moderatissime, & citra mordacitatem; secundum alias tum qualitates tum facultates quodammodo in medio est, neque manifesto excalfaciens, neque refrigerans, & modica adstringendi abstergendique facultas ei inest.

In Ulceribus intrinsecis noxius est, sed in iis, quæ foris sunt, innoxius; imo facit peculiare Emplastrum, 75 denarium Axungiæ ponderi, 100 spumæ argenteæ denariis mixtis, utilissimum contra inflammationes ulcerum. Lithargyro utitur *Hippocrates* ad uteri ulcera cum vino & aqua subluenda.

Podagras refrigerat Cicuta cum Lithargyro aut axungia.

Ad intertrigines femorum utilis est.

Potus ejus lethalis est: stomacho, ventri & interaneis gravitatem cum magnis torminibus affert, & nonnunquam pondere suo intestina vulnerat, urinamque supprimit: procedente tempore, fit color quasi plumbeus, præcipue circa faciem, & plurimæ partes suppurant.

NOTÆ. Nihil aliud est quam Plumbum, sal enim ejus, cum aceto destillato paratus, & Saccharum Saturni idem sunt; nec a Minio differt nisi calcinatio-

nationis gradu, si enim igne diutius urgeatur, colorem vividum induit & in Minium abit: parcius calcinatus Lithargyrus Argenti nuncupari solet, magis calcinatus Lithargyrus Auri; & si follibus non diflietur è Cupella, sed ibi manens igne summopere urgeatur ei pellis poros intrans in Vitrum abit, proinde Lithargyrus est Calx plumbi semivitrificata.

Nullam qualitatem manifestam gustanti exhibet. Cum Aqua forti duplice & cum Spiritu Salis insigniter ebulliebat, sed non cum Oleo Vitrioli, nec cum Aceto, etsi hujus aciditatem ab hoc tolli bene notum sit in præparatione salis instar sacchari saturni, necnon in edulcorandis vinis acidis & austeris potatoribus perniciosis.

Solvitur in triplo Aceti, constituens Acetum Lithargyrites, ab Aceto Plumbi nihil diversum.

Incoctus solvitur in Oleo & corporibus unctuosis, Oleo dans consistentiam emplasticam & ejus qualitatem relaxantem & putrescentem corrigens.

Ulcera manantia, serpigines & intertrigines curat.

C. *LITHOSPERMUM* majus erectum C. B. Milium Salis. *Gromwell.* Semen.

Semen nostra lapidea duritie Lithospermo *Dioscoridis* convenit; ejusdem generis; sed quum nos plures species habeamus, quænam harum sit *Dioscoridis* non ausim affirmare.

Galenus non meminit, sed *Plinius*.

Vim habet, cum vino albo drachmæ pondere potum, calculos frangendi, urinas calculosque pellendi, authoribus *Dioscoride* & *Plinio*.

NOTÆ. Huic Semini Vis diuretica ab omnibus conceditur: quibusdam describitur saporis dulcis & mucilaginosi, & amygdalis dulcibus convenire sapore farinaceo dulci: mihi vero, nostrum Hibernicum sæpius exploranti, pars exterior apparet esse duritiei fere lapideæ, interior vero mollis, medullaris, fusco-flavescens, saporis oleosi, oleum rancidum redolentis, tum in semine recenti, tum in sicco & in altero specimine seminis sicci, instar ovorum putridorum: quin &, authore *Tournefortio*, omne quod extrahitur ex his granis alcalinum est.

Cortex exterior insipidus est: quidam eum convenire volunt Oculis Cancrorum; & *Grew*, in Experimentis de Mistura, ait, eum cum Aqua forti & aliis acidis plus effervescere, quam ullum aliud vegetabile sibi exploratum: verum *Alstonus*, se nihil ebullitionis inde notasse cum Spiritu Aceti, nec Spiritu Vitrioli, credens usum ejus tutum esse & forte utile in ardore Urinæ & in malis nephriticis.

N. *LUJULA.* Vide *Acetosella.*

C. *LUMBRICI* terrestres. Vermes terreni *Dioscoridis.* Terræ Intestina. *Earth worms.*

Triti & impositi præcisos nervos glutinant.

Igni sacro medentur ex aceto illiti. Triti & impositi in scorpionum ictibus prosunt.

Gangliis medentur cum melle illiti. Clavos pedum sanant ex oleo illiti.

Per se imponuntur Mammis, cum dolore turgentibus, & earum suppurationes concoquunt, aperiunt, extrahunt & ad cicatricem perducunt.

Illiti, ne cervicis scapularumque nervi doleant, præstant.

Rubri ex arboribus triti & oleo diluti instillantur in aures exulceratas & purulentas.

In oleo decocti, si oppositæ auriculæ infundantur, dentium doloribus præstant auxilium.

Triti & cum passo poti Urinas cient, & dantur cum vino aut passo ad comminuendos calculos: graves secundas pellunt in passo poti.

Lac devocant poti cum mulso, hæc enim habet *Ætius.* „ Lumbricos piscatorum, qui in limo fluminis reperiuntur, quinque aut septem terito, ac „ dato in Zytho bibendos, prælotæ mulieri jejunæ ad dies decem, & de mul„ titudine & bonitate Lactis miraberis ".

Morbo regio resistunt in aceto mulso cum myrrha (*).

NOTÆ. Mucilaginosi sunt, saporis subsalsi: aliquantum mucosi, minus viscosi, quam Limaces, & destillando longe plus ex iis adscendit, quam ex Limacibus, minus penetrantes, quam Millepedes.

Recentes in jusculo avenaceo tabidis prosunt, sicci fœtent. Nutrientes sunt & antacidi.

Geoffroy asserit Acidum ex iis destillari, verum secundum *D. Alston* hoc elicitur è terra, qua vescuntur, in eorum intestinis contenta. Aliter destillantur in spiritum urinosum, vel per putrefactionem vel per simplicem cum Alcali destillationem, priore modo exponendo in digestionem, vel balneo Mariæ, vel ardore solis tempore æstivo, unde prodit Spiritus volatilis urinosus penetrantissimus, diureticus & sudoriferus, posteriore modo ex non putrefactis per simplicem destillationem, addito sale fixo vel calce viva, prodit Spiri-

(*) Hoc & Experimentis recentiorum confirmatur.

spiritus urinosus, paucus tamen, nec adeo penetrans ac volatilis ut iste, qui per putrefactionem. Hæc *Etmullerus*; verum, notante *Junkero*, mixtio naturalis his artificiosis præparationibus maxime inversa est: certiores autem effectus sunt, 1. A simplici pulvere. 2. Succo per additionem Vini expresso. 3. Liquamine, in quod vel sine igne, vel in vitro conditi & massa panaria obvoluti, calore abeunt.

Hinc triti & appositi recentia vulnera conglutinant, & Ulcera scrophulosa perfecte sanata fuisse cataplasmate è Lumbricis confectis & semel vel bis in 24 horis, renovatis, testabatur quidam fide dignus.

Eodem modo applicati atrocem dolorem Paronychiæ sedant, & in convulsionibus, spasmis & contracturis scorbuticis dicuntur præsentaneum esse remedium; infusi autem & cocti in Oleo Olivarum frequenter usurpantur ut sedativum & resolvens in doloribus rheumaticis & arthriticis.

Summatim, discutiunt, emolliunt, anodyni sunt.

Porro, & usu interno, plane singulari & specifico effectu motus convulsivos ipsamque epilepsiam sedare, Arthritidemque vagam sæpe lenire comperti sunt; necnon in affectibus dolorosis vagis scorbuticis, lumbricis cum lacte subactis, liquor, per linteum expressus, propinatus fuit; & in *Actis Germanicis*, laudatur Oleum, vulgari modo paratum, bis in die ad guttas XII vel XV in liquore tanquam optimum traumaticum internum in omnibus vulneribus, contusionibus, fracturis & aliis casibus, omnem dolorem sedans & in podagricis affectibus usu externo & interno.

C. LUPINUS sativus C. B. & Lupinus sylv. flore cæruleo C. B. *Lupini.*

Veteres quoque duplicem agnoscebant, & utebantur tum *fructu*, quod ex semine siliquaque compositum est, & *semine*, cujus plurima substantiæ pars inest.

Similes sunt Lentibus, nisi quod minus siccent.

Lupinus edi potest coctus, multis ante diebus per macerationem amaritudine in aqua deposita, fitque tunc nutrimentum succi crassi, non tamen mali, &, ut medicamentum, est ex emplasticorum genere, flatulentus tamen & ad coquendum difficilis, unde cum garo aut oxygaro manditur, vel etiam sale modico conditus. Colorem hominis frequentior in cibo exhilarat.

Amaritie abstergendi digerendique vim sine mordicatione obtinet, quod ex enumeratione sequenti virium ejus abunde patebit.

Aqua cœlestis decocti Lupini, dum in cremorem lentescant, faciem abstergunt. Purgat & cutem farina, livoresque emendat; inflammationes sedat cum polenta & aqua. Cutis universæ & ulcerum sordes aufert farina, & nonnihil

mentus

mea us purgat. Farina non movet pus, utpote non fatis emplastica, sed detergit referatque meatus.

Decocto Gangrænas, fera Ulcera, incipientem scabiem, vitiligines, maculas, Papularum ac pituitæ eruptiones & ulcera capitis manantia foveré, utile.

Ulcera atra ex putrefactione, vel quibus vetustate callus inducitur & ora crassæ livent, aridi, decorticatique, triti, supposito linteolo, ad vivum corpus redigunt.

Panos ac strumas in aceto decocti & impositi Lupini dissipant, atque carbunculos rumpunt.

Cicatricibus candidum colorem reddunt. Decoctum, cum myrrha & melle subditum, menses ac partus detrahit: & sunt, qui farinam ischiadicis Cataplasmatis modo illinunt.

Farina, cum melle delincta, tum ex posca epota, necnon ex aqua decocta & more cataplasmatis ventri imposita, vel & per clysterem infusa, lumbricos enecat.

Viscera expurgat cum ruta & pipere potus.

NOTÆ. Inter legumina Lupinus philosophis maxime consuetus erat cibus, usque adeo ut Cynicorum pera præcipue semper his referta esse soluit.

Semen gustus est amaricantis, subinde amari, præsertim sylvestris, & legumen redolentis.

In cataplasmatibus emollit & resolvit, hinc farina sugillationes a verberibus tollit & cum Oxymelle solet admisceri ad tumores testium. Diureticum est.

C. *LUPULUS* mas & fœmina C. B. *Hops.*

Non invenitur apud *Dioscoridem* nec antiquos Græcos. Forte Lupus salictarius *Plinii*, sic dictus, quia supra salices & reliquas plantas repat, sed potius apud ipsum inter cibos, quam inter medicamenta, recensitus.

Apud *Mesuen* videtur esse Volubilis species; ille vero de herbâ solâ, ut mihi videtur, agit, non de floribus, hæc proferens: „ Vis ei flavam bilem „ purgans & temperans, præsertim sero lactis infuso.

Flores à Flandria in Angliam transportatos fuisse, & primum in Cerevisia usurpatos dicuntur A. D. 1524.

NOTÆ. Flores odoris sunt gravis, aromatici. Decoctorum vapor, naribus diu haustus, dolorem capitis & vertiginem induxit, hinc intelligitur vis narcotica sub pulvinari positorum, necnon anodyna ad dolores sedandos in epithemate.

Sunt

Sunt porro unctuosi, speciem Terebinthinæ vel Balsami continentes, quo forte Balsamum Capivi vix præstantius, & Extractum balsamicum, amarum, austerum, non contemnendum, exhibet menstruo spirituoso paratum. Saporis sunt amari, aromatici, acris & subadstringentis. Infusum in aqua coloris fit subatri addito Vitriolo Martis. Decoctione longa privatur acrimoniâ.

Cerevisiæ ante & post coctionem additi præcavent ejus viscidiatem & aciditatem.

Non rubefaciunt Chartam cæruleam, & inter destillandum multum Olei & salis volatilis alcalini, parum Acidi dant.

Farina quoque valde amara & acris est, ejusque decoctum subadstringens, & cum Vitriolo Martis viridescebat.

Extrinsecus Flores, præter usum anodynum, auxiliantur contusionibus, luxationibus, tumoribus; scabiem curant, vi discutiendi, abstergendi & roborandi præditi.

Interne cient Urinam & Menses; atque ob vim aromaticam Acidum peccans discutiunt, viscera deobstruunt, valent in malo hypochondriaco, ictero, scorbuto & febre intermittente.

Turiones plus aqueæ substantiæ habent, & sunt temperati. Vere collecti & cocti alvum laxant, urinam movent & præservant à scabie; notandum vero in coquendo modum adhibendum esse, ut in Asparagi stolonibus, aliter tabescunt & evanidi fiunt.

Notat *Alstonus*, Cerevisiam lupulatam tempore perdere amaritiem suam & acidam fieri, sed si tunc addatur Creta, acidum absorbens, fit rursus amara, unde patescit natura Amarorum.

1. C. *LYSIMACHIA lutea major*, quæ *Dioscoridis* C. B. *Yellow Willow herb or Loose-strife.*

2. *LYSIMACHIA spicata purpurea*, forte *Plinii* C. B. *Purple spiked Willow herb or Loose-strife* (x).

Lysimachia lutea superantem habet vim adstrictoriam: hinc sanguinis profluvio è naribus subvenit, si nares herba obturentur, & recentibus plagis medetur. Ipsa & succus ejus vulnera glutinat, sanguinemque sistit. Mensium abundantiam corrigit in pesso. Ulceribus, quæ calceamento fiunt, Lysimachia contrita prodest.

Dysen-

(x) Hujus Folia & Radix quoque, apud nos in Hibernia, in cohibendis alvi fluxibus & dysenteria, celeberrimi sunt.

Dysentericis potui datur aut clystere infunditur. Si ore sanguis rejiciatur, sive alvo fluat, sive fœminarum utero, potu vel illitu sistit sanguinis profluvium.

Acerrimum nidorem suffitu reddit, qua de causa serpentes fugat & muscas interficit.

NOTÆ. 1. *Lysimachia lutea major*, quæ *Dioscoridis* C. B.

Folia recentia acida sunt, aliquando fere æque ac Acetosæ folia, & adstringentia. Infusum eorum viridescit cum Sale Martis.

2. *Lysimachia spicata purpurea*, forte *Plinii* C. B.

Decoctum foliorum siccorum valde austerum erat, & in faucibus subacidum. Addito Sale Martis atrum, & Infusum cum eodem sale cæruleum evasit. Infusum Florum quoque atro-cæruleum inde fiebat.

Radix, etsi parum adstringens gustu, infusa cum Vitriolo Martis, coloris saturate purpurei, & mox cærulei fiebat: in altero autem experimento nigrum, & æque ac folia in dysenteria celebris est. Datur ad ℥j mane & vesperi.

M.

C. *MACIS* Officinarum C. B. *Mace* Græcis veteribus incognita, sed *Avicennæ* & *Serapioni* nota, a Macere Græcorum & *Plinii* ob similitudinem quandam sic dicta, sed ab eo prorsus diversa (y): est scil. involucrum secundum Nucis moschatæ, quæ cortice denso, ut in nostris nucibus, tegitur, cui alter tenuior, reticulatus, rubescens subest, qui Macis dicitur.

Authore *Avicenna* & *Serapione* oris odorem bonum efficit: resolvit inflationem, & in eo est stypticitas (z). Resolvit duritiem grossas, cum ponitur in cerato. Constringit alvum patientium fluxum Ventris, confert dysenteriæ, estque bona Matrici. Confortat hepar & stomachum. Ex eo cum oleo violaceo fit caputpurgium ad Soda (capitis dolorem) frigidum ex ventositatibus grossis in capite, ut loqui solebant antiqui, & ad hemicraniam.

Ingreditur Electarium Xyloaloës apud *Mesuem*, tanquam Morbos cordis, Ventricu-

(y) *Macer* Græcorum erat cortex radicis, quam scribit a *Costa* provenire in provincia Malabar, sed ad nos non defertur.

(z) Non tamen ejus infusum nec decoctum in aqua cum Vitriolo Martis nigrescit.

triculi, hepatis frigidos sanans, & partes ipsas roborans; Cordis palpitationem, syncopen sanans, exhilarans, coctionem juvans, odore suo oris halitum commendans.

NOTÆ. Odoris est gratissimi, aromatici, saporis subacris, subamari, Nuci moschatæ similis, sed minus validi, inflammabilis, compuncta oleum emittens. Oleum duplex exinde paratur. 1. Destillatione essentiale, tenuius. 2. Expressione crassum, quod regioni Ventriculi admotum, hunc roborat, vomitum & singultum sistit, concoctionem juvat, & in Colica infantum prodest; somnum quoque provocare dicitur temporibus illitum.

In tibiarum Ulceribus inveteratis non ultimum obtinet locum pulvis Macis inspersus, delet enim ulceris alimentum & carnis corruptionem.

Usu interno, vi carminativa & acidi viscidi attenuativa egregia est. Odore suo Urinam impregnat, & in stranguria commendatur.

Si larga dosi sumatur caput afficit, aliquando delirium excitans.

In omnibus morbis frigidis commendatur, in paralysi, mensibus suppressis & Fluore albo utilis.

C. *MAJORANA* vulg. C. B. Maron *Dioscoridis*, *Cæsalpini* C. B. *Sweet Marjoram.*

Magna est confusio apud Veteres de Sampsucho & Amaraco. Majorana nostra descriptioni Mari *Dioscoridis* fere convenit, sed non ejus Sampsucho; proinde pro Maro *Dioscoridis*, vel ejus succedaneo admitti potest. Mari nec *Galenus*, nec *Paulus* quicquam prorsus in *simplicium medicamentorum libris* meminerunt.

De Maro hæc *Dioscorides*: Flos odoratus, subadstringit & moderate calefacit: qua de causa illitu ad serpentia Ulcera, & in calidas illitiones additur.

NOTÆ. Odoris est fragrantis, grati, saporis acriusculi, subamari, aromatici. Tinctura spirituosa saporis est acris, aromatica.

Extractum ejus amarum est; decoctum residui a destillatione austerum, &, addito Vitriolo Martis fusci coloris fit, unde confirmatur vis adstringens, Maro *Dioscoridis* tributa.

Infusum summitatum diluit Syrupum Violarum & parum mutat solutionem Heliotropii.

Analysi chemica exhibet plurimum Spiritus volatilis urinosi, salis volatilis, & fixi cum phlegmate acidulo & terra parva, unde resultat vis ejus aromatica & acidi correctiva, atque ad morbos frigidos capitis usu externo & interno adhibetur.

Conserva, quotidie mansa, Catarrhum sistit.

Aqua destillata odorem suum retinuit per tres annos, & nulla herba est, quæ gratius odoramentum dat Sali volatili destillando quam hæc.

Aqua destillata, naribus indita, sternutamenta movet, lethargicos & comitiales excitat, & coryzam certo abigit, si, ore aqua repleto, ex vola manus compressa alterutra nare ex altera exhauriatur. Porro, linguæ illita, dicitur loquelam amissam restituere, & memoriam mirifice adjuvare, si dosi Cochl. iij vel iv sumatur in potu.

Spiritibus gratissimis dives est, quæ subtiles sunt & adeo moderate calefaciunt, ut nunquam sic caput petant ut lædant. Succus vel pulvis errhinus est & apophlegmatizans.

Vim tonicam, discutientem, carminativam, possidere patet è sequentibus ejus effectibus:

Externe valet ad paralysin, tumores œdematosos frigidos & luxationes in Emplastro cum oleo & cera. Siccata, melli admista, livores a verberibus vel contusionibus tollit.

Obstructio mucosa narium, infantibus sæpe molesta & suctioni moras injiciens, ab Aqua destillata vel Oleo illitis, vel ab Extracto ejus, Spiritu Vini parato, usu externo & interno referatur.

Oleum extus adhibitum utile fuisse dicitur apud infantes & adultos in Epilepsia.

Usu interno in doloribus colicis maxime expetitur, necnon ingreditur enemata carminativa.

Urinam ciet & vim suam comprobavit in mensibus imminutis & decoloratis.

In morbis capitis & nervorum, Memoriæ defectu, in morbis soporosis, & in omnibus morbis frigidis laxisque laudatur ejus infusum & decoctum.

N. *MALABATHRUM* folium. Folium Indicum. Folium Cinnamomi sive Canellæ Malavaricæ & Javanensis C. B.

Nostrum est arboreum, Veterum fuit aquaticum, nec nostrum notis Malabathri apud *Dioscoridem* convenit.

NOTÆ. Odoris est aromatici, instar Caryophillorum si recens sit, grati, saporis subacris, calidi, & folium Lauri redolentis.

Infusum ejus subadstringens, &, addito sale Martis, viridescens: adest aliquid mucilaginosi, & distillatione Olei quantitatem notabilem exhibet.

Stomachum confortat, oris halitum commendat, urinam potenter ciet, vestes ab erosione vermium tuetur.

C. *MAL-*

C. *MALVA.*

Apud nos prostant. 1. *Malva sylv.* folio sinuato C. B. *Common Mallow.* 2. *Malva rosea* folio subrotundo C. B. Malva sativa Antiquorum, quæ eadem arborescit *Theophrasti*, Malope *Plinii*: An Arboreodendromalache *Galeni* C. B. *Holyhocks*? 3. *Malva arborea* marina nostras *Park. Theatr.* *Sea Mallowtree.* In hortis frequens.

Dioscorides sativæ & sylvestris meminit, sed tanquam bene notarum, descriptione nulla addita. Olim serebatur in hortis Olerum modo, & Cauliculis Malvæ, sicut & nos nunc Asparagis, vescebantur Antiqui, qui in febre dabant Malvam & in cancro curando, utpote victum refrigerantem & humectantem, sed agrestem digerentis paulum & emollientis leviter esse facultatis, hortensem vero, quanto plus habet aqueæ humiditatis, tanto facultate esse imbecilliorem: proinde phlegmonis & phygethlis incipientibus glicescentibusque, mollibus etiamnum ac velut ferventibus, hortenses, vigentibus autem & declinantibus ac indurescentibus commodiores esse agrestes.

In cibo *Galenus* & *Dioscorides* hortensem præferunt, verum *Diphilus Siphnius* (notante *Ludovico Nonnio, de re cibaria*) sylvestrem commendat, & jure, nam hæc esu suavior & minus dura, si per hortensem intelligatur illa, quæ ad binos vel ternos cubitos assurgit, floresque multos *rosæ* adinstar profert. Porro, quia Malva lentorem in se non omnino gratum habet, facile sui fastidium parit, &, authore *Dioscoride*, stomacho adversatur, unde mensis hodiernis exulat; cymas tamen ejus vel asparagos, oleo & aceto perfusas, quidam butyro intinctos, ad renum & vesicæ vitia edunt.

De *Malva* generatim hæc prodiderunt Veteres: Succo ejus lentor inest: succi non mali est, mediocriter nutrit, crassos, viscosos, & frigidos humores generat.

Caulis ut plurimum temperatura est sicciore quam *folia*, potissimum cum jam prope est, ut semen profundat. Radices molles (priusquam induruerint) dulces sunt, nutrimentumque corpori exhibent, maxime quæ in Ægypto proveniunt. Porro, plus virium in radice quam in foliis invenitur, quemadmodum & in Althææ: nam radix ipsius, cum tumores multos inflammatos discutit, facultatem suam indicat, id quod ipsorum folia nequeunt efficere.

Varroni quasi Molva dicta, quod alvum molliat, non modo propter humiditatem, sed propter lentorem & lubricitatem, potissimum quando quis cum oleo & garo sumpserit, vel ut Antiqui, in acetariis cum Lactuca utuntur, & præsertim iis, qui sumptis illis in sole leniter obambulant, lubricant enim si quis concutiatur magis, quam si quietus jaceat.

Malvam agrestem non tantum emollientis, sed digerentis paulum esse facultatis patet ex hoc experimento *Galeni*: Si viridem Lactucam & *Malvam* ca-

lido cuipiam affectui, ut *Erysipelati*, Cataplasmatis modo applicueris, (quod etiam faciunt tenera folia ad exactum lævorem contrita:) senties in hoc cataplasmate Lactucam quidem manifeste refrigerare, Malvam autem calorem quendam habere moderatum ac veluti tepidum.

Sacris ignibus & ambustis decocta folia tritaque utilissime ex oleo illinuntur. Ejus decoctum vulvas insessione mollit, prodest erosionibus vesicæ & intestinorum, vulvæ sedisque clystere infusum. Dysentericis infunditur butyrum cum Malva decocta.

Illita contra aculeatos apum vesparumque ictus efficax est. Jus decoctæ cum radice sua contra omnia venena auxiliatur, si continuo a vomentibus evomatur. contra phalangiorum morsus remedio est. Lac evocat.

Cruda folia, cum salis exiguo manducata, Ægilopas ex melle sanant, verum cum cicatricem trahere cœperint, eâ demum sine sale utendum est. Ulcera manantia in capite furfuresque cum urina puerili putrefacta trita & imposita siccat. lichenas & ulcera oris cum melle sanat.

Tussim in lacte cocta & sorbitionis modo sumpta, quinis diebus emendat. Sic Malvam in cibo commendat pariter ad tussim *Celsus*.

NOTÆ. 1.°*Malva sylv folio sinuato* C. B.

Viribus fere convenit cum Althæa, sed minus mucilaginosa.

Foliorum succus mucilaginosus est & temperatissimus, aliquando subdulcis.

Herbæ infusum non rubefacit Chartam cæruleam, nec solutionem Heliotropii.

Extrinsecus adhibentur ad tumores maturandos.

Decoctum in lacte plures dysentericos curavit. Hæc Folia Urinæ acrimoniam mitigant: in Colica infantum cum butyro frixa efficacia deprehensa sunt.

Cauliculi, ut Asparagus parati, vix ab eo distinguuntur.

Succus & decoctum fragmentum Calculi, iis infusum, molle reddebant in experimentis *D. Lobb*.

Radix dulcis est & viscosa.

Flores magis mucilaginosi sunt quam folia. Succus eorum purpureus ruber fit ab acidis, viridis ab alcalinis liquoribus, & a frictione in vase marmoreo niger.

In morbis pectoris cum calore & siccitate prosunt. In ardore Urinæ inveterato fenum non præstantius habetur remedium, quam infusum florum instar Theæ ad ℔j mane & vesperi sumptum.

2. *Arborea seu hortensis.*

Flores lacte parati, gargarismatis loco usurpati, remedium præbent magnæ efficaciæ tonsillis, male habentibus.

Unguen-

Unguentum simplex ex foliis, in butyro Maiali non salito coctis & colatis, paratur ad erysipelata & ignes sacros magno successu adhibitum, ut post alteram vel tertiam inunctionem compescat, extinguat & sanet, raro fallens, authore *Raio*.

C. *MALUS & MALUM.*

Malus est arbor, Malum fructus ut Pomus est arbor, Pomum fructus.

Μῆλα Græci de omni genere fructuum arboreorum, qui edules sunt, usurpant. Sic apud *Dioscoridem* in Malorum genere recensentur Persica, Præcocia, Cotonea & Citria: ita & Latini voce *pomum* aliquando de omni genere fructuum, aliquando de certa specie; imo &, authore *Salmasio*, de boletis, tuberibus & rapis utantur.

Appia forte *Dioscoridis* Melimela, a sapore mellis, & Mustea *Varoni*; quibusdam Glycymela, quasi dulcia Mala appellantur.

Quæ ab Epiro Epirotica nomen habent, a Romanis orbiculata appellantur.

Apud nos duplex præcipue in usu est, scil.

1. *Malus sativa Raii. The Apple tree.*

2. *Malus sylvestris Ger.* Mala sylvestria, quæ & alba & rubra, & majora & minora C. B. *The Crabtree or Wilding.*

De Malis generatim hæc efferuntur apud Veteres: Quamplurima Pomis omnibus recrementitia frigidaque humiditas inest, quod vel hinc liquet, quod eorum nullus omnino succus durare ac vetustatem ferre possit, verum acescant corrumpanturque universi. Solus enim Cydoniorum & Struthiorum (utpote quæ propter vincentem adstrictionem minus cæteris sunt humida,) succus coctus cum melle durare potest, tametsi ipse per se non ita durare queat.

Pomorum succus fervet ut Mustum.

Mala nuper enata acerba sunt, siccaque consistentiâ & progressu temporis humidiora redduntur, ac, ad acerbitatem acquirunt aciditatem, quam sensim exuentia, postea dum maturescunt ac perficiuntur, dulcia evadunt.

Viscosos, crassos frigidosque humores generant, præsertim si comedantur cruda, & inter cibaria frigida locum habent, quæ administrari debent ei, qui est calidi corporis, in temporibus & in civitatibus calidis.

Matura alimentum præbent, celeriter corpus totum permeans ac pervadens, excretumque tum per cutim, tum per Urinas, & proinde pauci sunt alimenti.

Notandum tamen, Malorum omnium eandem neutiquam esse naturam, verum singulas regiones plurimas Malorum differentias, & ab insitione fere infinitas habere: v. g. quædam acida sunt, vel subacida, aliis sapor ex acido & dulci

dulci mixta, alia vinosa, alia extreme aquea sunt, quorum temperatura frigida est, alia dulcia, & denique alia austera.

Sic apud nos fructus, Pomum aqueum, *Pomewater* dictus, qui è majoribus est, externus albicans, succo praegnans acido, grato, & nonnihil simul amaricante, & Sceptrum pomorum fragrantium, *Pipins* & *Pearmains* dictorum ac Malus *Pipin* appellatum, primum plantata fuisse dicuntur in agro Lancastriensi A. D. 1525.

Dulcia alia sunt calidiora, facile in corpus distribuuntur, praesertim si assentur aut coquantur. Alvum molliunt, lumbricos pellunt, stomacho negotium exhibent, aestuationem faciunt & sitim, sed nervos non laedunt.

Quae bellè matura in hyemem & ver proximum asservantur, ea saepe in morbis maximum afferunt praesidium, vel cataplasmatis modo cum farina admota, aut in calidis cineribus assata, aut pulchre in aquae bullientis vaporibus percocta. Sic coctum datur Pomum iis, quorum os ventriculi aquae potu subvertitur & post cibum dare ipsum convenit, nonnunquam autem cum pane ad ventriculum & stomachum corroborandum iis, qui dejecta sunt appetentia, tardeque concoquunt.

Acida succum habent frigidum, verum tenuium sunt partium: si invenerint in stomacho humorem lentum & crassum, incidunt & expellunt, leniuntque ventrem, sed si invenerint mundum, stringunt ventrem. Acidis pomis utere quando succum frigidum, qui non magnopere frigidus sit, suspicaberis in ventriculo collectum, quandoquidem succus frigidus non acida sed acria postulet.

De austeris & acerbis haec praestant. Optima mala, priusquam in arboribus maturuerint, concocta sunt difficilia & frigida, tarde permeant, & succum habent leviter frigidum, ac crassum.

Mali adstrictio suavis est, & in inflammatione Columellae, scil. in moderato influxu, collutio sit in gargarismis ex decocto Malorum austerorum: quod & est adstringens leve in sanguinis profluvio parvo.

Austerioribus & acidioribus Vulnera glutinare possis, tum in phlegmonarum principio influxionem repercutere, ac stomachum ventremque exolutum ac languidum roborare.

Sic austeris pomis utere, cum Ventriculus vel propter calidam intemperiem vel multam humiditatem fuerit imbecillus, & in ventris fluxu optimum est medicamentum, quod ex pomis sylvestribus fit.

Mala acerba, quanto magis coquas, tanto dulciora ipsa efficies, ipsum vero decoctum acerbum efficitur: hinc cocta magis alvum movent. Et ab hinc iis, quibus os ventriculi aquae potu subvertitur, datur primum coctum hac ratione? infusa in ollam aqua fervida inspersisque in olla fructibus, tantisper sub hac ignem succendemus, donec fructus illi percoquantur solo ab aqua illa fervente sublato vapore.

Esus

Esus pomorum adstringentium ventrem dejicit iis, qui stomachum habent imbecillum, cum postremus epulis sumpserint.

NOTÆ. 1. *Malus Sativa.* Mali *Pipin* dicti succus dulcis, acidus, subadstringens, non sine levi intersusa Mucilagine: Albumen ovi & salivam leviter coagulabat, cum Acidis minus opacus quam cum Alcalinis liquoribus. Facile acescit & ebulit statim, ut mustum.

Ætate minus acida fiunt mala, & quasi farinosa.

Mali *Summer Sweeting* dicti succus, ad consumptionem $\frac{1}{4}$ coctus, dulcedinem & consistentiam acquirit similem Molosses dicto.

Extractum, vel Pomum ipsum integrum, in Clibano pistoris locatum, post extractionem panis, & hoc repetendo aquosa parte privata, saporis fit fortioris dulco-acidi, & conservantur hæc poma per annum & ultra, corrugata instar Prunorum Gallicarum.

Aëre abundant *Mala*, nam in experimentis *D. Hale* Unciæ cubicæ 26 in diebus tredecim generabant 968 Uncias cubicas aëris. Porro, & a tenuitate partium ejus (quæ patet a fragrantia illarum in triclinium) facile rapiuntur in habitum, palpitationem cordis adducentem, quare cocta vel assata, non cruda, vescenda.

In experimentis *D. Lobb* fragmentum Calculi, tepide infusum in succo per aliquot dies, partim solvebatur.

In inflammationibus & doloribus Oculorum, & in oculis ex percussione & contusione vulneratis, nihil melius Cataplasmate pomorum coctorum, vel etiam putridorum, quæ putredine sua resolvunt cruorem, & sistunt dolores ac tumores. Quin & putrida, ubi Pernione laborant calces, vel ubi ustulatæ aut ambustæ sint aliæ partes corporis, medentur.

Sole aut febre exæstuantibus ardores minuunt, ac sitim levant.

Quo sunt dulciora, eo magis pectoralia, expectorationem promoventia, tussim mitigantia, unde *Gesnerus* in vitiis pulmonis & dyspnœæ malum assum, excavatum & drachma Thuris repletum, dedit.

Tostorum N°. 4 vel 5 pulpa ad ℔j Aquæ, duabus noctibus sumpta, stranguriam curat.

Optima sunt in cibo in melancholia hypochondriaca, bilis acrimonia, in hectica & phthisi.

2. *Malus sylvestris.* Succus, e fructibus prelo expressus, est *Agresta*, nonnullis dicta, nobis *Verjuice*, i. e. succus viridis, a Gallis mutuato nomine. Pisces eo coctos firmiores & sapidiores reddit.

Succus acidus est, valde austerus, & amaricans.

Ambustorum ardorem tollit statim admotus Succus, & vesicationem præcavet.

fuere. Nam 1. Manna nostra non cadit super vicinas quasque plantas. 2 Mannam nostram fluere facit frigus, fluxum condensat calor, duriorem & candidiorem reddens; contra Mel roscidum densat frigus, fluere facit calor. 3. Ros melleus in arbores duntaxat nudas, in aprico sitas & aëri expositas, defluit, cum Manna in arboribus, de industria tectis, inventa fuit. Proinde *Mel roscidum Hippocratis, Galeni, Theophrasti & Plinii* a Manna nostra prorsus diversum erat, nisi forte utramque subinde confunderent; ratio rorem esse, qui ex observationibus recentiorum detectus est, nil aliud esse, quam succum plantarum.

Authore *Avicenna & Rhasi*, Manna natura est æqualis, & ad caliditatem vergens, sedat sitim, est lenitivum, convenit ad abstergendum, confert tussi, ac lenit pectus & guttur. Solutione educit choleram facile.

Solam bilem flavam educere auctor est *Actuarius*, & exhiberi quibus non licet aliud vehemens medicamentum offerre, nempe pueris & fœminis gravidis, si quando usus postulat & necessitas urget, ac aliis, quibus febris quæpiam exsuperans a reliquorum medicaminum assumptione arcet.

NOTÆ. Mannæ inest sal essentialis saccharinus, striis nitri-formibus in Mannæ syrupi instar dissolutione tractu temporis concrescens.

Odoris est debilis, saporis dulcis cum nausea & acrimonia quadam, consistentiæ aliquantum pinguis & viscosæ, flatuosum quid habens, ut Cassia, unde commode admiscetur ei sal quidam digestivus vel semen carminativum, Cremor Tartari, sal Epsom vel succus Limonum.

Pura & crystallina minus purgat, quam quæ aliquantum pinguis, quoniam celerius transit in sanguinem quam viscosior diutius intestinis immorans.

Licet maxima parte gummosæ aut mucilaginosæ indolis sit, aliquam, licet exiguam, Resinæ partem, intime partibus gummosis intermixtam, adeoque in aqua solubilem, continet; nam Manna, si debite exsiccetur, accenditur, & fermentationi commissa liquorem vinosum suppeditat.

Acrimoniam ei inesse patet hinc, sub collectione ferrum in rubiginem corrodere valet, & hinc cum lapidibus & ligneis cultris, non cum ferreis colligitur, nec cum osseis, quoniam & ossa corrodit.

Solvitur in Aqua fere ut saccharum, cui (scil. saccharo brunneo) in plerisque experimentis similis est, æque ac exhibendo spiritum acidum, sed minus acida quam saccharum, hæc enim minus coagulat. porro ad ejus solutionem postulatur major quantitas aquæ, triplum nempe ponderis sui, quum saccharum dissolvitur in dimidia parte ponderis sui.

Porro, etsi magis concreta & minus humida sit quam Mel, minus terræ continet; nam si ℥ij Mellis purissimi destillentur ex retorta, restabunt in hac

℥iij ʒvſs, quum ex eodem proceſſu ex ℔j Mannæ reſtabant tantummodo ℥ij ʒij.

Spiritus Mannæ duplex parari poteſt, vel per præmiſſam fermentationem, unde diſſoluta Manna in ſ. q. aquæ, & additis fæcibus Cerevisiæ non lupulatæ, prodit Spiritus ſulphureus inflammabilis, vel, eadem omiſſa, per nudam igne aperto vel arenæ deſtillationem, unde prodit Spiritus acidulus cum Oleo empyreumatico, qui ſudoriferum eſt egregium.

Manna, ut omnes ſubſtantiæ dulces, perdit dulcedinem ſtatim poſt ſeparationem Olei ſui & Acidi, a quorum connubio dependet dulcedo.

Blande purgans & gratiſſimum dicitur parari ex Mannæ & Olei Amygdalarum dulcium partibus æqualibus.

Manna lenitiva eſt, non tantum in malis pectoris, ſed & in ardore Urinæ.

C. *MARGARITÆ.* Latinis Uniones. Arabum Perlæ. *Pearls*

Arabum ſunt inventum. Non liquet *Dioſcoridem* vel *Galenum* quicquam de his memoriæ prodidiſſe, quamvis *Plinius* nonnihil meminerit.

Optimæ generantur in Concha margaritifera plerisque Berberis antiquis India dicta. *Liſter. Hiſt. Conchyl.*

Inodoræ ſunt & inſipidæ, prompte abſorbent omnia acida, omne quippe acidum Perlas diſſolvit, & inde dulceſcit.

Majorem quantitatem Acidi ſaturant quam Corallia, & Oculos cancrorum vi antacida ſuperant, referente enim *Langio*, ʒſs Perlarum guttas 60, æqualis autem quantitas Oculorum Cancrorum 50 tantum, guttas acore ſuo ſpoliat.

Facile in igne calcinantur, & inter calcinandum odorem urinoſum emittunt.

C. *MARRUBIUM* album vulg. C. B. Marrubium & Praſſium *Dioſcoridis.* *White Horehound.*

Folia guſtus ſunt amari. Illitum, vel in cataplaſmate impoſitum, detergit & diſcutit. Uſurpatur ſubinde pro errhino, ſic regium morbum per nares expurgans. Imponitur ſtrumis cum adipe.

Folia cum melle illita, vel ſuccus, foliis contuſis, expreſſus & in ſole ſpiſſatus, ſordida purgant ulcera, digitorum pterygia, Nomasque (ulcera depaſcentia) ſiſtunt, & laterum dolores mitigant. Ulceribus ſordidis genitalium tuſum cum melle mire prodeſt. Lichenas purgat ex aceto. Cum vino & melle inunctum oculorum claritatem adjuvat.

Ad aurium dolores inveteratos, adhibent per ſe, & cum roſaceo inſtillando utique in quibus obſtructiones dujicere, meatumque ipſum & ramos meningum ſeu Membranarum expurgare eſt uſus: & in vermibus aurium diu autem præ-

præcipit *Celsus* vino, in quo Marrubium decoctum sit: & *Columella* Marrubii succum affundit plantis pro arcendis Erucis.

Datur foliorum siccorum simul & seminis decoctum ex aqua mulieribus, quæ non purgantur, ad evocanda menstrua secundasque pellendas, itemque difficile parientibus, atque etiam his, qui a venenatis bestiis commorsi sunt, & iis, qui venena hauserunt: attamen vesicam & renes offendit hæc herba, proinde cavenda in vitiis vesicæ & renum exulceratorum, urinam ciens.

Quod ex Marrubio conficitur, Oxymel valenter crassiora excrementa, quæ in pulmone & pectore continentur, incidit, & crassam pituitam, admixta Iride sicca, excreatione purgat.

Arida farina cum melle ad tussim siccam efficacissima est.

Foliorum siccorum simul & seminis decoctum ex aqua, aut etiam recentium foliorum succus una cum melle tabidis, suspiriosis ac tussientibus exhibetur.

Jecur ac lienem obstructione liberat.

NOTÆ. Odoris est aromatici, graviusculi, non ingrati, saporis valde amari, subacris, aliquantum calidi.

Semina matura emittebant odorem similem odori Ætheris.

Folia vix rubefaciunt Chartam cæruleam: ast Infusum aliquantulum rubefecit solutionem Heliotropii.

Decoctum, sanguini mixtum, hunc rubicundum & fluidiorem reddere, quam sp. salis Ammoniaci, author est *D. Crantz*.

A solutione Vitrioli Martis Infusum ejus fusco viride fiebat.

Succus, per duas horas infusus Cerevisiæ veteri, corrigit hujus aciditatem. Confer supra dicta de Centaurio & Aceto sub articulo *Centaurium*.

Differt ab Absinthio, Carduo, Centaurio magis oleosum, unde vires magis durabiles habet. Laudatur ab *Hippocrate* ubi aperire, mollire & abstergere convenit, quas tres facultates hæc planta egregie possidet, adest enim saponacea humiditas, quum priores exsiccatæ plantæ exsiccandi vi polleant.

Forma Cataplasmatis vel fomenti usurpatur in contusionibus.

In omni inflammatione, quæ ad gangrænam tendit, est optimum remedium, ut & in Ulceribus sordidis, nam putredini resistit cum sale, aceto & vino contritum & parti affectæ applicatum.

In pulmonibus suppuratis & asthmate phlegmatico, modo ægri non sint penitus arefacti, sed adhuc succulenti, laudes meruit, ast in febre ardente nocet. Convenit in tussi inveterata, inprimis senum, quæ oritur ex ventriculo nimis acida mucilagine & crassis humoribus referto ob deficientem chylosin.

Zacutus, *Forestus*, & *Hartman* confirmant vires ejus in tumoribus etiam scirrhosis hepatis, & in ictero *Ranus* sic, ℞ Syrupi Marrubii albi ℥ij, Olei.

 Tar-

Tartari per deliq. ℈j. Misce: sumatur per intervalla frequentia Cochleare, utpote medicamentum in Ictero nulli secundum: & plures authores ægros a scirrho hepatis liberatos fuisse testantur, vel ab infuso Marrubii albi m. j. in Vini albi ℥viij quotidie mane per aliquot menses epoto, vel a Conserva florum ejusdem, cum melle parata, per 40 dies exhibita ad dosin ℥j.

Porro, summitates, Vino albo infusæ, ad Cachexiam & stomachum roborandum egregiæ sunt.

Colicæ passioni obnoxiis decoctum ad ℥iij vel ℥iv horis matutinis & pomeridianis valde prodest.

Pulvis foliorum interaneorum vermes necat.

C. *MARRUBIUM* nigrum fœtidum. Ballote *Dioscoridis* C. B. *Stinking Horehound.*

Folia graveolentia, acris sunt & extersoriæ facultatis. In cataplasmate, cum sale imposita, adversus canis morsus efficacia sunt.

Ferventi cinere cocta dum flaccescant, condylomata reprimunt, sordidaque Ulcera cum melle purgant.

NOTÆ. Odor est ut Lamii, fœtidus; sapor valde amarus, subacris, succus valde amarus, dein acris, calidus, & notas quasi prædominantis salis alcalini exhibet; nam cum liquoribus alcalinis volatilibus & cum Oleo Tartari per deliq. retinet fluiditatem, contra coagulatur in solidam massam ab acidis; & folia non rubefaciunt Chartam cæruleam.

Sicci Fœtor longe minor est.

Vim ejus resolventem & anodynam confirmat *Tabernæmontanus*, applicando folia, sub cinere siccata & melli admista, ad hæmorrhoïdes.

Lixivium, in quo Marrubium nigrum decoctum sit, manantibus capitis ulceribus pueris, frequenti malo, si eo laventur, perutile est, authore *Trago*.

Decoctum in affectibus hypochondriacis & hystericis dicitur esse præstantissimum.

D. *MARUM*. Sampsuchus sive Marum Mastichen redolens C. B. *Herb Mastick.*

Foliorum siccorum Odor aromaticus, gratus, sapor acris, amarus, subadstringens.

Infusum solutionem Heliotropii aliquantulum rubefecit, & cum Vitriolo Martis fusco-viride fiebat cum celeri & copiosa præcipitatione.

Mensium profluvium sistere dicitur, & quidem præstantissimum esse remedium pulvere ad ℨj ex vino austero singulis horis matutinis sumpto.

C. *MA-*

D. *MARUM Cortusi* J. B. Majorana Syriaca vel Cretica C. B. Marum Syriacum *Hort. Lugd. Batav. Syrian Herb Mastick.* Vid. *Majorana.*

Odor gratus est & penetrans, fere æque ac Spiritus Salis Ammoniaci, sapor acris, fere urens, amarus, amaritie ab acrimonia celata, decoctum enim residui a destillatione & Extractum valde amara sunt.

Infusum a Sale Vitrioli, authore *Alstono*, fit coloris fusco-viridis flavescentis cum præcipitatione tardiore & minore, quam cum Maro Mastichino.

Vires extrahuntur partim aqua, sed integre a Spiritu Vini rectificato.

Errhinum est bonum, mandendo largiorem mucum eliciens, salutiferum in somnolentia & stupore, summæ efficaciæ in animi deliquio, & vertigine. Virginibus debilibus hystericis, cachecticis, hydropicis, omnibusque frigidis corporibus utile.

Vires habet aromaticas, colluviem seri superflui, ejusque inundationes potenter corrigentes & dissipantes.

Memoriam roborat atque in vertigine & oblivione senili utile.

Subadstringens est, diureticum, emmenagogum, carminativum, antiscorbuticum in scorbuto frigido, & stomachicum, in cruditatibus acidis, serosis & pituitosis specificum.

C. *MASTICHE.* Resina Lentisci C. B. Resina Lentiscina, & Mastiche *Dioscoridis* *Mastik.*

Odorata est, & Chia optima, stomacho grata; proinde medicamentis mali saporis admiscetur, ut ventriculus non evertatur. Commanducata oris halitum corrigit. Calefacit secundo ordine, desiccat sine mordacitate, est enim minimum acris & tenuium partium.

Dentrificiis additur, gingivas contrahens, & Chia commanducata summe facit ad debilitatos dentes. Pilos oculorum fluentes cohibet & glutinat. Additur & illitionibus faciei ad nitorem conciliandum, ceu, ut *Plinius*, ad extendendas rugas in cute. Fractis & purulentis auribus utilissima, item in pruritu genitalium. Sedis, authore *Plinio*, vitiis prodest, si siccandum est & excalfaciendum.

Pota sanguinis rejectioni & veteri tussi utiliter adhibetur. Decoctio confortat stomachum debilem. Paucula ei inest adstrictio, adeo ut stomachi, ventris & jecinoris imbecillitatibus conveniat.

NOTÆ. Est Resina balsamica, pura: odoris grati potius acidula quam adstringens, omnia aquea ad solutionem respuens, sed integre solvitur in spiritu vini rectificato, paucis partibus terreis relictis, & tunc exhibet aliquid caloris

loris & amaritiei, odoremque validiorem quam substantia; solvitur in Oleis, sed Aquæ fere nihil impertit: hinc plenam ejus resolutio in ventriculo non expectanda.

Porro, & solvitur Aqua Calcis, cui tincturam validam dat, & ab eodem principio, quo Spiritus Vini, nempe aërem fixum, (vinculum cohæsionis) in corporibus resinosis attrahendo.

Terebinthinaceum quid possidet, liquore quasi terebinthinato simplici destillatione prodeunte, odore quoque se prodens in Urina. Quinimo in destillatione aciditatem subtilem & gratissimam prodit, fundit in phlegmate spirituoso, & exhibet Oleum duplex, flavum & elegans; obscurum & rubicundum.

Spiritu Vini soluta & super Alutam extensa, ischiadicis solatio est multiplici experientia.

Grana inter primaria apophlegmatizantia referuntur, salivationem eleganter moventia.

Masticata catarrhos sistit, ad odontalgiam & vacillantes dentes valet.

Reprimit exhalationes Ventriculi, quæ caput alias ferire solent, granis aliquot post pastum deglutitis.

In Alvi & aliis fluxibus dantur grana iij aut iv vel pulvis.

In Actis Germanicis prostat historia Tenesmi implacabilis donec tandem sedaretur ab Oleo Masticinis cum Aqua Menthæ, Pulegii & Plantaginis mane & vesperi sumpto.

Deglutita cum Conserva Rosarum veteri in pectus ruentes, & tussim jugem concitantes, catarrhos incrassare dicitur.

C. *MATRICARIA* vulg. vel sativa C. B. Parthenium. *Feverfew.*

Parthenium dictum, quasi Virginalis, quod morbis mulierum uterinis medeatur, unde & vulgo Matricaria appellatur. Parthenii nomine plura quidem herbarum genera veniunt. Amaracum esse *Galeni*, ut quidam voluere, neutiquam satis liquet, & alia prorsus est Matricaria nostra ab ea, quam *Celsus* Lib. IV Perdicion vocari etiam tradidit, reprimereque simul ac refrigerare; verum Matricaria nostra plerisque notis Parthenii *Dioscoridis* convenit, & proinde haud temere vires Parthenii cum qualitatibus sensilibus hic ex *Dioscoride* solo allegandæ:

Odor subvirosus, sapor amarus. Valet decoctum ad insidendum in vulvarum duritiis & inflammationibus. Illinitur sacro igni & collectionibus cum flore.

Siccatum cum aceto mulso vinove, addito sale, potum, non secus ac Epithymum bilem & pituitam detrahit: suspiriosis prodest & anhelatoribus. Herba sine flore a calculosis & anhelatoribus magna utilitate bibitur.

NOTÆ.

NOTÆ. Odoris est aromatici, gravis, penetrantis, saporis valde amari, acris, & in succo calidi usque adeo, ut fere dolorem excitet linguæ, Artemisiæ similis, sed efficacior. Aqua destillata odorem & saporem herbæ exhibet.

Apes non possunt ferre hujus herbæ odorem.

Decoctum foliorum siccorum subadstringens erat, & addito sale Martis viridescebat. Succus vix mutatur ab acidis, nec ab alcalinis liquoribus, sed colorem subrubrum affert Chartæ cæruleæ

Experimentis patuit, virtutes hujus plantæ magis a partibus oleoso-spirituosis pendere quam gummeis.

Extrinsecus usurpatur forma Cataplasmatis ad nodos Mammarum solvendos, & in clysteribus propter vim carminativam.

Succus majore dosi, v. g. ad ℥iv, alvum solvit, & dosi ℥ij datur hora ante paroxysmum in febribus intermittentibus.

In dolore capitis cum sensu frigoris cataplasma, capiti admotum, remedium est non contemnendum.

Propter vim aromaticam, discutientem cum Chamæmelo decocta, vel cum sacculo duplicato calide abdomini applicata, in uteri vitiis dolorosis, ejusque inflatione, doloribus post partum, in mensium fluxu doloroso, & in pathematis abdominis valde prodest.

Usu interno quinquennem puerum, a nativitate Epilepticum, succus ad Cochleare j aut alterum aliquot dosibus sanavit.

In morbis uterinis præcipue frigidioribus mucidis, & in mensium imminutione aut obstructione tempestive data, sæpe sanitatem restituit; & inter antihysterica primarium est.

Ad Urinam, renum & vesicæ impuritates educendas supra omnia alia diuretica potestatem habere dicitur. Ventris tineas necat.

Pecoribus Matricariam desiccatam cum sale vesperi adversus inflationes & difficultatem spirandi utiliter præbent mulierculæ veterinariæ.

N. *MECHOACANNA* alba. Mechoacanna, Rhabarbarum album *Chabræi*. Bryonia Mechoacanna alba C. B.

A *Monarde* primum in usum vocata circum A. D. 1531. Dicitur esse Convolvulus Americanus. Radix viscosa & gummosa inter masticandum instar Jalappæ initio insipida, sed tandem & acrimonia quædam sentitur, salivam eliciens.

Resina inde a Spiritu Vini extrahi potest, sed longe minore quantitate quam ex Jalappa, & vix operæ pretium.

Pituitam & ſeroſos humores purgare ſine moleſtia, & roborare dicitur, daturque tuto ſenibus ac pueris.

Conducit maxime infantibus in cruditate Ventriculi ac pectoris viſcoſa mucilagine expurganda, necnon, quando lumbricis dolent, cum ſaccharo exhibetur, quoniam ſaporis eſt non ingrati.

Infantibus datur a gr. x ad ℈j, adultis a ʒj ad ʒij.

C. *MEDULLA*, præcipue *Cervina*, *Vitulina* & *Caprina*. *Marrow.* Scil. Medulla oſſium, quorum finibus utrimque caput operculi inſtar ut plurimum adnaſcitur.

Colliguntur Medullæ æſtate exita, tunc craſſeſcentes, cum appetit autumnus, quippe cum aliis temporibus concrementum ſanguinis & veluti caro fluida in oſſibus inveniatur

Ea mihi eſt cura, inquit *Galenus*, ne aut putreſcant aut ſitum colligant: itaque in hyeme primum eas capio, velut & Adipem, deinde in ædibus ſiccis atque editis, plane humoris expertibus, cum foliis Lauri ſiccis repono, nam quæ recentia ſunt & humida, multum etiam qualitatis ſuæ illis impartiunt; ut acriores fiunt medullæ. At ſi quando ambiente calido aut auſtrino Medullas aut Adipem voles reponere, paratum ſit in hoc Cubiculum neque calidum, qualia fere ſunt, quæ meridiem ſpectant, (putreſcunt enim in talibus.) nec humo proximum atque humidum (nam in talibus ſitum contrahunt.) ſed ſuperum, excelſum, & in aquilonem obverſum parvas habens apertas feneſtras, ut tam noctu quam interdiu ab arcto ſpirantes ventos accipiant.

Omnes Medullæ leniter molliunt, relaxant duritiem & tumores, vim habent indurata & ſcirrhoſa corpora emolliendi, ſive muſculis, ſive tendinibus, ſive ligamentis id accidat, ſive etiam viſceribus, calfaciunt, ad apotherapiam (b) valent, rarefaciunt, ulcera carne replent.

Hircorum & Taurorum Medulla acrior eſt quam Vitulina. Cervina fortior quam Bubula.

Medulla ex oſſibus humidior, mollior & pinguior eſt medulla ſpinali & Cerebro. Cerebro dulcior, adeo ut ſi eas inter ſe comparando guſtes, putaturus ſis, Cerebrum auſterum etiam aliquid in ſe habere.

Ad ſcirrhoſos affectus nullum vehementer excalfaciens ſiccanſve medicamentum eſt aptum, ſed ea tantum conveniunt, quæ molliendo digerere poſſunt, cujuſmodi ſunt Medullæ, præſertim Cervina & Vitulina, ad hæc Ammo-

(b) Apotherapia, apud Galenum, eſt frictio, quæ poſt exercitationem adhibetur.

moniacum thymiama & Bdellium, quæ factum in hepate scirrhum recentem sanare possunt, si etiam victûs ratio conveniens adhibeatur una cum medicamentis, quæ in potu sumuntur ad aperiendum abstergendumque, qui in viscere continetur, humorem.

Vituli Medulla cum pari pondere Ceræ & Olei, vel rosacei, addito ovo, duritiæ genarum illinitur, & duritias palpebrarum commolit & discutit.

Ex Vitulina & Cervina Medulla Pessi componuntur, uteros emollientes.

Cervina Ulceris ora indurata emollit. Medulla Cervina perunctos fugiunt Serpentes.

* Usu interno Medulla nauseam provocat, si liberalius sumatur, nutrit tamen eum, qui digerit eam, nutrimento multo, crasso.

Medulla Vaccina, cum farina tenui subacta, & velut excoctus panis cibatui data, dysentericos sanat.

NOTÆ. Demulcet, nutrit: Alvum siccam magis lubricam reddit.

Aliis admiscetur ad tumores molliendos & maturandos.

Linimenta exinde efficacia esse perhibentur in rheumatismo & sciatica, atque membris paralyticis auxiliari.

Usu interno in scorbutica acri humorum diathesi prodest, authore *Frid. Hoffmanno*: & specifica esse dicitur in ea specie scorbuti, ubi fit ossium crepitus a defectu Medullæ; & in *Actis Academ. Cæsarea* mirifice profuisse dicitur Medulla ossium equinorum, ad Cochl. j ex Cerevisia calida interne sumpta, in contractura pedum scorbutica, & inter plures, qui hanc sumpsere, citius ii sanabantur, quibus Alvus ex illa laxabatur vel artuum dolores vagi nascebantur.

Vetustate rancida & acris fit; & in partibus magis exsanguibus, v. g. ligamentosis & tendinosis, si nimis diu aut immoderate applicetur, fermentatione sua acrimonia majorem affluxum lacessit.

C. *MEL.* *Honey.*

Apud Veteres ante detectionem sacchari nostratis, multo magis in usu fuit, tum medico, tum culinario. Innumera ciborum genera melle condiebant, & panificia quamplurima, nec pauciores forte potus parabant.

Apud *Plinium* tria notatu maxime digna prostant genera. 1 *Vernum*, ex floribus constructo favo, quod ideo vocant anthinum. 2. *Æstivum*, optimum. 3. Minime probatum, *sylvestre* quod Ericæum vocant. Convehitur post primos autumni imbres cum Erica sola floret in sylvis.

Videtur Meli ex plantis in quarum foliis colligitur boni malive quidpiam accedere, ideoque laudatissimum in locis Mel gignitur, in quibus Thymus aut

aut aliæ herbæ ac frutices temperamento calidæ & ſiccæ, affatim proveniunt: tenuiorum enim partium id Mel quod ex ejuſmodi plantis gignitur.

Magis probatur dulcius & acre, odoratius, ſubflavum aut pellucidum, minime liquidum, ſed glutinoſum ac firmum, quodque dum trahitur, ob tenacem lentitiam in digitos quaſi reſilit.

Malum multam egerit ſpumam, optimum vero minimam ſpumæ evomit, unde ei pari coctione non opus eſt: plurimum quartam partem ejus, quod inditum eſt, amittit.

Tenuium eſt partium, & proinde acrimoniæ quiddam habet, qua Alvum ad excretionem proritat, quam adimentes ipſum efficimus ad diſtributionem & coctionem accommodatius.

Commodiſſime autem ipſam adimemus, ſi primum multum illi aquæ admiſcuerimus, ac deinceps tantiſper coxerimus, quoad ſpumare deſinat. Hac parandi ratione acrimoniam deponit, neque amplius alvum ad excretionem irritat, & proinde in corpus haud cunctanter diſtribuitur. Porro, Mel non bene coctum in ventriculo & inteſtinis flatus quoſdam gignit, contra, quod in decoctione ſpumam omnem abjecerit, flatûs fit expers & Urinam movet.

Diſcuſſoriæ facultatis eſt, ſed citra mordacitatem in iis affectionibus, quæ in ore ſunt, proinde faucium vitiis, tonſillis & anginis collutum gargarizatumve medetur, areſcentique in febribus linguæ; verum in Oculis mordax exiſtit; porro Ulceribus quoque mordax, cutem autem non offendit. Urinas ciet. Copioſius ſumptum purgat per alvum, vel ſuperiorem ventrem ad vomitum concitat.

Vim Antiſepticam egregiam poſſidet, Cydoniorum enim & aliorum Malorum adſtringentium ſucci, melle cocti, non corrumpuntur (e). Putreſcere corpora non ſinit. Babylonios melle corpora defunctorum condire ſolitos, teſtis eſt *Herodotus*, ab *Harduino in notis ad Plinium* citatus: & in Iberia edulium componunt ex carne lævigata cocta cum melle, quod adeo durat ut patinæ recentes, ipſo refertæ, Romam afferantur.

Pediculos & lendes enecat.

Iis, quos Serpentes momorderint, auxiliatur, itemque contra hauſtum Meconium, ſi cum roſaceo calidum aſſumatur, & contra Fungorum malefica, ac rabioſi Canis morſus delinctum potumve proficit.

In ore vaſculi, in quo ſervatur Mel, adcreſcit ſæpenumero Cruſta denſa, quam

(e) Confer dicta de aliis Malis ſupra, ubi de *Malo*.

quam servare incumbentem conveniet, si velis Mel diutissime absque mutatione servare.

Cutis universæ ac Ulcerum sordes auferre possunt dulcia, quæ tenuium sunt partium, puta Mel, quod extrinsecus desricatum sordidum corpus detergit.

Porro, Mel corrigit sapam & Lentem, succumque tenuem habens facit quo minus farina lenta hepatis obstructiones generet.

Attenuand. & extergendi vis Mellis ulterius patet ex ejus usu vino mixti, ad colluendos dentes post Lac sumptum, necnon ab ejus usu cum & sine sale Lacti cocto admixti, privatim Lacti caprino, ne caseus fiat in ventriculo. Aures purgat instillatum cum rosaceo. Oculorum caliginem discutit. In pueris dentientibus gingivas, per quas exitus est dentibus, extenuat. Tenuat sputum crassum, & juvat ad spuendum.

In curatione Gangrænæ, ubi cessarit putredo, crustas disrumpit & a sanis partibus separat Iris cum melle; in mollibus vero corporibus sufficit Orobi farina cum melle aut thure.

Coctum minus acre extersoriumque redditur, quo circa ad sinuosorum Ulcerum glutinationes eo utuntur, & hinc bicerosis cutibus non parum confert Mel, si ad emplastri consistentiam elixetur, & contra, in curandis Ulceribus sordidis, si emundare studemus, Mel non coctum, utpote validius detergens, hoc præter cætera præstat.

Abstinendum, quoad fieri potest, in hecticis febribus a Melle quippe protinus vertitur in bilem, & sicciores acriorisque caloris febres reddit; & in exquisitæ Tertianæ curatione, quæ ex flava bile invalescit, oportet abstinere a melle, sinapi & salitis.

Quibus cibi acescere consueverunt dandum est Mel, sed quibus in nidorem transmutantur dandus panis aut chondros.

Quod ex Cancris plurimum in aqua coctis efficitur simile est Melli, non tantum consistentia, sed & facultate.

Omnibus Medicamentis, quæ thoracis & pulmonum Ulceribus sunt destinata, Mel admiscetur sic Peripneumonicis & Pleuriticis medetur decoctum: & quoties in vesica & renibus vitium consistit, Mel Ulcerum Medicamentis admisceri oportebit. Tussi auxiliatur, crudum tamen tussim irritat & alvum inflat, quare despumato utendum. Notandum quoque, Mel attenuantis facultatis esse, & proinde ubi fluxus valde tenuis exstiterit, fugiendum esse.

Verpis seu curtis glandem, quæ citra circumcisionem nudata sit, in integrum restituit si Melle præputium à balneo potissimum ad dies triginta emolliatur.

Si Mel plurimum coxeris, ex dulcissimo reddideris amarissimum: porro &

non coctum vetustate dulcedinem cum amaritudine commutat: itidemque aliorum Dulcium unumquodque multa coctione aut vetustate amarum fit.

Porro, vetustate candius fit, & tenuiores efficitur, ac proinde gustantibus apparet acrius, & induratos ægreque solubiles affectus potentius digerens æstimatur.

Jam, ut foris cum pluseulum igni admovetur, amarum efficitur, ad eundem modum in animalium corporibus ubi validum calorem nactum fuerit, v. g. in ætate florentibus & calidis natura, febrientibus, vitamque degentibus laboriosam accidit. at in temperaturis frigidioribus facile in bonum & moderatum sanguinem convertitur, & naturis pituitosioribus senibusque cibus est accommodus, itidemque in frigidis morbis, sed inimicus in morbis biliosis: & hyeme magis convenit quam æstate.

NOTÆ. Est succus vegetabilis ab omnibus floribus, non excepta *Aloë* & Colocynthide, exsudans.

Optimum album, ætate flavescens, clarum, odoris dulcis, saporis dulcis & acris, limpidum fere ut aqua, sola extillatione paratum, pressione in torculari minus purum, Ceræ inde particeps.

Ad Mel depurandum, ei affunde aquæ portionem æqualem, vel duplam, vel si valde impurum sit, triplam, coque & despuma.

Vel, si hoc non satis depurgatum sit, clarificari poterit albuminibus ovorum, singulis ad singulas libras adjunctis: & adhuc magis purum fit, si Mel una cum favis indatur Manicæ *Hippocratis* suspendaturque in loco tepido, ut perfluat Mel.

Ex favis sumptum æstate longe melius quam autumno 1. Ob flores tunc fragrantes, magis abundantes. 2. Quoniam tunc Apes plus vigoris habent. Ab Ericæ floribus pessimum habetur.

Partibus sulphureo-oleoso-salinis, larga mucilagine temperatis, exuberat: hæ patescunt analysi, 1 *Spontanea*, si nempe inspissetur, & dein adhibeatur Argilla humida, ut in saccharo depurando, separatur a melle pars unctuosa, & massa solida, concreta, salina, alba, quæ sedes est dulcedinis. 2 *Artificiali* Destillando enim prodit 1 Phlegma acidulum. 2. Spiritus cum Olei nigri fœtidi parva quantitate, odoris tanquam à torrefactione, saporis acidi acris. In retorta relinquitur materia nigra, spongiosa, inflammabilis, unde sal alcalinum fixum obtineri potest, & tantillum ferri, magnete se prodentis.

Solvitur tum in Aqua, tum in Spiritu Vini rectificato & in Oleis.

Promovet unionem corporum resinosorum & oleosorum cum Aqua, & in multis præter dulcedinem convenit saccharo, v. g. 1. Acidum exhibet destillando.

lando. 2. Lac coagulat eadem proportione, qua saccharum brunneum. 3. Fermentatione abit in vinum generosum, quod facile inebriat. 4. Igne inflammatur. 5. Insigniter promovet fermentationem vegetabilium cum carne in ventriculo.

Porro, Enemata detergentia & laxantia ingreditur; suppositoria fiunt ex eo ad formam solidam redacto: ingreditur Cataplasmata resolventia & maturantia. Et in Actis Academiæ Cæsareæ prostat exemplum Apostematis diu plorantis, exsiccati & consolidati, sola applicatione panis melliti sine aromatibus aut amygdalis parati.

Usibus internis adde, quod Panis cum Melle Pythagoreum fuit Nutrimentum.

Urinam movet, insigne est Anthelminticum, & in experimentis *D. Lobb* Hydromel fragmentum Calculi, ei per 30 dies infusum, parum solvebat.

D. *MELILOTUS.* Trifolium odoratum vel Melilotus vulg. J. B. *Common Melilot.*

Dum adhuc recens est herba, cum aceto & sale usurpari potest, ut aliæ herbæ in acetariis; & apud nos in Anglia, inquit *Raius*, subinde seritur pro equorum & jumentorum pabulo.

Folia & Flores, sed præcipue Flores, usurpantur. Odor florum suavis est ut Mellis, qui & siccescentibus intenditur: foliorum odor idem, sed debilior: utraque mucilaginosa, sed mucilagine teneriore quam radicis Althææ & Lilii albi: sapor amaricans & acris, succus usque adeo acris, ut dolorem excitet masticanti: Infusum florum siccorum evidenter amarum & nucleum Mali Persicæ redolet.

Ad naturam alcalinam magis quam ad acidam tendit; nam non rubefacit Chartam cæruleam, & parum tantum solutionem Heliotropii, & succus consistentiam suam servat magis cum liquoribus alcalinis quam ab acidis, ab his coagulatus.

Meliloto tribuitur vis emolliens, resolvens, anodyna, carminativa, duplici scil. virtute gaudenti. 1. emolliente & laxante. 2. vi aromatica leni & stimulante, quod ab affectibus experientia comprobatis patet, nam,

Ingreditur Cataplasmata emollientia, blande discutientia, paregorica, & suppurantia tumores, Enemata cum Chamæmelo emollientia & detersiva, Fotusque resolventes & anodynos; nil quoque præstantius, quam Melilotus cum fœnugræco in fotu ad inflammationes & dolores pudendorum a partu.

Florum succus vel Infusum inflammationem oculorum mitigat: succus instillatus albuginem tollit, & auribus instillatus illarum dolores finit, teste *Trago*.

Lixi-

Lixivium, in quo Melilotus decocta fuit, recentes Meliceridas & Ulcera manantia sanat, si caput eo abluatur.

Usu interno decoctum in doloribus colicis & nephriticis prodest, & sudores movet. Flores inter expectorantia recensentur.

C. *MELISSA* vulg. odore Citri J. B. *Baum.* Melissophyllon & Apiastrum *Dioscoridis* & *Plinii*.

Citreum Malum olet, unde & *Citrago* dicta est, & *Apiastri* nomen obtinuit, quoniam Apes ea delectantur in tantum, ut si Alvearia succo ejus illinantur, nunquam diffugiant.

Mauritani in Cordis affectibus miris laudibus efferunt: ita enim *Serapio* apud *Matthiolum*. „ Melissophylli proprium est animum hilarem reddere, humenti ac frigido ventriculo auxiliari, concoctionem adjuvare, cerebri obstructiones reserare, deficientem animum revocare, cordis imbecillitatem roborare, eamque præsertim, qua somnus frequentius nocte intercipi solet, quin & ejus palsum reprimere, animi sollicitudines fugare, imaginationes tollere, quæ tum ab atra bile, tum ab exusta pituita oriuntur " & ibidem hæ facultates Melissophylli *Avicennæ* testimonio comprobantur, scil.

„ Excalfacit siccatque ordine secundo. Cor exhilarat, vitalesque facultates roborat, odoris fragrantia, saporis austeritate partiumque tenuitate: quibus facultatibus cæteris etiam visceribus competit ".

Porro vires alexipharmacas & roborantes æque ac discutientes Græcis quoque non fuisse ignotas, patet ex frequenti earum apud illos enumeratione. Illita folia cum sale strumas discutiunt, articularios dolores illita sedant, ulcera purgant. Defectionibus fœminarum ad ciendos Menses convenit decoctum; Dentes eodem colluuntur: Dysentericis clystere infunditur. Folia cum vino pota aut imposita prosunt contra ictus phalangiorum & scorpionum, & earundem decoctum fotu ad eadem valet: authore *Plinio*, Melissophyllum præsentissimum est remedium contra ictus apum, vesparum & aranearum.

Fungorum strangulationibus folia, addito Nitro, potu auxiliantur: torminibus & orthopnoicis delinctu.

Ingreditur Antidotum contra podagram & arthritidem inter alia aromatica apud *Nicolaum Myrepsum*.

NOTÆ. Odoris est aromatici, mitis, similis odori corticis Citri vel Limonis, saporis subacris, amaricantis, adstringentis, & in succo austeri, ut & in decocto recenti a destillatione, quod subfuscum vel saturate viride fit, addito Vitriolo Martis; in Extracto aquoso & spirituoso adest sapor adstringens & amaricans. *Haff-*

Hoffmannus monet, verno tempore colligendum esse & extra florem, ad quem ubi pervenit, cimices olet.

Rei œconomicæ studiosis expedit Melissam plantare juxta Alvearia; inde enim fiet ut Apes nunquam diffugiant.

Externe discutit tumores œdematosos: succus vulnera recentia consolidat.

Interne, discutit flatus; palpitationem Cordis & vertiginem ex defectu spirituum, vel in affectibus hypochondriacis, tollit.

Pulvis, singulis diebus ad ʒj per mensem usurpatus, in Melancholia hypochondriaca, ad maniacum affectum inclinante, valde proficuus fuit.

Emmenagoga est, & nihil frequentius, quam ut mulierculæ decocto menses tardiusculos sibi concitent & proritent. In Gallia tiriones teneros tusos ovis, sacchari & rosaceo excipiunt placentulasque pinsant parturientibus, puerperis & enixis, quibus vires dejectæ & secundinæ non probe eductæ; attamen infusum in aqua egregie iis Uteri vitiis succurrit, quæ ex ejus tono & robore dejectis proveniunt, ut sunt difficilis retentio fœtûs, & facilis ad abortum dispositio, perpetuum seri putridi sine vel cum sanguine ex utero stillicidium & Fluor albus.

C. *MELO* offic. *Dale*, *Pharm.* Melo vulg. C. B. *Musk-Melon.* Melopepon *Galeni*; *Cæsalp.* C. B. Melopepo, quasi Mali forma Pepo.

Melopepones sub Cucumerum genere ab antiquis comprehendebantur: hinc odoris suavitate commendatus erat Cucumis, seu Melo noster. Nemo enim verba *Dioscoridis* „ Cucumeris odore revocari, quos animus liquerit ", de vulgari Cucumere dixerit, sed de Melonibus, quorum gratissimus odor & mira fragrantia.

Plinii ætate nomen Melopeponis ei inditum, prius enim sub Cucumeris voce latebat; sed nomen hoc posterioribus seculis obliteratum erat, & contracta voce Melones dicti sunt.

Porro errant, asserente *Salmasio*, qui Melones, quos sic vocamus, diversos putant a Melonibus *Palladii*: iidem autem illi sunt cum veterum Græcorum Melopeponibus. Vide Authorem, qui pluribus utriusque congruitatem ostendit.

Proinde sic se habet nomenclatura:

Melo vulg. C. B. *Musk-Melon*, est { Cucumis *Dioscoridis*; Melopepon *Galeni*; Melo *Palladii* & posteriorum seculorum, nosterque.

Melopepones *Galeni* frigidi sunt & pituitosi, potissimum si crudi & non elixi mandantur, & locum habent inter edulia, quæ refrigerare nata sunt, & æsta-

æstatis tempore ejus paululum sumi potest ad corporis squallorem calorémque curandum. Ventri subducendo idonei sunt, facultatemque mediocriter abstergendi possident. Parcius tamen edendi sunt, quam alii fructus, iis enim succus bonus non inest, eo quod, nisi alvum statim subeat, corrumpitur ibi, humoremque ex corruptela hac faciunt, qui non longe a mortiferis venenis abest (*d*).

NOTÆ. De semine vide sub *Citrullo*.

Pulpa fructuum tenera, humida, glutinosa, saporis dulcis, grati, vinosi; aliquando Moschum, alias saccharum redolentis, unde *Moschatellini*, vel *Saccharini* appellati fuerunt.

Regionum calidarum longe meliores sunt quam frigidarum nostrarum, & circa montem *Ararat* optimi sunt ac pinguefaciunt, non lædunt, notante *Tournefortio*.

Cocti minus nocent, potuque vini & pipere correcti, præsertim si caveatur post eos comestos a nimio potu.

Dulcedo eorum pendet a sale instar *Mannæ*, unde eorum ingurgitatio sæpe diarrhœam affert.

Calorem sanguinis temperant, sitim sedant; diuretici sunt, & bene maturi commendantur contra hydropem.

C. *MENTHA* angustifolia spicata *C. B.* *Spearmint.*

Cognita est herba, inquit *Dioscorides*, nulla descriptione addita. Odore suavi quadrat nomini ἡδύοσμον, & viribus, quas Menthæ tribuit *Dioscorides*.

Gustu acri est, ex tertio ordine excalfacientium & tenuium partium. Habet & in se quiddam amarum & acerbum. Odor ejus animum excitat, & sapor aviditatem in cibis, ideo embammatum mixturæ familiaris.

Grato mensas odore percurrit in rusticis dapibus, inquit *Plinius*. Viridis & aridæ tenella obsonium est esculentum manditurque cum alimentis & in acetariis peculiarem gratiam obtinet.

Lac acescere densarique in caseum non patitur, si folia potionibus lactis immergantur.

Ol-

(*d*) „Facile in stomacho corrumpitur, unde Vomitus, Diarrhæa, & nonnunquam Cholera „Morbus, aliquando etiam febres malignæ excitantur. Refert *Joannes Cuspinianus*, in „vita *Friderici Tertii*, ex intempestivo Melonum esu quatuor Cæsares periisse; quare „plerique prudentiores ab illis prandium auspicantur, ac deinde bonos cibos comedunt, „per majorem eorum enim malitia illorum obtunditur". *Ludov. Nonnius*, de re Cibaria.

Calefaciendi, discutiendi, adstringendi atque exsiccandi vim habet, quod ex viribus ejus clarius patebit. Suppurationes discutit, si cum polenta cataplasmatis modo imponatur. Mammas, si tenduntur, aut lacte turgeant, compescit. Cum sale canum morsibus illinitur. Aurium doloribus cum aqua mulsa succus instillatus convenit. Vulvæ ante coitum admota, conceptioni resistit. Ulcera in capite infantium sanat succus. Fauces humidas siccat, fluxus adstringit. Voci succus sub certamine utilis, qui & gargarizatur uvâ tumente, adjecta ruta & coriandro ex lacte. Linguæ scabritiem confricata cum melle lævigat. Utilis & contra tonsillas cum alumine. Epiphoris illinitur & omnibus in capite eruptionibus, item sedis vitiis. Igni sacro prodest Menthæ fascia, vivi sulphuris Uncia ex aceto simul trita. Illinitur temporibus in cephalæa curanda post totius corporis evacuationem, discutiendo & repellendo.

Usu interno stomacho utilis, & in condimentis peculiarem gratiam habet. In Cholera curanda, si vomitus perseveret diutius, dandum Menthæ decoctum, vel ternis ramulis cum acido granati succo pota, qui & singultus sedant. Trita quoque, in aceto pota, Choleras emendat. Cum amylo ex aqua pota Cœliacorum impetus cohibet. Decoctum per triduum consequenter potum Colicis valde prodest.

Acrior fere Tineas in ventre necat; acerbiorem vero, si ex oxycrato bibatur, recentes sanguinis rejectiones reprimit. Purgationes feminarum inhibet.

Venerem stimulat, authore *Dioscoride*; generationi vero resistere creditur, authore *Plinio*. Juxta *Hippocratem, de Diæta*, Mentha calefacit & urinam ciet, ac si quis sæpe comedat, semen genitale colliquefacit, ut effluat, arrigere prohibet, & corpus debile facit. Hos authores *Ludovicus Nonnius* supra citatus conciliare conatur, & explicare, unde fiat, ut, flagrante bello, Veteres Menthæ usum militibus interdicebant, scil. utpote venerem stimulantem, unde frequenti concubitu vel fortissimi Milites effeminati ac molles evaderent: & huic quodammodo consentire videtur *Alstonus*, inquiens, „ Mentha semen multum, sed debile & languidum gignit ".

NOTÆ. Folia senescentia evidenter amara fiunt: & quod subadstringentia sint confirmatur experimento sequenti. Infusum, addito Vitriolo Martis, atro-virescens fiebat, & in experimento *D. Alston* cærulescens. Hinc facile & in Spiritu Vini digesta ab *Aquâ destillatâ* differt, scil. amarorem & adstrictionem retinens una cum partibus aromaticis, quæ alias destillatione foras eliminantur.

Pisis & fabis incoquitur ad tollendam flatulentiam.

Lac, in quo folia macerabantur, longe tardius coagulabatur, quam Lac per se.

&, notante *Lemas*, non fit Caseus ex Lacte, ubi Vaccæ in locis aquosis coguntur Menthâ vesci.

Enemata carminativa ingreditur. Valet ad Oedemata & ad tumores duros cum hordeo tosto applicata.

In omni morbo frigido & acido, hinc in cruditatibus inprimis acidis prodest, & malis quibusvis a muco Ventriculi acido plus minus viscoso oriundis, cardialgia, & Vertigine a stomachi consensu; necnon infantum dolores lenit; & contra Vomitum, nauseam singultumque paratur cum Mentha, fermento & q. s. aceti Cataplasma egregie juvans. In iisdem Malis valet succus & Aqua destillata interne, & in lancinationibus circa vertebras, in Mulieribus gravidis abortûs prodromis, usu externo & interno egregie prodest.

Ad mensium profluvium & fluorem album compescendum laudatur; & aliquando Menses movere deprehenditur. Confer *Melissam*.

D. *MENTHASTRUM* offic. Mentha sylv. folio longiore C. B. *Horse-Mint.*

Quidam volunt hoc esse Calaminthum *Galeni*, quod tamen non satis manifestum est. Calamintha enim *Galeni* est tam cibus quam Medicamentum, & inter obsonia, quæ viridia manduntur, cum alimentis locum habet; sed Menthastrum, utpote gravioris odoris, minus ad sanorum usus experti author est *Dioscorides*; & an *Plinii* Menthastrum sit nostrum non satis liquet ob mancam ejus descriptionem.

NOTÆ. Odoris est aromatici, gravis, ad Pulegium quodammodo accedentis, saporis aliquantum calidi, subadstringentis, & decoctum viride fiebat, addito Vitriolo Martis.

N. *MENTHA* Piperis sapore, spicis brevioribus, foliis Menthæ fuscæ, sapore fervido Piperis *Raii*, *Synops.* *Pepper-Mint.*

Odor tum recentis, tum siccæ aromaticus est, ut Menthæ vulgaris, sapor ut piperis, sed fugax, & simul quasi nitrosus, vel cum sensu frigoris, ut in Camphora, quod & sentitur in Aqua destillata; hinc longe minus calefacit, quam conjectaret quis a sapore piperis instar.

Decoctum cum Vitriolo Martis viride fit.

Oleum essentiale dat acerrimum.

Vires menthæ in ventriculi languore, vomitu & diarrhœa simplici, tum herbæ ipsi, tum Aquæ destillatæ competunt.

Aqua destillata in Colica flatulentis insigniter prodest, etiam in arthriticis; & laudatur in sabulo renumque calculo.

G. *MERCURIALIS.*

Quasi Mercurii inventum, herba apud Veteres usûs frequentissimi, usque adeo ut de *Catone* memoriæ proditum sit, quod familiam suam rusticam Mercuriali alvum dejicere docuerit.

Bene notandum apud *Raium* in *Synops. Stirp. Brit.*, duas reperiri species, scil. 1 *Mercurialis perennis* repens Cynocrambe dicta, *Dog's Mercury*, cujus intra corpus liberalius assumptæ vim malignam & venenatam esse tradit Author tristi exemplo. 2. *Mercurialis annua*, glabra, vulgaris, *French Mercury*. Hujus usum tutissimum esse innuit, &, conveniens equidem viribus Mercurialis apud Veteres decantatis, emollit ac abstergit, unde in enematis frequentissima: succus illitus Verrucas tollit. Simile quid prædicatur ab *Altio* de semine Mercurialis, quod nempe experientia docuit, semen hujus, nondum siccatum, tubercula & eminentias in corpore, vulgo Carphas dicta, dissipare, si quis ipsa diligentius hoc semine confricet.

Botanici alii docti quoque duarum præcipue specierum Mercurialis meminerunt, quæ sunt 1 *Mercurialis testiculata* C. B. Mercurialis mas *Matthioli*, *Turneri*, *Dodonæi* & *Lobelii*. 2 *Mercurialis spicata* C. B. Mercurialis fœmina Authorum dictorum, quæ plerisque vel omnibus nota Mercurialis mari & fœminæ apud *Dioscoridem* conveniunt. Vid. *Raii*, *Synops.*

In Cataplasmate apposita valide discutit. Aures purgat succo instillato & inuncto cum vino vetere; & eruditum est apud *Averroëm*. Alvo imponebatur apud Veteres, ut Ano apud Recentes, admixto butyro vel adipe, ad alvum ciendam.

Hippocrates Mercurialem admovit Vulvæ cum melle aut rosaceo vel vino, item ad ciendos menses secundasque & hoc idem præstare potu fotuque dixit.

Tenera folia, decocta, comesta abunde stercus expellunt; eorum decoctum vero, vino admixtum, valentius alvum dejicit & biliosa expurgat.

Plinius paulo accuratius dosin definivit ad Alvum solvendam vel in febre exhibendam, scil. decoquitur quantum manus capiat in duobus sextariis aquæ ad dimidias, bibitur sale & melle admixto, necnon in ungula suis aut gallinaceo decoctum salubrius. Coctum in aqua epota jure bilem aquamque detrahere, author est *Dioscorides*.

Inter evacuantia, quæ sanis conveniunt, locum habet, ei conveniens, qui quotidie evacuari debet, itemque febricitanti, cui alvus non dejicitur, & senibus, pueris, ac fœminis.

Purgat in intestinis crudos humores, indigestibilesque cibos, & rotundos hu-

lumbricos excludit. in libris spuriis, *Galeno* adscriptis, dicitur bene expurgare in Ictericis, & suavissime mictionem movere.

NOTÆ. *Mercurialis fœmina* non rubefacit Chartam cæruleam. Nitrosum quid habere perhibetur instar Betæ & Brassicæ, quo alvum stimulat.

Non reticendum hic duxi, quod perhibetur in *Act. Germ.* „ *Mercurialem* „ spicatam sive fœmineam *Raypii*, Mercurialem Caule brachiato foliis glabris „ *Linnæi*, (*Haller*. Enum. N. 1. p. 194.) juniorem lethalem esse Ovibus; „ adultioris vero Antidotum Theriacam existere ".

Haud inutile fuerit hic meminisse plantæ, apud nos longe frequentioris, quam Mercurialis, & qui quodammodo pro hujus substituto inservire queat: scilicet *Lapathum unctuosum* folio triangulo C. B. Tota bona *Lobelio* & *Dalechampi*. Bonus Henricus *Tragi*: Anglice *Common English Mercury or All good*, de qua hæc *Lobelius*. „ Vulgus hanc Mercurialem appellant errore non parvo „ (est enim planta diversi generis.) sed ad usum non magno incommodo; „ præsertim si ad enemata tantum addatur, minus enim calefacit, lenius lubricat, at olere vel ore alive sumpta modo, nonnullos multum torminibus vexat uti dictum inter Atriplices, " quibus subjungitur apud *Raium*.

C. *MERCURIUS* vivus Vid. *Argentum vivum*.

C. *MESPILUS* sylv. C. B. *The Medlar tree*.

Est secundum genus Mespili apud *Dioscoridem*, quod *Theophrastus* & *Plinius* Setaniam, alii Epimelida cognominant. Epimelis dicta, quoniam ubi sponte provenit, semper Malum agrestem vicinam habet. Non fuit hæc arbor in Italia *Catonis* ævo.

Mespilus arbor, Mespilum fructus.

Fructus est admodum acerbus, usque adeo, ut edendo non sit, donec mollescat. Qualitatem saporis Cotoneæ habet, & multo validius adstringit quam sorbum: est enim ex austeris vel acerbis, quæ profundius Linguam subire sentiuntur, quam adstringentia, & asperum quendam inæqualemque sensum movere tanquam reficcantia & humorem omnem corporum sensilium depascentia.

Mespila quanto magis coquas, tanto dulciora efficies, (*e*) ipsum vero decoctum

(*e*) Vide *Ettm.* de *Malis sylvestrib.*

coctum acerbum efficitur. Usus est ut Medicamenti potius quam Alimenti, stomacho ventrique corroborandis, utilissimus quidem ventri fluenti cibus, sed parce, non autem large, ut uvæ & ficus, vescenda: alimenti enim vice sumpta sanguinem exhibent minime commendandum, & adstricta plus æquo alvo nocumentum capiti reliquoque inferunt.

Inter adstrigentia validiora pro Gargarismis locum habet, & in dysenteriis, valenter ventrem restringens; in sanguinis profluvio, ubi exiguum est vas quod proruptum est, vel modice reclusum, sic ut non multus sit qui ex eo profluat sanguis, Mespilorum decoctum idoneum est.

Succus, cum duplo vel triplo mellis coctus pharmacum est stomaticum (f).

In iis, qui stomacho exuruntur cum animi deliquio aut appetentia perdita, ex quacunque tandem causa præter febrem, sic præcipit *Galenus*: Aquæ cyathos tres aut quatuor sorbendos bis aut ter per intervalla dato, & si quidem inde initium habeant, ipsos revocatos tum cibo tum aliis refocillare tentabis. Si vero permaneat malum, ligatis & calefactis extremitatibus cremorem, quotidie absorbendum, dato ex Mespilis, baccis Juniperi, Croco & cæteris ex aqua bibendum exhibeto; aut aquam frigidam cum Omphacii succo præbeto" (g).

NOTÆ. Septembri vel Octobri mense decerpi solet; & tum demum maceratur, ut mollescat, quod intra mensis spatium præstare norunt agricolæ. *Bod. a Stapel, Not. in Theophr.*

Aliter, Mespila paleis substrata maturitatem accipiunt hyeme, & cruda eduntur cum saccharo & cinnamomo, vel Zingibere, ut stomacho sint gratiora. Alii ex butyro coquunt, nonnulli in vino adjecto cinnamomi pulvere. Vis illis adstringendi est egregia & stomachum roborandi.

Fructus ante maturitatem subacidus, & adeo acerbus est, ut deglutiri nequeat. Extractum vero ejus dulce est, subacidum, subadstringens, calore foci id celerius efficiente, quod tardius præstat tepor aëris, unde maturatus seu putridus dulcis est, subacidus, vinosus, ventriculo amicus.

Et apud Gallos, authore *Simone Pauli*, inter bellaria locum habet, valde expetita ut ultimo loco sumatur, loco Diacydoniati simplicis, ut tanto melius Ventriculus cibos ingestos concoquat.

Ilium-

(f) Medicamentum ad affectus oris & faucium adhibitum.

(g) Haud dubito quin hæc medicamenta simpliciora ex solis vegetabilibus constantia fuerint æque efficacia & aliquando magis tuta in malis dictis, quam Medicamenta spiritus Vitrioli adstringentibus afficiens.

Immaturorum fructuum decoctum coagulabat albumen Ovi & salivam jejunis Viridesmagna quantitate devorati multos, diarrhœa pertinaci laborantes, sanaverunt, aliis remediis nihil proficientibus.

C. *MEUM* Athamanticum. Meum foliis Anethi C. B. Meum *Dioscoridis* & *Plinii* C. B. *Spignel*.

Radices odoratæ sunt & acres, gustu fervidæ, tertio ordine calidæ secundum *Galenum*. Stomachica pharmaca ingrediens discutit. Infantibus illitæ (cum Apio, addit *Plinius*) imo ventri urinas movent. Earum decoctum insessu sanguinem per menses pellit. Pharmacum ad nervos vulneratos, utpote tenuium partium, ingreditur.

Fervefactæ ex aqua, vel citra coctionem præclusorum renum vesicæque farctæ vitia potu leniunt, Urinæ difficultati medentur, & bene purgant in Ictoris.

Stomachi inflationes mire discutiunt; torminibus, uterinis affectibus, articulorum doloribus auxiliantur, necnon fluxionibus pectoris, tritæ cum melle in eclegmate.

Quod si plus quam deceat ex radicibus bibatur, caput dolore afficitur.

NOTÆ. Radix Antiquorum magis acris erat quam nostri, cujus odor aromaticus est & cum suavitate gravis, saporis acris, acrioris quam Fœniculi, amaricantis, subdulcis Substantiâ oleosâ repleta est.

In Mensibus suppressis valet. Insignis est carminativa. Masticata Hystericas levat.

C. *MEZEREON*, sive Chamelæa offic. *Mezereon or Spurge-Olive.*

Arabum Mezereon est Chamelæa & Thymelæa *Dioscoridis*. Appellatur quoque Laureola; scil. Laureola duplex est. 1. *Laureola semper virens*, flore viridi, quibusdam Laureola mas C. B. *Spurge-Laurel*, de qua supra. 2. *Laureola folio deciduo*, flore purpureo, Officinis *Laureola* fœmina C. B. *Mezereum or Spurge-Olive*. Quo nomine hæc a Veteribus appellata fuerit; & an ipsis cognita explicatu non est facile.

An sit Chamelæa *Dioscoridis* ob brevitatem descriptionis affirmare non licet, tametsi Officinæ Germaniæ & Belgii hujus foliis, si quando opus sit, pro foliis Chamelææ utuntur, quod citra errorem fieri potest, nam Chamelææ viribus apud *Dioscoridem*, *Galenum* & Principes medicos convenit, quamobrem ejus loco substitui posse consentio *Dodonæo*

Audi *Hoffmannum* de planta, Mezereon dicta: „ Mezereon Arabum monstrum est plantæ, confictum quippe ex Chamelæa, Thymelæa, Daphnoide, „ Cha-

„ Chamædaphne, fortaſſe etiam ex Chamæleonte & Tithymalo: nec res eſt
„ adeo ultra fidem, quum plantæ hæ omnes igneæ ſint qualitatis".

Folia amara ſunt, linguam mordent & fauces ſcarificant, vehementer erodunt, plurimum calefaciunt. Ulcera admodum ſordida, & quæ maximas habent cruſtas, cum melle trita perpurgant.

Tenera trita & in globulos redacta aquam movent, ſi quis ea per anum injecerit, proſunt enim ad duritias laxandas & ad morbos interaneos depellendos.

Purgant per inferna pituitam & bilem, in quem uſum deglutienda dantur uni foliorum parti duabus abſinthii additis, conformanturque in pilulas aqua mulſa, quæ non digeruntur in ſtomacho, ſed, quales ſumptæ fuerunt, redduntur.

Drachmæ quatuor, in aquæ mulſæ cyathis duobus coctæ, ut ad quartam partem deveniant, ſimiliter ut Veratrum purgant.

Similes vires herbæ, Mezereon dictæ, tribuit *Meſue*, aſſerens, quod Turunda, ex eo & melle, Ulcera fiſtuloſa & cacoëthea curet.

Lumbricos & animalia alia interanea necat pelliſque.

Vis ejus acerrima & maligna frangitur contrariis acrimoniam & calorem flammeum obtundentibus & extinguentibus, qualia ſunt mucago pſyllii, ſuccus portulacæ, acetum.

Folia lacte aſinino vel caprino, dulci acidove, vel ſero lactis infundantur, aut igne lento coquantur deſpumando, & coletur. Tuto id propinatur, malitiâ ejus ſic ablatâ.

Fructus vel Seminis ſi quis grana viginti dederit ex aqua mulſa, proderit hydropicis & elephantiaſi vexatis.

NOTÆ. Tota planta odorem habet fortem, Cortex radicis & Cortex interior trunci calidior eſt quam piper, fere urens, veſiculas enim in lingua maſticanti excitavit; & calor oris tum a radice tum a baccis durabat 24 horas vel ultra.

Cortex emeticus eſt, catharticus, & ſæpe dejectiones, ſanguine tinctas, affert.

In Suecia ſeminibus utuntur pro veneno ad necandos lupos & vulpes.

Externe radix macerata in aceto, lixivio acri, vel aqua, in qua Nitrum ſolutum fuerit, forma ſetacei adhibetur auribus perforatis inſerta, ad tollendas inflammationes oculorum.

Folia, cum melle trita, faciei maculas intra paucos dies illitu exterit & purgat.

Decoctum Corticis Radicis ℥j, in Aquæ cong. jß ad cong. j cocti, addendo

sub finem Rad. Liquiritiæ ℥j, datur ad ℔jß quater in die felici cum successu in nodis venereis, hac dosi vix purgans vel sensibilem quamvis secretionem augens (h).

C. *MILIUM* semine luteo vel albo C. B. *Millet.*

Veteres non describunt Milium peculiariter, sed ex iis, quæ ex *Theophrasto* aut *Plinio* congessit *Cæsalpinus*, facile est judicatu, quod habemus, verum esse Milium.

Quum omnis pasta lenta sit, Miliacea contra est admodum friabilis, & proinde difficilis est ejus usus in Cataplasmatis, & pus non movet utpote exsiccans & non emplasticum.

Paululum habet tenuitatis partium; & fulvum, flavum, rubrum aliis semper candidius.

Milio & Panico nonnunquam utuntur urgente frugum penuria, panis tamen, qui ex iis fit, exigui est alimenti, nihil in se habens lentoris vel pinguitudinis, unde agricolæ, horum farinam coquentes, deinde adipem suillam aut oleum miscentes esitant.

Alvum alvum humentem desiccat, ut & pulte sua, quæ quoque urinam ciet. Campania ex eo Pultem facit, quam cum lacte non fastidiendam præbet; & Sarmatarum gentes, hac maxime pulte aluntur, crudaque farina, equino lacte vel sanguine é cruris venis admixto: & Æthiopes non aliam frugem quam Milii Hordeique novere.

Milium & Panicum pravi sunt succi & flatulenti, concoctu difficilia, alvi fluxam vehementer siccant, & sanguinem generant crassum. Milium tamen suavius editur quam Panicum, facilius concoquitur, ventres minus sistit, magis nutrit.

Foris impositum in sacculis idoneum est fomentum iis, quæ citra morsum exsiccari postulant: hinc oculorum & aurium dolores, ex humore aut spiritu flatulento in febre obortos, sedat fomentum ex Milio, utpote omnium levissimum & maxime siccans, quodque ex eo defluit innoxium experseque morsûs est.

Tostum ferveusque in sacculos inditum Torminibus vel doloribus ventris inferioris mediocribus, flatuosis & nervorum doloribus auxiliatur, & authore *Hippocrate*, in Lateris dolore maxime conveniunt, quæ ex sale milioque frictis torrefactisque in sacculis inclusis parantur.

NOTÆ

(h) *London Med. Observations & Enquiries.*

NOTÆ. Medulla Seminis Milii saporis est farinacei. Panis ex eo dulcis est, sed valde aridus & friabilis, quales sunt excrementa, ex eo genita.

Asserunt Veteres ob siccitatem servari posse 100 annos, si, quo ventus & aër non perveniant, condatur, quum Triticum 50 tantum servari possit.

Medicamentum vel Carnes, in acervo Milii sepulta, pluribus diebus a putredine præservantur.

Jusculum fit ex eo cum lacte simile ei ex Oryza, hac differentia, quod Oryza plus nutriat.

In affectibus capitis catarrhalibus & in dolore capitis a consensu uteri cum capite, partes iv seminis Milii ad j vel ij salis tostæ, in sacculis, capiti appositis, expertissimum sunt remedium.

Decoctum tepidum sudorem & urinam potenter movet, & in hunc finem cum passulis & ficubus præscribitur apud *Othonem Heurnium.*

C. *MILLEFOLIUM* vulg. album C. B. *Common Yarrow or Milfoil.*

Stratiotes Millefolium *Dioscoridis.* Stratiotes terrestris *Galeni.*

Stratiotes, seu Militaris dicta, quia vulnera ferro facta sanat, ideoque in militia & castris multus ejus est usus, & boum nervos, abscissos vomere, solidari ea rursusque jungi author est *Plinius.*

Nonnihil habet adstrictionis, quatenus vulnera glutinare potest, & eximius usus est ad ulcera vetera recentiaque, profluentem sanguinem, & fistulas.

NOTÆ. Florum & Foliorum odor aromaticus singularis est; florum magis quam foliorum balsamicus, & secundum quosdam quasi camphoratus utriusque sapor subacris, amaricans, subadstringens, infusum & decoctum utriusque cum sale Martis viridescebat in uno experimento, & in altero coloris fusci fiebat, succus tamen foliorum subsalsus erat & adstringens, sed non mutabatur a sale Martis.

Folia satis rubefaciunt Chartam cæruleam.

Extractum aquosum apud *Lewis* austerum erat, subamarum & subsalsum, sed *Cartheuser* nihil adstrictionis tribuit Extracto aquoso, nec spirituoso, verum infuso aquoso tantummodo saporem moderate amaricantem, & Tincturæ spirituosæ saporem acrem, amaricantem, & aromaticum.

Ab experimentis recensitis patet, Millefolio vim adstringentem adesse non nisi moderatam.

Vis sanandi, exsiccandi & mundandi vulnera ei tribuitur, & plerique Auctores consentiunt usu externo & interno Millefolium omnes hæmorrhagias sistere.

Linnæus vim narcoticam tribuit herbæ, quæ commendatur contusa Auri indita ad tollendos ejus & dentium dolores.

Vim, a multis prædicatam in Hæmorrhagiis, damnat *Fluyerus* & *Tragus*, inquiens hæmorrhagias inde cieri, & vehemens esse diureticum, quin nunc urinas cruentas diuturno usu parere. Hanc litem componere vult *Hoffmannus*, distinguendo Millefolium secundum locum natalem, quippe in quibusdam locis acerbum esse, in aliis non.

Audiendi tamen *Hoffmannus* & *Stahlius*, ac forte fides major iis adhibenda, qui magnis laudibus hanc herbam efferunt, secundum illos Flores destillati oleum sapphirini coloris, insigni sedativa, blanda & antispasmodica vi donatum, largiuntur. Horum florum cum aqua infusio in omnibus doloribus & affectibus spasmodicis egregiam exerit efficaciam, v. g. in hæmorrhoidum cæcarum dolore, in colica, doloribus post partum a lochiis suppressis, &, qui ex hæmorrhoidum suppressione nascuntur, acerbioribus tormentis, in cardialgicis anxietatibus, affectu spastico ventriculi & diaphragmatis, infusione cum aqua, aut essentia cum Spiritu Vini facta usurpata.

Quum vero enormiores sanguinis sive per uterum, sive per sedis venas, aut fistulam bronchialem profusiones acerbioribus spasticis viscerum aut aliarum partium contractionibus ortum suum debeant, euporista illa ex Millefolio parata, in iis compescendis vix ulli alii remedio efficacia cedunt, & apud *Stahlium* hæc herba, tanquam specificum & certissimum motuum hypochondriacorum & hystericorum sedativum, laudatur.

Hoffmannus addit porro, „Quia flores Chamæmeli vulgaris propter Oleum, „quod per destillationem identidem sapphirinum temperatum inde prodit, „Millefolio penitus ferme similes, & ipsi affines vires alunt, eorum quoque „virtus non dispar, sed una eademque in commemoratis jam affectibus ob„servatur". Vide *Chamæmelum* & *Cotulam fœtidam*.

C. *MILLEPEDÆ*. Aselli. Onisci. *Wood-lice*

Discussoriam & siccantem vim habent; hinc quidam in potu exhibent aut deglutiendos dant, aut dolentibus & affectis partibus trita cum melle illinunt angina prehensis, & valde se juvari testantur.

In capitis dolore antiquo, ex frigiditate aut ex crassis humoribus oborto, maxime prosunt, si caput irrigetur iis, oleo incoctis: & eodem decocto instillato mitigantur aurium dolores.

Ex vino poto urinæ difficultati auxiliantur. Similiter, vel ex mulso poto regio morbo liberant.

Millepedæ v vel vj numero, cum hydromelitis cyatho ℥j potatæ, præter opinionem suspiriosis & omnibus, suffocatione apprehensis, auxiliantur.

NOTÆ.

NOTÆ. Odoris sunt lenis, ingrati, siccatorum fœtor insignis est, saporis subdulcis, salsi, & Vino, cui infunduntur, dant saporem salsum, pungentem, sale in his acriore quam in Lumbricis, & quum vas vitreum, in quo continetur Infusum dictum, concutiendum sit, debet orificium servari apertum, ne frangatur vitrum.

Antacidæ sunt & putrescentes; infusæ enim in aqua plurima animalcula generant, & destillatione eadem principia exhibent, quæ Viperæ & alia animalia.

Vias urinarias acri stimulo afficiunt, unde mirifice calculos expellunt, consentiente etiam ipso *Daniele Ludovico*, & in incidendo ac resolvendo muco acido viscido ubicunque hærente, valent: hinc dantur in appetitu prostrato ob ventriculi mucilaginem, in Colica & in resolvenda mucilagine, farciente pulmones & in asthmate etiam convulsivo, celebrantur; necnon diuturnus earum usus in strumis & ulceribus inveteratis, in visus debilitate & incipientibus cataractis dicitur plurimum profuisse.

Dari possunt ad ℥j authore *D. Alston.*

C. *MINIUM Serapionis* & Recentiorum. Sandyx Græcorum. Sandaracha *Vitruvio. Dale Mat. Med. Red. Lead.*

Minium *Dioscoridis* fuit Cinnabaris nativa nostra.

Sandyx secundum *Dioscoridem* ex Cerussa usta hoc methodo paratur. Trita Cerussa patinis novis supra prunas imponitur, & ferulacea rude movetur, donec colore simili Sandarachæ fiat.

Tenuium est partium & siccantem vim habet, non tamen calidam, sed moderate refrigerat.

In sugillatione sub oculis Collyrium ex sandyce commodum est; & in Herpete exulcerato utebatur *Galenus*, adjuncta Catharsi.

℞ Sandycis ℔j, Olei dulcis ℔ij; coquito donec non amplius inquinent. Est medicamentum obtundens & siccans in acribus & tenuibus fluxionibus: Ulcera diuturna ac maligna, in tibiis oborta, adhibitum ad cicatricem perducit, authore *Aëtio.*

NOTÆ. In hac præparatione, scil. calcinatione plumbi ad rubedinem, accrescit plus quam 20 pars, particulis acidis ignis é lignis combustis plumbum lambentibus eique adhærentibus; nam cum Alcalicis, authore *Etmullero*, reducitur in plumbum ejusdem ponderis, quo primo fuit.

Cum Aceto mecum non ebulliebat, etsi, authore Chemico celebri, cum Aceto destillato ebulliat & cum spiritu salis atque Aqua forti duplici, & aciditatem tollat Aceti, hoc edulcorans.

Cum Oleo unitum in Emplastris ejus qualitatem laxantem & putrescentem corrigit.

Laudatur ut summum remedium externum ad mitificandum quodcunque acre volatile; hinc ex eo cum cera fit Emplastrum, quod, si pinguia nulla addantur, podagricis applicatum, solamen, omnibus incassum tentatis, præstat.

C. *MORUS* fructu nigro C. B. *The Mulberry tree.*

Hæc sola Veteribus nota, & quidem cantatissima. Morus arbor, Morum fructus.

Mora alba fiunt per insitionem supra populum albam; proinde, quum novum sit inventum, nihil mirandum si antiquiores Mori fructu albo non meminerint.

Celsa quoque dicitur, quasi excelsa, ad differentiam Rubi, cujus fructus etiam Mora appellabantur, sed Bati, seu Rubi vulgaris, unde Ovidius

—— *hærentia Mora rubetis.*

Appellatur etiam Sycaminus ab antiquis Græciæ scriptoribus; sed hic notandum, *ex Bodæo a Stapel in Notis* ad *Theophrastum*, Sycaminum non tantum Morum significari, sed Sycomorum; verum quando Sycomorum denotat, tum solere addi Epitheton, v. g. Ægypticum, vel in Ægypto; sed quando ponitur sine adjecto, Morum significat. Sic apud *Dioscoridem* legitur Morus sive Sycaminea & apud *Galenum* de fructu Sycaminum vel Morum.

Dicitur primum plantata fuisse in Angliâ A. D. 1609.

Nuper enata Mora acerba siccaque sunt, at progressu temporis humidiora redduntur, acquiruntque aciditatem ad acerbitatem, quam sensim exuentia postea dum maturescunt ac perficiuntur, dulcia evadunt.

Mora matura saporis sunt acidi, vinosi, dulcis & subadstringentis, vi adstringente debiliora, quam fructus Rubi vulgaris. Non sunt idonea ut reponantur, nam putrescunt antequam siccentur.

Tingunt manus succo matura, eluunt acerba.

Succus devoratus innoxius est, nisi liberalius sumatur. Commode sumi possunt ab iis, qui siccæ complexionis sunt, & in temporibus ac civitatibus siccis, ubi calidum & siccum fuerit Ventriculi corpus, & simul hepar, quod tale quodammodo quoque esse necesse est.

In purum Ventriculum incidentia & præ cæteris cibis sumpta celerrime subducuntur & cæteris quoque cibis viam parant. Quod si sumpta post alios cibos fuerint, aut etiam pravum succum in Ventriculo offenderint, celerrime una cum aliis cibis corrumpuntur, fere quemadmodum omnes fructus, qui fugaces vocantur, sed Mora minus quam Persica, stomachum quoque minus lædunt quam Pepones.

Parum

Parum nutriunt propter multitudinem humiditatis.

Alvum resolvunt, quod idem præstat succus. Succus solus melior est incipientibus inflammationibus; & in medicamenta Oris destinata, stomatica dicta, & alia, quæ moderata adstrictione opus habent, recipitur; non tamen est remedium utile, sed nocivum Oculis phlegmone laborantibus.

Succus, cum melle & vino austero pari mensura permistus, & ad spissitudinem mellis decoctus, Cynanche laborantes curat. Decoctus æreo vase atque insolatus adstringentior redditur, admisto autem mellis exiguo facit ad fluxiones, nomas & tonsillarum inflammationes.

Non valde maturorum succus, cum rosaceo admotus, aptus est refrigerare in capitis dolore.

In Moris immaturis acida qualitas acerbam superat, & inde stuporem dentium afferunt.

Immatura, ubi aruerint, admodum restringunt, itaque ad dysenterias accommoda sunt, & affectiones quæcunque alias fluentes siccantur, tusaque, acinorum Rhois vice, obsoniis miscentur, ut cœliacos juvent.

NOTÆ. Fructuum maturorum succus viscosus est & dulcis, unde in cibo quodammodo analepticus est, & quatenus subacidus sitim sedat refrigeratque. Caliditatis alicujus argumentum allegatur tenuitas partium, quæ manus inficiunt colore rubro, qui non facile tollitur, scil. in fructibus maturis; simulac vero cum immaturis fricentur manus, subito color disparet.

In experimento *D. Lobb* fragmenta Calculi plura digesta a 5 ad 32 dies in succo solvebantur.

Matura diuretica sunt, temperando & involvendo valent ad acrimoniam in viis urinariis & pectore: excreationem quoque promovent.

Syrupus grata sua aciditate in febribus, ad sitim extinguendam & ardorem temperandum, utilissimus est.

C. *MOSCHUS.* *Musk.*

Aëtio, Paulo, Actuario & Arabibus animalis, Gazellæ dicti, est Pus in umbilico maturum: *Hippocrati, Dioscoridi, Galeno* & *Plinio* incognitus.

Authore *Avicenna* est subtilis confortativus, calidus & siccus in secundo. Confortat Oculum & exsiccat ejusque humiditatem subtilem abstergit.

Cor roborat, lætificat, & sanat tremorem cordis & melancholiam ex sollicitudine. Roborat quoque Cerebrum temperatum. Est Theriaca Venenorum præsertim Napelli: & apud Græcos recentiores prostat in Antidotis una cum aromaticis.

Addit

Addit *Rhazis & Averroes* „ Quum calidus natura capitis dolorem velociter
„ inferat, contra omnibus passionibus in capite, quæ ex frigiditate fiunt, valde
„ congruit, v. g. in surditate, stupefactione & omnibus ægritudinibus syncopicis, suffocatione matricis, ventositati grossæ intestinorum, nauseæque bonus & appetitu carentibus ".

Confer *ambram griseam*.

NOTÆ. Substantia constat gummosa, unctuosa, subacri, subamara & fragrantissima, cominus quidem olfacientibus fœtidus, sed eminus fragrantissimus odorem suum diu conservans in corporibus, quæ emanationes ejus receperunt.

Animam fœtidam corrigit. Odore inficit Urinam, ut alia odorata medicamenta.

Gummosa substantia majori quantitate adest quàm Resinosa; verum in hac virtus præcipua hæret, unde spiritus Vini rectificatus optime vires extrahit; aquæ vero miscibilis redditur ope Gummi Arabici, vel & Aquæ Calcis; ℞. Moschi ℈j, sacch. albiss. ʒj Aq. Calcis ℥vj, Conterantur Moschus & saccharum dein affunde Aquam Calcis: stent duas horas.

Super carbonem ardentem fœtidum dat odorem instar *Urinæ*, & destillando eadem exhibet, quæ substantiæ animales, scil. Oleum empyreumaticum & spiritum, ac salem volatilem.

Ad grana x vel ultra diaphoresin excitat mitem sine ardore, & sæpe somnum refocillantem inducit, dolorem mitigans, spiritus suscitans; & in Venere extinctâ valet.

Datur quoque in febribus malignis, speciatim ubi adsunt convulsiones, singultus & similia symptomata; quin & in forma Clysteris exhibetur in singultu, subsultibus tendinum & doloribus ventris.

In Hydrophobia fere specificum est secundum experimenta Modernorum in adultis ad gr. 30, 40 vel 60 datus, unde diaphoresis copiosa & spasmorum sedatio, simul adhibito balneo frigido. In Medicamento Chinensi dantur grana xvj secunda quaque hora.

Notandum, quod omnes, hæmorrhagiis obnoxii, ab usu Moschi abstinere debeant, quoniam sanguinem exagitat.

C. MY-

C. *MYROBALANI.* *Myrobolans.* 1. *Myrobalani*, maximi, oblongi, angulosi. Myrobalani *Chebuli*; *Ger.* C. B. 2. *Myrobalani* terrestres, *citrini*, bilem purgantes C. B. 3. *Myrobalani* rotundi, *Bellerici* C. B. 4. *Myrobalani nigri* octangulares C. B. Myrobalanus Indus & niger aliorum. 5. *Myrobalani Emblici* C. B. (1)

Horum non meminere veteres Græci, & inter recentiores tantum *Nic. Myrepsus* & *Actuarius*, qui ea, quæ habet, a Mauritanis mutuatus est, quibus debemus hos fructus.

Hoc nomine Myrobalani quidem utuntur Antiqui, sed alio sensu. *Dioscoridi* enim & *Plinio* est fructus Palmæ; & Myrobalanum apud *Aëtium* vocatur Balanus Myrepsica, seu Glans unguentaria.

Ventriculum ac intestina sua adstrictione confirmant roborantque. Perquam modice purgant, ac robur intestinis conciliant, & hæc assumunt quibus fluxio, deorsum proruens, molesta est ac intestina ulcerat.

Torrefacti ablutique plurimum vis purgatoriæ exuunt, sed tenuiorum partium evadunt, & magis exsiccantes.

Authore *Avicenna* omnes extinguunt Choleram, eique & Lepræ conferunt: Citrini confortant stomachum, prosunt in tremore cordis & tristitia habiti, conferunt dolori splenis & nutrimenti instrumentis omnibus. Huic consentit *Mesue*, inquiens, „ Coadunativi sunt partium, in quibus cecidit laxitas & mol- „ lificatio. Non debilitant solutione sua, imo confortant stomachum, cor, „ hepar & corpus totum. Conferunt hæmorrhoidibus. Faciunt utentes ju- „ venescere, & acquirunt eis bonum colorem, & gratum odorem oris & su- „ doris, generantque hilaritatem ".

NOTÆ. Omnes saporis sunt aliquantum acidi, & plus minus adstringentis, quidam amaricantis, subacris, quidam valde austeri.

Indis inserviunt ad atramentum conficiendum & ad depsenda coria.

Ab infuso Charta cærulea rubescebat.

In substantia fere nihil laxant, sed infusi in sero lactis, sin prius pulverisati, aliquantisper torreantur, ut Rhabarbarum, adstringunt, non purgant.

Decoctum dentes firmat, & in defluvio capillorum prodest.

C. *MYR-*,

(1) Juxta tritum hoc:

Myrobalanorum species sunt quinque bonorum.
Citrinus, Chebulus, Bellericus, Emblicus, Indus.

C. *MYRRHA.* *Myrrh.*

Cujus arboris sit gummi adhuc incertum est. Nostræ deest Odor fragrans Myrrhæ Hebræorum in Oleis sacris usurpatæ, nec notas habet Myrrhæ optimæ apud *Dioscoridem*.

Optima *Dioscoridis* amara est, odorata & recens, ad graveolentiam oris commendatur, & odoris gratia medicamentis quibusdam additur. Apud Veteres Myrrhâ condiebantur vina. Ejus odor plurimis etiam sanis dolorem capitis inducit, & proinde in hoc dolore, sive a stomacho, sive ab aliis partibus prohibetur & coctionem non fert, decoquendo vires amittit.

Adest ei amaritas non pauca, per quam fœtus & lumbricos tam enecat, tum ejicit, menses & partus celeriter extrahens cum absinthii vel lupinorum decocto, aut rutæ succo admota, & Vis ejus antihysterica nota fuit *Hippocrati*, qui bibendam præcipit quando, ut ait, uteri adscendunt, aut & stomachus premuntur: ob amaritiem adest ei abstergendi potentia, unde ocularibus medicamentis miscetur, expurgans & complens quæ in oculis consistunt, Ulcera, scabiem absque mordicatione extenuans: interdum incipientes oculorum suffusiones, adhuc tenues, aufert, & pustulas oculorum absque dolore mundificat. An hinc quoque Varus cum cassia & melle illinitur, & impetigines ex aceto detergit?

Inflammationes concoquit, & simul discussoria vi leni & mitigatoria prædita est, hinc locum habet inter stomatica, synanche, &c. subdita linguæ, liquataque, arteriæ asperitatem ac vocis asperitatem emendat; hinc quoque, vel ob moderatam abstersionem, ad tussim veterem, asthma, laterum ac thoracis dolores, deglutitur Catapotii ad instar ad molem fabæ.

De viribus Myrrhæ quodammodo dissentire videntur *Dioscorides* & *Galenus*, sed forte conciliari queunt; *Dioscorides* enim præter vim calfaciendi, adstringendi quoque & fluxiones sistendi ei tribuit, hinc inspersam capitis vulnera glutinare, atque infirmos dentes & gingivas confirmare collutionem Myrrhæ, additis vino oleoque, defluxiones quoque compescit. Myrrhâ, si Nativa prima est utendum, Myrrhamque deglutitam catapotii ad instar ad Alvi profluvium atque dysenteriam, perhibet. Hæc *Dioscorides*. Contra, secundum *Galenum*, Myrrha, citra adstrictionem discutit & desiccat humores, hancque inter improprie Epulotica dicta collocat, & hanc ejus operationem his verbis explicat: „Primaria proprie dicta Epulotica sunt quæ contrahere, constringere, „densare & calli instar indurare valent. 2. Secundaria vel per accidens Epu„lotica sunt catheretica seu detractoria. 3. Quæ absque adstrictione desic„candi vim habent mordicationis expertem, nam & hæc quoque ex accidente „cicatricem inducunt, cujusmodi Medicamentum est Myrrha, Lithargyrus, „combustum æstum, &c.".

NOTÆ.

NOTÆ. Odoris eſt gravis, non ingrati, & ſuffitus ejus non ingratus dum comburitur, ſaporis amari, ſubacris. Maſticata & ſubinde deglutita oris fœtorem emendat, & coryzam curat.

Eſt Gummi-Reſina, aqua enim bulliens fere totam diſſolvit, & Spiritus Vini rectificatus partem tantum diſſolvit, nempe eam, in qua amaror & vires hærent; ſed in mortario conterendo ſuſpenditur forma emulſionis pars tam gummoſa, tam reſinoſa, proinde talis Emulſio vires integras poſſidet. Porro, conterendo cum aqua, vino albo vel Clareto, ſolvitur æque ac Gummi Ammoniacum, & hæc præparatio, tres ſeptimanas ſervata, parvam tantum quantitatem ſedimenti exhibuit.

Tincturam validam dat Aquæ Calcis.

Retortâ deſtillata multum Acidi præbuit & Olei nauſeoſi.

Datur ad ʒß vel ℈ij, majore doſi leniter laxat alvum.

In Lumbricis & omnibus morbis frigidis, phlegmaticis & flatulentis valet, necnon convenit in tertiana & quartana, experimentis *D. Alſtoni* & aliorum, hoc modo: ℞ Myrrhæ ℈ß, Sal. Abſinthii ℈j, Extr. Gentianæ ʒß. F. Pilulæ, paulo ante paroxyſmum dandæ, vel & in apyrexia.

Antiſeptica eſt, cadavera condiens: alias, in eundem finem quantitate fabæ ſumpta, cum pipere & aqua, Putredinem & morbos contagioſos arcet, propterea a prudentioribus medicis ægros inviſentibus in ore detenta & maſticata, atque in gingivarum putredine maſticata prodeſt, ulcera præſervat a putredine verminoſa, & pulvis inſpergitur ad promovendam exfoliationem oſſium carioſorum.

Suffitus faciei exceptus a rugis anilibus præſervare, præſentes tollere dicitur.

Authore *Cartheuſero*, labefactatum Ventriculi & inteſtinorum tonum efficaciſſime reducit, cruditates atterit, bilis inertiam corrigit & præſtantiſſimas exerit vires in dyſpepſia aliiſque appetitus & digeſtionis depravationibus, maxime iis, quæ poſt morbos relinquuntur, aut homines ſenilis ætatis vel curis ſtudiiſve profundioribus debilitatos, corripiunt.

Porro, Myrrhæ vere nihil præferendum in tuſſi inveterata aliiſque pectoris affectibus chronicis a partium ſolidarum, maxime autem ventriculi & pulmonum debilitate, eamque proxime ſubſequente materiæ mucidæ continua geneſi & largiſſimo in pectore decubitu oriundis: & optime operatur, ſi diutius paulo in ore detenta, & ſaliva diſſoluta ſenſim ad ventriculum deſcendat.

C. *MYRTUS* communis Italica C. B. *The Myrtle*. Folia, Fructus & Myrtidanum.

Fructus Myrtilli vulgo, *Catoni* Myrta, *Varroni* Murta.

Myrtidanum vero apud Veteres, non est unum, sed tria diversa, scil. 1. Myrtidanum *Dioscoridi* dicitur adnatum inæquabile, verrucosum, intumescensque & concolor, quod perinde quasi manus caudicem amplectitur, & magis quam Myrtus adstringit. Myrtidanon quoque dicitur *Oribasio*, Myrtida *Paulo Æginetæ*, & quidam Myrtada appellant. 2. *Hippocrati* Myrtidanum dicitur partim Piperis Persarum fructus, unde Myrtidanum multi Piper esse dixerunt, & hoc *Plinio* occasionem errandi præbuit, ut Myrti baccas Piperis usum apud antiquos obtinuisse putaverit. 3. Myrtidanum quoque apud *Hippocratem* pro planta sumitur, cujus ramulorum duos vel tres in partûs difficultate cum vino exhibet.

Myrtus ex contrariis substantiis constat, vincit tamen in ea frigidum & terreum, est enim vehementer adstringens, habet vero etiam quiddam tenuium partium, calidum, itaque valde desiccat, & folia arida viridibus plus desiccant.

Grata est stomacho gustu fallens, ac, stomachum minus evertens, purgantibus subinde admiscetur. & in cibo stomachicis conveniunt teneri ramuli Myrti admisti.

Folia per se siccantur in farinam leniter mordacem ad Ulcerum remedia, quæ quoque utiliter inspergitur paronychiis, pterygiis, itemque aliis feminibusque humentibus, adeoque tetrum virus spirantibus, & cardiacorum sudores cohibet.

Trita folia & ex aqua illita, humidis ulceribus & partibus omnibus fluxione laborantibus, cœliacisque prosunt; & admisto omphacino oleo, aut exiguo rosaceo cum vino ad Ulcera serpentia, ad ignem sacrum, testium inflammationes, epinyctidas & condylomata: expresso foliis succo, affuso paululum vino austero, utuntur ad oris sedisque Ulcera, vulvæ & ventris.

Foliorum decoctum ad descensiones balnearum convenit, & contra luxatos, ac male solidescentes articulos & eo fracta, ferruminationi repugnantia, utilissime foventur. Vitiligines quoque emaculat, purulentis auribus infunditur, capillos denigrat. & Succus eorum eadem præstat.

Andromachus ad aphthas dat foliorum decoctum ex vino, ad os colluendum, & pro gargarismis locum habet inter adstringentia fortiora.

Myrtidanum, multo efficacius folio & semine, cerato, pessis, insessionibus, cataplasmatis admistum, ubi adstringendum est aliquid.

NOTÆ. Folia odoris sunt grati, fragrantis, & magis in regionibus calidis, saporis austeri, amaricantis & aliquantum calidi. Infusum nigrum fit, addito Vitriolo Martis, & usurpatur in depsendis coriis.

Tota arbor Oleo balsamico aromatico repleta est, unde perpetuo viret.

Emm-

Emundant oris odorem, in laxitate gingivarum scorbutica valent & in hæmoproë. Diuretica sunt.

Baccæ earundem sunt qualitatum ac folia, & iisdem usibus inserviunt.

N.

D. *NAPUS* dulcis sativus C. B. *Navew gentle.*

Valde strigosa quæstio est sitne idem cum Bunio vel Buniade.

Dioscorides Napi non meminit, nisi sit Bunias, seorsim scil. agens de Buniade Rapo, quum *Galenus* uno capite Rapum & Napum comprehendat.

Napi nostratis semen subacre est, amarscans, subdulce, oleosum, Oleo exudante è combusto semine.

Viribus ad Rapum accedit. Vis diaphoretica prædicatur a multis è nexu partium pinguium cum acribus vaporosis & mucilaginosis, unde variolas & morbillos a centro ad circumferentiam pellere dicitur pondere ℨj sumptum, & in emulsionibus confert in Urina remorata.

Oleum expressum usitatum est plebeiis ad compescenda tormina ventris in infantibus, & externe adhibetur ad tumores frigidos resolvendos aut emolliendos.

C *NARCISSUS.* Narcissus sylv. pallidus calyce luteo C. B. *The wild Englisch Daffodil.*

Narcissus dicitur, non a fabuloso puero, sed à vi stupefaciendi quam *νάρκωσιν* Græci vocant, & *Plutarcho* in Sympofio quasi nervos hebetans, & torpidas gravitates efficiens dicitur.

λείριον Græcis frequentius Narcissum designat quam Lilium.

Apud *C. Bauhinum* quamplurimæ species Narcissi recensentur, ex quibus, authore *Bodæo a Stapel in Not. ad Theophrastum* „ Narcissus junci foliis cum „ Bulbi vomitorii descriptione apud *Dioscoridem* convenit, scil. folia habens „ lori modo flexiliora, multoque longiora, quam Bulbus esculentus, radicem „ bulbo similem, cortice vestitam nigro. Est quoque notandum, quod *Plinius* folia nigra, *Dioscorides* radicem nigram scribit, sed solet *Plinius* omnia „ confundere ".

Narcissus noster supra dictus *Dioscorideo* notis omnibus non convenit, & proinde videtur diversæ speciei, sed ejusdem generis, & viribus convenire; proinde vires, à *Dioscoride* aliisque Veteribus hujus radici tributas, hic recensere non gravabor.

In montosis nascens probatissimus est, & odoris suavis, reliqui porrum imitantur, & herbaceum quendam odorem resipiunt.

Radix cocta maxima vulnera conglutinat, etiamsi ad tendines usque facta sit praecisio. Luxatis malleolis diuturnisque articulorum doloribus trita ex melle illitaque subvenit: ambustis igne prodest cum melle trita: habet vero & quiddam abstersorium & attractorium; hinc vitia cutis, a sole contracta, itemque vitiliginem cum urticae semine & aceto emaculat: cum ervo autem & melle Ulcerum sordes expurgat, & abscessus rumpit aegre maturescentes, interque attrahentia, quae validius ex alto extrahunt, locum habet, infixa corpori extrahens imposita cum lolii farina & melle.

In Mensibus occultatis fomentum, quod ex Narcisso praeparatur, apponi praecipit *Hippocrates*.

Radix cocta seu edatur, seu etiam bibatur, vomitoria est.

NOTÆ. Narcissi nostri radix mucilaginosa & fere insipida est, nisi quod in gutture aliquid amaroris nauseosi se prodat, partibus aestuosis mucilagine involutis, & mihi masticanti vomitum excitabat, argumentum similium virium esse ac Narcissus *Dioscoridis*: huic conjecturae adstipulari videntur testimonia *Dodonaei* & *Gerardi* nostri, scil. ℥ij radicis, recenter collectae, in vino vel aqua coctae cum semine anisi vel Zinzibere purgare humores aquosos & viscosos, & authoribus *Clusio* & *Lobelio*, Narcissi cujuscunque radix vomitoria est.

C. *NARDUS Celtica Dioscoridis* C. B. Nardum Gallicum *Caesalpini* C. B. Radix Valerianae Celticae *Tournefortii*. *Celtic Spikenard*.

Celtarum appellatione tam Germanici quam Gallici vocantur. Invenitur quoque in Italia, Austria, Styria, Pannonia, & Alpibus Helvetiis.

Caulium & radicum usus est.

Amara est & aromatica, odoris suavis, & odoratas reddit compositiones. Tum discussoria tum adstrictoria facultas in ea sunt moderata.

Spicae Nardi, seu Indicae, vel Syriacae viribus similis est, sed ad omnia imbecillior, nisi quod Urinas valentius cieat, stomacho accommodatior est, & minus adstringit.

Additur Malacticis, potionibus unguentisque calfacientibus. Ex vino prodest Venenatorum Morsibus.

Jecoris inflammationibus suffusisque felle auxiliatur, itemque Ventriculi inflationibus cum absinthii decocto pota. Eodem plane modo valet & ad lienis, vesicae, renumque vitia.

NOTÆ.

NOTÆ. Inter Valerianas recensetur, quibus radix similis est, scil. tum odore fragrante, sed gravi, saporeque amaro, acri, tum forte Viribus.

C. *NARDUS* Indica. Spica Nardi Offic. *Indian Spiknard. Dale Mat. Med.*

Nardus absolute appellatur, & Nardus Syriaca. Spica Nardi *Galeni*.

Est perquam odorata, Cyperum redolens, odoratas reddit compositiones, amaro sapore, linguam exsiccante, diu in odoris sui gratia permanens, vim habet excalfactoriam, mistæ facultatis, scil. discussoriæ & adstringentis, præcellit autem vis calfactoria & discussoria.

Hinc inter ocularia medicamenta dissolvit & attenuat, & inter mediocriter adstringentia locum habet; unguento Nardino periculus imbutus ventri incingebatur ad Ventriculum roborandum.

In Oleo puro cocta post exsurrectionem mane à somnis moderate fricata expurgat colorationes in ictero & sudores movet.

Aquæ incocta, seu fotu seu insessu, vulvæ inflammationibus medetur: & *Hippocrates* dat Nardum in secundis morantibus.

Unguentum e Nardi spica jecori inflammato applicatur. Fluxiones ex utero saniemque apposita compescit. Facit ad oculorum palpebras superfluo humore redundantes, dum ipsa cilia constringit & condensat. Sicca humentibus corporibus ad summovendam graveolentiam inspergitur.

Alvum potu sistit & Urinam movet. Nauseæ ex aqua frigida auxiliatur, & stomachi rosionibus, quas Græci cardiogmos appellant, itemque iis, qui flatibus exagitantur, hepaticis, hystericis & nephriticis.

NOTÆ. Radicis Odor gravis est, haud ingratus, sapor subacris, amaricantis.

C. *NASTURTIUM.*

Cardamon Græcis; apud Latinos vero nomen accepit Nasturtium, quasi Nasus torquens; quod odore & seminis acrimonia sternutamenta movet. Accuratam Nasturtii descriptionem neglexere Veteres, quod obviæ cognitionis esset. Plurimæ species prostant apud *Bauhinum*, sed duæ sequentes apud nos in officinis recipiuntur. 1. *Nasturtium aquaticum* supinum C. B. 2. *Nasturtium hortense* vulgatum C. B. *Garden Cresses.*

Horum primum est sisymbrium alterum, vel Cardamine *Dioscoridis* secundum *C. Bauhinum* & alios, locusque natalis & usus in cibo conveniunt, verum descriptio foliorum apud *Dioscoridem* huic non convenit; proinde nas nomine diversas unam plantam esse non satis liquet, licet utraque, ut genere, sic viribus

ribus convenire videatur; quare haud inutile judicavi, qualitates sensiles & vires sisymbrii alterius seu Cardamines *Dioscoridis* huc apponere, scil.

Gustu Cardamum, i. e. Nasturtium repræsentat, & cum siccum est, tertii ordinis est excalfacientium. Crudum estur. Purgat lentigines cutisque vitia in facie a solis ardore contracta, nocte impositum & mane detractum. Excalfacit. Urinas movet.

De Nasturtii semine, cujus optimam speciem Babylonicam esse, hæc habent *Dioscorides*, Græci antiqui & recentes, *Pliniusque*. Ei est natura Sinapis & Erucæ seminis similis, acre, fortiter dum gustatur excalfaciens, adurentis seu causticæ facultatis particeps, & ad coxendicis ac capitis dolores rubrificationem postulantes confert, cum aceto & polenta illitum. Oedemata itidem inflammationesque discutit. Serpentes suffitu fugat. Cum lomento, (i. e. farina fabacea) strumas illitum opertumque brassica præclare molletur. Lepras & impetigines exterit. Furunculos suppurat cum muria illitum. Ex melle illitum lienem extenuat. Ulcera quæ favos vocant, expurgat. Capillorum defluvia sive ab inopia humorum, sive ab humoribus vitiatis cohibet. Carbunculos ad suppurationem perducit ac rumpit.

Usu interno stomacho inimicum est. Alvum turbat: ex vino lumbricos pellit, lienem imminuit, fœtus in utero necat, menses ciet, venerem stimulat, urinæ stillicidium inducit.

Miscetur remediis, quæ asthmaticis exhibentur; tanquam valenter succos crassos incidens, necnon phlegma viscosum in stomacho adhærens & auferens appetitum.

Serpentium Venenis potu resistit.

Herba eadem præstat, sed effectu minore, & usque adeo aquosa humiditate abundat, ut nonnulli ea instar obsonii cum pane vescantur, est tamen olus attenuans, valde calefaciens, & dicitur capitis dolorem inducere.

NOTÆ. 1. *Nasturtium aquaticum.* Foliorum recentium Odor aliquantum pungens est, dum contunditur, ut Cochleariæ, sed mitior, sapor acris, calidus, aliquando subamarus. Succus non tantum acris est, sed subsalsus, ut & est Decoctum.

Acrimonia, maxima ex parte, ut in hortensi, inter coquendum & destillandum perit, & hinc coctum satis gratum præbet Edulium.

Non rubefacit Chartam cæruleam; attamen Extractum ejus acidum est, & cum liquoribus alcalinis effervescit.

Cruda comesta sæpe pustulas expellit in facie. Confer vires *Nasturtii hortensis*.

Externe valet ad tumores œdematosos, & Cataplasma ex eo dicitur certo curare tumores pudendi muliebris ante & post partum.

Inter-

Interne commendatur succus ad scorbuti vitia.

Urinam ciet, & menses educit, viribus Nasturtio hortensi convenit.

2. *Nasturtium hortense.* Folia recentia saporis sunt acris & sinapi redolentis, subdulcis. Retortâ destillata odorem habent Nasturtii, sed nihil acrimoniæ, hæc enim inter destillandum & coquendum perit, & in foliis siccis acrimonia vix sensibilis est, etsi eorum infusum subsalsum sit & rapum redolent: proinde ad usum medicum usurpanda sunt folia viridia.

Hoc & aquaticum parum mutant cæruleum in rubrum, authore *Emanuele Konig*.

Vere & æstate Lactucæ aliisque herbis frigidis admiscetur in Acetariis, frigiditatem earum attemperans, ventriculum calore suo roborans & concoctionem promovens.

Extractum ejus, ut aquatici, acidum est, & cum liquoribus alcalinis effervescit.

Cataplasma è foliis cum axungia porcina Tineam curat, & succus Polypum narium exterit ac decidere facit, si sæpe eo lavetur.

In cibo somnolentiam inducere author est *Fernelius*.

Semen odoris fortis recens, acerrimum est, multo acrius quam herba, urens, mucilaginosum, subdulce; siccum minus acre: Oleum quoque possidet, sed non tam copiosum, ut aromata.

Extrinsecus usurpatur in apophlegmatismis, errhinis & sinapismis. Furfures tollit, contra Tineam puerorum nil melius quam semen Nasturtii cum axungia porcina contritum & admotum: nam, intra 24 horas facit ut crustæ decidant, & si quis eo diutius utatur, persanat.

Tusum & in ore retentum ad paralysin linguæ summopere facit.

Usu interno omnes mucilagines crassas corrigit, incidit; ad expellendos Morbillos inservit, & optimum expulsorium Variolarum in infantibus habetur: ad scorbuti quoque vitia commendatur. Confer vires similes *Nasturtii aquatici*.

D. *NEPETA.* Mentha Cataria vulg. & major C. B. *Nep or Catmint.*

Odor ejus gravis est, ex fœtido & aromatico mixtus, sapor acris, calidus, subamarus. Ejus suffitu serpentes aliaque animalia fugantur.

Decoctum subadstringens, sed non mutabatur à Vitriolo Martis, infusum tamen hinc subviride fiebat in altero experimento.

Destillando Aquam præbet Oleo essentiali saturatam & forte Aquâ Pulegii præstantiorem. Non rubefacit Chartam cæruleam.

Externe discutit, roborat; & decoctum in scabie, si manus illi imponantur, dicitur singularis esse efficaciæ.

Succus, naribus inditus, pituitam valenter trahit & visum acuit.

Usurpatur in balneis, Mensibus suppressis.

Usus internus præcipuus est in morbis uterinis, & fœtu pellendo, est quoque è primariis Emmenagogis, ut & balnei forma.

Succus, cum Vino potus, lumbricos expellit, Urinam provocat, excalfacit renes, intemperie frigida læsos.

Datur quoque ad Tartarum dictum pulmonum incidendum, forte efficacius quam Pulegium.

N. *NICOTIANA* major latifolia C. B. Tabacum. *Tobacco.*

Nomen habet à *Nicotio*, qui, Regis Galliæ in Hispaniam legatus, anno 1560, ex insulis Americanis hanc herbam primum transtulit. *Gualterus Raleigh* primum in Angliam introduxit.

NOTÆ. Foliorum odor satis gravis, haud ingratus, pungens, sternutationem excitans. Viscosa sunt ut & Flos. Saporis urentis, nauseosi, amaricantis, per aliquot horas durantis. Salivam eliciunt & Errhina sunt.

Acidum continet Nicotiana, manifestissime enim solutionem Heliotropii rubefacit, & destillatione dat phlegma acidum, spiritus urinosos & multum Olei nigri fœtidi cum sale volatili penetrante.

Vires extrahit Aqua, sed magis spiritus Vini; portio resinosa, licet longe minori quantitate quam gummosa mixtionem ingrediatur, majori amaritie, acredine & calore gaudet, & vaporoso principio matricem præbet.

Sicca destillata exhibuit fere unam tertiam partem Aëris.

Venenum est insignis efficaciæ, succus enim, copia vel minima sanguini immissus, mortem certo cito infert. Est emetico-cathartica violenta, & simul Narcotica, vulneraria, detergens & consolidans; rite præparata contendere valet cum Cicutâ, nuper celebratâ in curandis Morbis diversis rebellibus, aliisque remediis non cedentibus præter narcoticam vi pollet exsiccante & resolvente, illa a sedante & narcotico Oleo pendente, hac a sale volatili; & iis, qui humidi sunt temperamenti, præ aliis utilis, sive ejus fumus hauriatur, sive mandatur.

Genus nervosum, ut plura alia Venena vegetabilia, immediate afficit hinc in non assuetis fumus vertiginem infert & ebrietatem; imo visum est frustulum Tabaci, vulneri femoris in Cane inditum, enormes excitasse purgationes sursum

fursum & deorsum cum magnis convulsionibus: & Oleum, vulneri instillatum, convulsiones lethales infert: imo Olei per descensum gutta j vel ij, instillata linguæ Felis, convulsiones horrendas excitabant, & sequebatur Mors spatio unius minuti horæ.

Est tamen anodyna & narcotica insigniter, quod patet non tantum ab effectu fumi ad somnum conciliandum, sed & ab effectu ejus externe capiti applicatæ, ad enecandos pediculos & tineam, ægros stupidos & quasi ebrios reddentis. Porro, in sedandis doloribus acutis podagræ & rheumatismi, folio oleo superlito, adaligato; quin & folia calefacta & imposita præsens in cephalæa & hemicrania sunt remedium, si morbus ex causa frigida vel flatibus ortus sit, repetita applicatione donec Morbus tollatur; & hæc hujus fumo extinguitur sitis & prosternitur appetitus, adeo ut fames per duos tresve dies tolerari possit. Masticata odontalgiam curat & rheumata atque fœtorem oris corrigit.

An & hæc sanantur Ambusta, vel succo viridium foliorum, vel impositione foliorum, vel balneo ex his, & Anthracibus imponuntur folia? æstum & pustulas ab Urticis excitatas succus vel Folium viride applicatum restinguit & sanat.

Ad Paralysin ℞ folia Tabaci viridia; infundantur Vino Malvatico: hoc fricentur partes resolutæ post sudores: præstat omnibus remediis externis, authore *Hartmanno* apud *Raium*.

Videamus porro vires præclaras effluviorum & fumi Nicotianæ. Hæc inter exsiccandum Opifices, in hujus præparatione minus exercitatos, purgant sursum & deorsum; & iidem Opifices nunquam pediculis, nec pulicibus infestantur. Folia sub lecto, sed multo melius inter stragula, destruere pediculos, pulices, cimices & vermiculos in America notum est.

Fumus, recto inflatus, in alvi constipationibus pervicacibus felix fuit, & in Iliaca passione, aliis frustra adhibitis: necnon in Ascaridibus, nupero Experimento: & fumus, in vaginam receptus, dicitur statim compescere vapores hystericos; carpis applicatum folium Vomitum excitare, cataplasma è foliorum ℥ij ad v, in Spiritu Vini maceratorum, Vomitum excitasse, aliis frustra: in urina maceratum folium, umbilico pueri applicatum, purgasse sursum & deorsum; atque decoctum foliorum a ℥ij ad vj datur pro enemate stimulante in apoplexia, vel in substantia a ʒß ad ʒj.

Majores adhuc effectus præstat infusum potu, scil. Vomitum cum cardialgicis anxietatibus intolerabilibus & somnolentiam cum stupiditate.

Usu externo Vulneraria est insignis. vulneribus recentibus imposita folia sanguinem sistere eaque glutinare author est *Garcias*, & testatur *Piso*, in No-

fecomila Brasiliensibus Ulcera & Gangrænas solo Tabaci usu curata fuisse; nempe recentium foliorum admotione, vel fæcem & oleis inde paratis.

Et in Ulceribus phagedænis hominum & brutorum commodum esse ejus usum, foliaque viridia contusa Ulcera tibiarum, alias difficilia sanatu, curare. In Cutis fœditatibus quoque insignis est, speciatim decoctum foliorum & caulium in curanda psora ab animalculis.

Antiseptica est fumo vel suffitu, teste *Diemerbroek*, domos in quibus vendebatur a peste præservans.

Denique vi discutiente & resolvente insigni pollet, unde valet ad œdemata in balneo, & in strumis utiliter adhibetur ex ea linimentum; in tumoribus duris & scirrhosis emolliendis & resolvendis, præsertim splenis & hepatis admirabilis est.

Tantopere, & forte non immerito decantatæ sunt vires Nicotianæ usu præcipue externo: verum hoc non suffecit, sed ejus vires etiam usu interno exploratæ sunt, & sagacitate medica hoc inter alia Venena transmutatum fuit in medicamentum salutiferum. Compertum enim est, coctione Nicotianam vi emetica privari, & repetita coctione purgans fieri & tum demum vim diaphoreticam, diureticam & pectoralem acquirere, v. g. ℞ foliorum Tabaci ℥j, bulliant in aquæ ℔ij ad consumptionem medietatis, sic multum sub fumi specie de particulis acrioribus avolat: additur in fine, foliorum Malvæ, Brancæ ursinæ, Violar. aa. ℳ. j. Colentur & cum sapa vel Musto misceantur: detur calidissimum pluries in die: valet in Vomica ad materiam purulentam evacuandam Ulcusque consolidandum.

Vel, loco Decocti parari potest Essentia, sed prius folia terantur & corrigantur Alcali Nitri vel Tartari, & cum Spiritu Vini extrahatur Essentia, utpote inter expectorantia & incidentia non postrema.

Infusum quoque, per digestionem paratum, item Syrupus & Oxymel ejus Medicamenta sunt expectorantia sine pari in asthmate humoroso, orthopnœa, tussi humida & similibus affectibus ex muco crasso, viscido, pulmonum tubulos infarciente, obortis, pro muco hoc eliminando & purulentis pulmonum extergendis.

C. *NIGELLA.* Melanospermum *Hippocrati.* Gith est apud *Plinium* & *Columellam*; Gith & Melanthium apud *Dioscoridem*

Una solum species, semine nigro, apud antiquos reperitur, nobis vero plures sunt Nigellæ species, è quibus Nigella flore minore simplici candido C. B. *Fennel-Flower*, officinalis est, &, ut genere, sic viribus convenire videtur Melanthio seu Gith Veterum.

Semen

Semen odoratum est, acre, & condimentum præbet gratissimum pani compistum, atque secundum *Galenum* excalfacit & deficcat tertio ordine. Oleum ejus inter olea expressa calida locum habet.

Incensum serpentes fugat, culices & muscas suffitu necat. Teretes lumbricos expellit, illito ex aqua umbilico.

Tollit lentigines, lepras veteresque tumores ac duritias, ex aceto illitum. Circumscarificatos clavos excutit cum urina vetere impositum.

In diutino capitis dolore fronti impositum, aut naribus injectum, prodest; itemque incipientibus oculorum suffusionibus tritum cum irino & infusum naribus. In dentium dolore cum aceto & tæda coctum collutione oris prodest; (vel, torrefactum cum oleo oblinatur,) atque ubi parumper concluso ore retentum fuerit, pituita collecta rejiciatur. Ad gravedinem & sternutamenta frequentia, seu ad catarrhos & coryzas deficcandos tritum calidum, linteo illigatum, plurimum ab ægrotante per odoratum trahatur. In Narium obturatione *Archigenes* utitur Melanthio, oleo veteri contrito, & intro instillato. In æquato morbo *Crito* eo utitur, aceto acri rigato, & pridie macerato, deinde sequenti rursus cum aceto trito & naribus infuso: hoc modo usurpatur ad tollendum quid remanens in vultu de Ictero.

Hippocrates utitur in pesso ad provocationem Mensium: & linteolo deligatis granis xxx secundæ trahuntur.

Prodest Alopeciis ustum ac cum oleo tritum & illitum.

Usu interno maxime flatus extinguit, lumbricos interimit esum. Pluribus diebus continuis sumptum Menses, ob crassitiem aut viscositatem retentos, ciet, Urinas movet & Lac auget. Levat & spirandi difficultatem, addito nitro. Præcipitur quoque Melanthium hepaticis, quantum Cochleari recipitur, contritum & cum vino dulci bibitum jejunis,

Auxiliatur phalangiorum morsibus ex aqua drachmæ pondere bibitum; & sunt, qui ajunt, quod, si quis, a Vipera morsus, drachmas quatuor edat non morietur.

NOTÆ. Semen odoris est aromatici, grati; saporis subacris, aromatici, amaricantis, nonnihil oleosi, oleum aromaticum continens.

Semina recentia seu viridia intra corpus assumi non debent, authore *Trago*, sed ubi maturuerint aut arida evaserint, possunt cum panibus compingi ut semen Carui. Plures quoque Authores his aliquid maligni inesse suspicantur, nam semen recens os afficit & quasi inflammat, a quo ab adultiori facto non est quod timeamus.

Ad Coryzam, tum præcavendam tum curandam, summopere laudatur a *Simo-*

ae *Pauli* aliisque sc. semine frixo, tosto vel ustulato, sindoni rubræ indito, & naribus subinde admoto.

Et ad amissum odoratum præcipit *Galenus* pulverem, cum Oleo veteri in mortario subigendum, & ex hoc liquore, capite supino & ore aqua pleno immittendum in nares, spiritum attrahendo.

Mitis & suavioris carminativi titulum meretur ex sulphureo-oleosis partibus, leni mucilagine temperatis, constans.

Utilissimum esse perhibetur ad Lac promovendum, atque jusculis incoctum, ad dolores post partum flatulentos dissipandos.

Menses & lochia ciere confirmatur a vulgo in Vaccis, quibus in hunc finem post Vitulorum enixum hoc semen ingerunt.

C. *NITRUM Antiquorum.*

Nitrum *Dioscoridis*, *Plinii* & Sacræ Scripturæ, a Nitro Recentiorum prorsus diversum, & hodie reperitur (*k*), in conficiendo sapone & vitro similiter usurpatum. Reperitur quoque in Aquis mineralibus, plerasque notas exhibens salis Alcalini nostri, igne parati, nisi quod minus acre sit: hinc *Plinius* testatur, Nitrum olim factitatum esse ex quercu crematâ: verum, ex Observationibus magis accuratis recentiorum (*l*), distinguenda sunt Alcali vegetabile & Alcali minerale.

Veteres de Nitro suo hæc protulerunt: Usu externo calefacit, attenuat, discutit, siccat, abstergit, hinc cuti affrictum cum oleo sudorem excitat, frigus & horrorem in febribus tollit, ulcera phagedænica sanat, in lepris & aliis cutis vitiis prodest.

Usu interno humores viscidos attenuat, aliquantum purgat, & datur in hydrope, ictero & tussi veteri.

N. *NITRUM Recentiorum, Sal Petræ* dictum.

Saporis acris est, verum simul sensum frigoris imprimit ori tanquam a glacie, salivam eliciens, & dum solvitur aqua, hanc mirifice refrigerat, etsi minus quam sal Ammoniacus non inflammabile est per se, nec sine phlogisto, v. g. Carbone ardente.

Non acidum est, nec alcalinum ullo experimento, etsi fortissimum omnium acidum exhibeat destillatione.

Ex

(*k*) *Hill's* History of Fossils.
(*l*) *Lewis* Mat. Med.

Ex Oleo Tartari per deliquium & spiritu Nitri mistis, evaporatis & inspissatis, fit Nitrum, quod dicitur esse omni charactere purum; at, [illegible] Nitrum artificiale e spiritu salis Ammoniaci & spiritu Nitri, [illegible] Boyleo, Aqua fortis, affusa solutioni forti salis Tartari, non exhibet crystallos pulchras salis petræ donec aeri aperto fuerit exposita: huc quadrant experimenta D. Hale, exhibentia distillatione Nitri ½ partem Aëris, qui ergo contribuit aliquid ad generationem Nitri.

Constat Nitrum, authore *D. Macquer*, ex Alcali volatili & Terra absorbente, Acido unitis: tunc Alcali fixum & Calx viva, liquido nitroso adjecta, id decomponunt, & cum Acido efformant Nitrum verum.

In liquore, Matre Nitri dicto, qui crystallos non amplius exhibebat, adest Terra absorbens & Calx viva, acido nitroso unita, quæ præcipitantur per Alcali fixum & unam speciem Magnesiæ constituunt.

Nitrum insigne est Antisepticum, præservando Carnes a putredine plus quam pondus æquale salium neutrorum, eisque dat colorem rubrum, & sanguinis ruborem auget.

Dubitant tamen quidam, an sanguis ab eo coaguletur. Ex una parte allegantur experimenta salivam ab eo inspissari, adeo ut consistentiam Muci acquirat inde in gargarismis, unde partes humidæ servantur, porro & solutionem Nitri serum sanguinis redigere ad consistentiam gelatinæ. Verum, ex altera parte, Nitrum Lactis coagulationem retardat; & adducitur experimentum sequens *Malpighii* in *Tr. de Polypo Cordis*. „In Cane, nec admodum ro-
„busto, per venam jugularem infusum Nitrum in liquorem redactum ad ℥ij,
„nullam sensibilem peperit mutationem, præter urinarum copiam, quum ad-
„huc integre vivat, unde probabile est nullam subsequutam esse sanguinis
„coagulationem." & in altero experimento ejusdem Authoris sanguinem reddidit rutiliorem: proinde hoc nomine, sanguinem nempe potius attenuando quam coagulando, Nitrum, qua refrigerans, præferendum est Acalis mineralibus, quæ sanguinem coagulant.

Diureticum est insigne omnium consensu, & Alvum leniter laxat, v. g. ad ʒß bis in die, & larga dosi, v. g. ad ℥j purgat, ut alia salia neutra, & si liquores calidi superbibantur, corpusque stragulis bene tegatur, fit sudorificum.

In corpore humano non ut sal marinus immutabilis persistit, sed mutatur inde in sal hominis, authore *Boerhaavio*.

Sitim compescit & ardoris sensum quemcunque egregie obtundit, speciatim Urinæ, a ℈j ad ij cum p. æ. sacchari. Pulsum retardat, & antiaphrodisiacum est, cujus exemplum insigne allegatur juvenis, pollutione bis terve nocte infestati, a Nitro, aliis frustra, curati.

Re-

Refrigerat quatenus obstructiones, causam caloris, tollit, perspirationem promovens & urinam; sunc nimius ejus usus languorem inducit; & in febre hectica cum sudoribus colliquativis nocet. Porro, diu sumptum stomacho noxium est, vim vitæ debilitat, & paralyses partiales notantur supervenisse nimio ejus usu. Experimentum sequens *D. Alstoni* vim rodentem Nitri ostendens, Cautelam exhibet de usu ejus immoderato, scil. „ Solutio „ Nitri indebatur phialæ, subere & aluta obturatæ, sic ut, agitata phiala, so„ lutio alutam attingeret. Aluta in duobus vel tribus diebus corrodebatur ".

Cæteroquin depuratum vel cum absorbentibus mixtum Nitrum, omnibus Morbis, quibus interna vehementior commotio aut æstus junctus est, quadrat, & proinde in omni febrium (speciatim putridarum) inflammationum, dolorum, hæmorrhagiarum genere, privatim in Hæmoptoë interne utilissime adhibetur, necnon in pleuritide & peripneumonia. & *Stahlius* in arthritidis paroxysmis, in quibus dolores non tantum articulos invadunt, sed sæpe etiam diaphragma aggrediuntur, cum summo ægrorum periculo, testatur, se feliciter expertum esse Nitri efficaciam.

In Combustionibus applicatur solutio cum linteo: in inflammationibus faucium in ore detentum, saliva deglutitâ, est refrigerans optimum.

In omnibus fere febribus malignis Nitrum cardiacis medicamentis misceri, saltem in principio, præcipit *D. Mead*: & in Mania in efferata ultra modum motibus & vigiliis, præsertim si calor febrilis urgeat, quantum stomachus ferre poterit adhibitum plus prodesse quam Camphora.

Denique nuperis experimentis celebratur Nitrum, ut alterans, in diathesi favente generationi Ulcerum sordidorum.

Authores non pauci confuderunt hoc Nitrum cum Nitro Antiquorum, & subinde cum Nitro calcario *Listeri*, amarorem enim tribuunt Nitro, sal petræ dicto, cui non essentialiter competit, sed egregie Nitro calcario *Listeri*, cui quoque inest vis purgans, etiam in parva dosi sumto quam Nitro modernorum: porro, Nitrum antiquorum evidenter alcalinum est, quale est neutrum aliorum.

C. *NUX MOSCHATA* vel Myristica. Nux moschata fructu rotundo C. B. *Nutmeg*.

Hæc Nux cum suo Maci Veteribus Græcis fuit incognita, nec innotuit ante tempora *Aëtii*, qui eam, authore *Hoffmanno*, in suffumigio moschato videtur appellasse Nucem Indicam. Ante A. D. 437 in Europa visa non fuit; Arabibus vero bene nota; proinde qualitates sensiles ejus & vires ex *Avicenna* huc transfero, scil.

Odor

Odor ejus bonus & acutus odorem oris bonum efficit, & in ipsa est stypticitas. Loco ejus ponitur Spicæ Nardi pondus æquale (*m*).

Calida est & sicca in fine secundi usque ad tertium. Constringit & provocat, confert difficultati Urinæ & cum in Oleis ponitur, confert doloribus, & similiter in pessariis, ac prohibet Vomitum. Confert panno oculorum ac lentiginibus, & visum roborat.

Confortat hepar, splenem & stomachum, & proprie os ejus. Ventrem stringere author est *Rhazes*. Ingreditur Electarium lætificans apud *Mesuen* & *Rhazin*, palpitationem cordis emendans, valenter exhilarans, coctionem juvans, oris & corporis reliqui odorem commendans, coloremque vividum faciens.

Authore *Serapione*, „ Nux moschata aufert fumositatem a stomacho, expellit ventositates, splenem extenuat, apostemata dura mollit ".

NOTÆ. Odor ejus aromaticus est, fragrans, gratus; sapor acris, aromaticus, amaricans, subadstringens.

Acu puncta Oleum statim stillat, Oleum equidem præbens fere duplo plus quam pleraque aromata, idque duplex, 1. crassius, unguinosum. 2. Subtilius, fragrans, æthereum: hoc destillatione elicitur, illud exprimitur, & ℥iv, v, vel vj colliguntur ex ℔j, sed ætherei destillatione elicitur ℥ſs vel ʒv.

Vi soporifera pollet, si majori quantitate sumatur; *Bontius* enim testatur, se vidisse homines inde mutos & immobiles jacuisse; & *Lobelius* gravidam quandam esu 10 vel 12 ebriam delirasse.

In Colica flatus discutit. Dimidia pars Nucis moschatæ majoris, præsertim leni calore tostæ, donec friabilis fit, est bonum adstringens in diarrhœa, & sic parata caput minus afficit.

Vomitum quoque sistit, & non spernenda est in cardialgia frigida & paralysi; *Brachmanes* Nuce moschata, saccharo condita, utuntur in omnibus Cerebri frigidis morbis, paralysi aliisque nervorum affectibus, & ad paralysin partium, deglutitioni inservientium, Nux moschata masticata & deglutita est egregia, authore *Etmullero*.

Nonnulli ex alumine & nuce moschata cum melle Electarium elegans pro gingivis conficiunt ad istarum hæmorrhagiam compescendam & dentes firmandos.

Usu externo, in dolore & inflatione Uteri post partum ab aëre frigido admis-

(*m*) Vid. *Nardus*.

admiſſo (malò ſatis frequenti mulieribus pompæ magis quam ſanitati addictis,) remedium *Solenandri*, & plurimorum practicorum, eſt ſuffitus Nucis moſchatæ, in 2 vel 4 partes diſſectæ, & carbonibus impoſitæ, per infundibulum genitalibus muliebribus immiſſus: hac enim ratione Uteri orificia ſe denuo aperiunt, & flatus ibidem hærentes diſſipantur, ut cum ſonitu erumpant.

Propter Oleum, quo gaudet, aromaticum ſimul & anodynum in ſpaſmis & doloribus, in colica & vomitu ad ℨſs ſumpta, valet, maxime vero, authore *Hoffmanno*, in primis menſibus graviditatis, nauſea, vomitione & tuſſi correptis, ut ſæpe fit, Nuce moſchatâ cum ſaccharo pulveriſatâ non tutius eſſe remedium.

C. *NUCES PISTACHIÆ. Piſtach Nuts.*

Piſtacia peregrina fructu racemoſo, ſive Terebinthus Indica *Theophraſti* C. B. *φιστακια Nicandro, Athenæo ψιττακια,* Latinis Piſtacia. *Lucius Vitellius* Cenſor hanc nucem in Italiam portavit in noviſſimis *Tiberii* Cæſaris temporibus.

Præterquam quod Amygdalis ſuaviores ſint, ſimul quendam odoratum habent, & qualitatem aromaticam, ſubamaram & ſubadſtringentem: apud *Galenum* cum Amygdalis amaris locantur tanquam in victu attenuante minime improbandæ.

Propter qualitates, jam dictas, ſtomacho amicæ ſunt, prohibent nauſeam & ſubverſionem ſtomachi, ejus os confortant, & ad hepar roborandum, ſuccoſque in ipſius viis infarctos, purgandos, utiles, maxime putaminum ejus aromaticorum decoctum ex vino: & Oleum ejus, authore *Avicenna*, confert dolori hepatis ex humiditate groſſa.

Nec cient, nec ſiſtunt Alvum. Sive edantur, ſive ex vino bibantur, contra ſerpentium morſus auxiliantur. Eoſdem uſus & effectus habent, quos Pinei Nuclei.

NOTÆ. Unctuoſæ ſunt, ſaporis dulcis, grati, amaricantis, & ſecundum quoſdam ſubauſteri, magis oleoſæ quam Amygdalæ, in emulſionibus tamen grat̄iſſimæ: Odor quoque ſuavis iis tribuitur, oris halitum commendans; Veteraſcentes rancidæ fiunt.

Cuticula exterior terebinthinam olet, interior adſtringens eſt. An hinc derivanda vis roborans ventriculi, a *Galeno* Nucleis tributa?

Pectorales ſunt, expectorationem promoventes, & analepticæ, ac diureticæ; nephriticis utiles, necnon tabidis, tuſſique.

C. NYM-

C. *NYMPHÆA* alba major C. B. *White Water-Lily*

Dioscorides & *Galenus* radicum & seminum, non florum meminere, sed Arabes florum.

Radix vim habet exsiccantem sine morsu, profluvia ventris sistit: cum vino pota cœliacis ac dysentericis auxiliatur, lienemque consumit. Trita plagis imponitur, sanguinem sistere traditur, & Ulceribus, quæ calceamento fiunt, arida infricta prodest. Stomachi & Vesicæ doloribus sedandis imponitur.

Porro, radix nonnullam habet abstergendi potentiam, unde & alphos sanat, vitiligines, & alopecias; cæterum ad alphos maceratur aqua, & ad alopecias pice liquida.

Eadem contra veneris insomnia bibitur, siquidem illa in totum adimit; quin &, aliquot diebus continenter epota, genitale ita infirmat, ut arrigi minime possit.

Semen gustanti lentum glutinosumque est, & ejus poti idem, ac radicis, effectus est.

NOTÆ. Radix *albæ*, a me sæpius explorata, gustus est austeri, tum in substantia, tum in decocto, & experimento *D. Alstoni* meoque decoctum, addito Vitriolo Martis, nigrum fit; quinimo Aciditas quoque mihi guste evidenter se prodebat, adstipulantibus experimentis aliorum, hanc radicem rubefacere solutionem Heliotropii & Chartam cæruleam.

Alii quoque viscositatem huic radici tribuunt: utcunque vires ei tributæ in Alvi fluxu, dysenteria, fluore albo, gonorrhœa simplici, seminis acrimonia & pollutione nocturna, haud deneganda, nec reticenda testimonia *Tragi* & aliorum, quod, vino nigro decocta & pota, Mensium muliebrium abundantiam sistat, efficaci remedio iis, qui de omni auxilio desperarunt; quin & in *Miscellaneis Curiosis* enarratur, Nymphææ albæ radicem, juxta longitudinem fissam & plantis pedum alligatam, febrifugam fuisse in pluribus tertiana febre laborantibus.

D. *NYMPHÆA* major lutea C. B. *Yellow Water-Lily.*

Hujus equidem radix alba est ut Veterum Nymphæa flore luteo; veruntamen an sit hæc & nostra eadem planta neutiquam satis liquet: quum enim, quæ albam radicem habet, apud Veteres dicitur potentioris esse facultatis, contra Nymphææ luteæ nostræ radix, secus quam albæ, vix ullius adstrictionis particeps est.

*Nymphææ floribus humectandi & refrigerandi facultatem tribuunt Arabes; imo *Avicenna* & *Rhazis* iis hypnoticum quid tribuere videntur: & *Avenzoar* primus detexit eorum vim corrigendi acrimoniam & malignitatem Ellebori ni-

gri (n), verum hæc elucidationem ulteriorem postulant, quoniam hæ vires tribuuntur Nymphææ generatim sine ulla distinctione. Apud nos, etsi Nymphææ albæ radix longe potentioris facultatis sit vi adstringente, quam luteæ; hujus tamen flos magis aromaticum gratumque spirat odorem, quam albæ; & proinde haud temere conjectaret quis, flori luteæ magis competere vim paregoricam quam albæ.

Non reticendum tamen, quod *Simon Pauli* refert, Syrupum, ex floribus albis confectum, somnum conciliare, verum segnius quam Papaver.

O.

C. *OESYPUS*, Oesypum & Lana succida.

Oesypus est pinguitido è succidis lanis collecta: Lana sordibus sudoris succida, Lana sordida vel succida dicitur. Secundum *Hippocratem* Oesypus est proprie sordes & fimus lanæ circa nates ovis vel capræ adhærens (*o*).

Probatio est ut sordium virus redoleat.

Lanæ è collo feminibusque laudatissimæ. Vim habet excalfaciendi, emolliendi & relaxandi cum aliqua acrimonia, concoquendi instar butyri, & paululum digerendi (vetustate autem tenuius, calidius, & potentius digerens fit.) repellendi, Ulceraque explendi. Hoc clarius patebit ex viribus ejus.

In vellere appositum fœtus & menses evocat.

Subvenit inter initia vulneribus, contusis, desquammatis, *lividis* & ossium fracturis, aceto & oleo aut vino imbutum: idonec excipit irrigationes, quæ adhibentur contusis aut quomodocunque percussis particulis, ut quæ utilitatem ex illis proficiscentem promoveat.

In Musculis vel periosteo contusis cum dolore Lana succida sapa, cum vino, exiguo aceto oleoque imbuta, imposita prodest, utpote mitigativa. Efficax in capitis, stomachi & alius cujusvis partis doloribus, si cum rosaceo & aceto imponatur.

Ceratum, quod ex Oesypo componitur, omnibus notum est, eoque plurimi utuntur ad phlegmonas, quæ in præcordiis sunt.

Oesypus podagras lenit cum lacte muliebri & cerussa, atque ingreditur compositiones contra dolores ischiadicos.

Igni

(n) *Friend's*, Hist. of Physick.
(o) *Hippocr.* de Morbis Mulierum. Lib. II.

Igni facro medetur cum pompholyge & rofaceo: Oculis utilissimus contra inflammationes.

Ulcera explet, maxime fedis ac vulvæ cum meliloto & butyro: valet & ad ulcera tum aurium, tum etiam genitalium cum anferino adipe. Ubi Ulcus minus malignum eft, oræ vero prætumidæ ac duræ, Cera, hoc emollita, prodeft.

Eft & efficax ad arrofos fcabiofofque oculorum angulos, item ad palpebras callofas & ciliorum defluvia.

Porro, fordes caudarum concretæ in pilulas, & ficcatæ, per fe tufæque in farinam, & ufuæ, dentibus mire profunt etiam labentibus, gingivifque fi carcinoma ferpat. Sic *Q. Serenus* de dentium & oris vitiis:

> *Sume pilam, quæ caudis hæret ovinis.*
> *Hæc ficcata dabit molles & fracta farinas:*
> *Hujus & attritis tetrum mulcebitur Ulcus.*

Denique nec ufum internum omifere prorfus Veteres; nam in comitialibus morbis Oefypum, cum myrrhæ momento & vini cyathis duobus dilutum, magnitudine nucis avellanæ, in potu dabant (*p*).

NOTÆ Oefypus fecundum *Valentini* nihil aliud eft quam Pinguedo poft coctionem & lotionem Lanæ in aqua, aquæ innatans defpumata, per pannum trajecta & doliolis parvis indita, quæ ad membra paralytica morbosque nervorum commendatur.

C. *OLEA* fativa C. B. *The Olive tree.*

Fructus Olivæ refrigerante & adftringente vi pollent, ut iis exiftant utiles, quibus os faliva perpetuo repletur, quorumve ftomachus ex fibrarum laxitate imbecillis eft, unde appetitum excitant & naufeam tollunt.

Muriæ fuccus collutus gingivas contrahit & dentes firmat.

Oleum. Ufus eft 1. Olei e fructu immaturo expreffi, quod *Omphacinum* dicitur; 2. ex Olivis maturis, fcil. *Oleum commune,* feu *Oleum Olivarum* dicti.

Quod ex Oleaftro fit tenue eft, multoque amarius, quam Oleæ Porro & ex eadem Oliva differunt fucci. Primus omnium crudus eft atque nondum inchoatæ magnitudinis, hic fapore præftantiffimus: quin & ex prima preffione Preli laudatiffimus. Quanto maturior bacca, tanto pinguior fuccus minusque gratus.

De

(*p*) Quemadmodum & nos Mofchum & Caftoreum, excrementa animalium graveolentia, in morbis fimilibus exhibemus.

De Omphacino. Optimum recens, minime mordens, odoratum. Ore si contineatur gingivas contrahit dentesque firmat: refrigerat, adstringit & obstruit: sudores cohibet. Propter adstringendi vim stomacho accommodatum.

Capitis dolori ex æstu solis medetur utpote repellens. In fluxionibus acribus ad oculos utimur oleo rosaceo, & frequenti ex aqua dulci in balneo lavatione: & convenit ipsa Nam lumbis eorum, qui plurimum genitalis humoris colligunt & excernunt.

De O[illegible] et O[illegible] materia. Oleum commune non corpus universum mordicat, sed Oculos, & subinde tussim excitat, etsi Ulcera lenit acria, & siccitatem emendat, ventremque moderate subducit, spectatim sensim ante cibum absorptum: & in mordacibus humoribus, in superiore ventre contentis, simplex Oleum, aut cum aqua temperatum, sorbendum exhibemus.

In plumbeis cortinis ponendum; in æneis malum saporem acquirit.

Oleum solum Calci infestur, quando utrumque aquas odit. Resinam omnem dissolvit.

Apes & omnia Insecta Olei adspersu enecantur.

Hyeme ocyssime promptius quam Vinum, Acetum & Aqua ipsa concrescit. Longa vetustate incrassatur.

Oleum & Aqua, si coquantur, Aqua prius consumitur: v. g. semen abietinum & populi flores aliquando per menses in oleo macerantur: sed aliter, percoquuntur in Oleo, addita aqua, ne torreantur quæ injecta sunt, nec oleum ustionem odore referat, & fere ⅓ vel ¼ pars aquæ sufficit, tantulum nempe, quantum coquendo evanescet.

En Olei analysin naturalem seu spontaneam ex Galeno.

Omnibus plantarum succis geminum inest excrementum, alterum crassius, alterum tenuius & velut aquosius, & Oleo ambo hæc insunt, ad concoctionem & discretionem tempus postulantia. Porro, tempore quidem alterum residet, alterum vero consumitur, ac primum quidem quod terrestre est & crassum subsidet, Amurca vocatum, alterum vero tenuius & velut aquosius quodammodo, & ipsum compositum est ex aërea essentia & tenui serosa.

Cæterum, serosum illud rufi coloris est: at Oleum ipsum tum minime mordax, tum candidum sua natura existit. Quapropter, ubi tenue hoc excrementum separatum fuerit, candidius dulciusque efficitur. Separatur vero repetita ablutione in aqua, sed quod aptum est eligendo & consumendo, reliquo autem servato (q).

Hinc

(q) *Galenus, de Simpl. Med. fac. Lib. II. Cap. 13 & 18.*

Hinc Oleum tibi Medicamentorum omnium minime mordax erit. Ac nos saepe Oleum ejusmodi bibendum nonnullis exhibuimus, nosque ipsi experimenti gratia sumpsimus, prorsusque nullam intestinis mordacitatem attulit, gutturque minimum ad tussim asperitatem commovit, cumque oculis esset infusum, sensum movit exiguum, ipsa potius novitate atque insolentia, quam acrimonia molestum.

De usu externo Olei. De vi calfaciendi, quam *Dioscorides* Oleo tribuit, haec clarius profert *Galenus:* Oleum omni prorsus aliena vacat qualitate vehementi: neque refrigeratos excalfacit, nec excalfactos offendit, nisi quod in calidis phlegmonibus, ut Erysipelatis exquisitis, calorem adaugeat, etiamsi applicetur vel frigidissimum, & minus quam in aliis, sed tamen perspicue, affligit inflammationes etiamnum ferventes. Caeterum in ardoribus, si salis sit expers, & aliquin etiam calidum, convulsam solutionem, si modo frigidum perfundatur, affert.

Porro, a viscositate, ac quod difficulter item defluat, cum meatus infarciat obstruatque duplici ratione, ut augere caliditatem videatur, evenit; tum mole, quod instar vestimenti aut munimenti illinatur, tum quod meatus infarciat, prohibeatque foras effluere magnam vaporosi totius caloris partem.

Caeterum, forsassis tanquam alimentum nos excalfacit, ubi, scil. intra corpus sumitur, probatum etiam quibusdam tum medicis tum philosophis, sicut ex cibo, ita ex Oleo corpori fieri appositionem convenit.

Sudores cohibet Oleum: hinc quos largius sudare volumus, sive a balneo, sive balnei expertes, iis non protinus ab initio Oleum admovemus; verum iis, qui morbo laborarunt, ubi sudare inceperint, tum excalfactum perfundimus: iis vero, qui etiamnum laborant, ubi satis sudarunt: porro, sanis siquidem ex longo itinere aut exercitatione aliove quovis pacto corpus ipsis exhaustum est, eis inungi & ante sudorem permittimus: verum qui non consuevere, aut corpus habent plenum, quod plethoricon vocant, his neque in balneo inungi concedimus.

In corporis extrema gracilitate, post frictionem & balneum caloris mediocris, Oleo exiguo inungendum, utpote vim emplasticae medicamenti habente, & exigua cutis spiracula obstruente, ne humores, frictione attracti, exhalent.

Lassitudines sanat per se, & cum aqua, quoniam facit aquam diutius inhaerere, unde aqua contactum optimum reddit arentibus, exsiccatis squalidisque corporibus.

Qui febricitant, si valentes viribus sint, omnibus sanguinem ab initio mittere, perfusoque Oleo post tertiam accessionem, vel mulsa cum alica nutrire, vel sorbitione; specialiter in febricitantibus ex lassitudine iis, qui motum habent

bent adstrictos, & iis, qui ex bubonibus (r) febres incurrerunt, præter lavationem, Oleo tepido & multo, a quo omnis adstringendi vis abest, & manibus mollibus perfricare quam plurimum oportet.

Similiter in Lassitudine ab exercitatione immodica remittitur tensio pauca molique frictione ex oleo dulci atque æquato. & in febre tertiana exquisita curatione plurimo Oleo calido, infuso ad aquam, perducendi & madefaciendi ægri; & si se ea natare voluerint, quantum id facere possunt, permittendum: quinimo in Hectica laborantibus Oleum tepidum perfunditur, interposito usu balnei.

Porro, & ad sanitatem tuendam, ante exercitationem valentiorem corpus mollire expedit, ne partium solidarum quæpiam rumpatur aut convellatur: oportet, linteolo totum corpus mediocriter fricando calfacere, mox Oleo fricare, præmissa frictione, ut præparatum aptumque sit ad Oleum capiendum.

Maturativa obstructionem quandam habere oportet, qua pori clauduntur, quæ, illis obseratis, calor internus adunatur & corroboratur, unde & digestiva, cæteræque naturales actiones vigent: hinc Oleum & aqua, Græce Hydroleon, aptissima sunt puris generationi: ex oleo & aqua panis cito pus movet, sed ex oleo, aqua & farina tritacea Cataplasma citius ad suppurationem perducit quam ex pane: ex Oleo autem aqua & farina hordei Cataplasma cito pus movet & ex Oleo ac Caricarum decocto farina frumenti mire suppuratoria est. Cui plus Olei additum fuerit pertinaciam coctioni adversantibus, cui minus ferventibus magis convenit.

Oleum permultam nobis utilitatem tollendis sedandisque doloribus, si calidum adhibeatur, præstat, v. g. in phlegmonis, quæ dolorem magnum inferunt, ubi Oleum recens veteri præferendum, utpote magis blandum & mite; & Lana ex Oleo calente imponitur Glandulæ, quæ cœpit inflammari: atque in vulneribus capitis cum Cephalalgia, post Venæ sectionem prosunt irrigationes capitis ex lana, oleo dulci imbutâ, capitique ex ea contecto.

Ulceribus, phlegmone affectis, Oleum cum aqua moderate calida perfundimus. Aliter, omne Ulcus postulat, ne quid inter oras conglutinandas intersit, quod tamen sæpe fit, ita ut pilus, arena, sordes, Oleum, aliudve ad genas glutinationem prohibeat; quinimo Oleo, cavo Ulceri infuso, sordidum ac male olens Ulcus efficitur.

Oleum quoque Aphthis adversissimum est, humectando & fordidando.

De

(r) Bubonum vocabulum glandularum tumorem, non tantum in inguine, sed etiam in collo, capite, & locis aliis tribuit Galenus.

De usu Olei interno constat, ut eos, quorum ex vitiosis humoribus mordicatur Ventriculus, Oleum dulcissimum calidum, vel aqua temperatum, epotum sanavit; & injectum totius ventris mordicationes leniit. solet autem sæpius Oleum ad vomitum irritare, & Ventrem molliorem facere.

De Oleo frigido & calido. Non raro caput, dolore gravatum, Olei frigidi perfusione liberavimus.

Frigidum, corpori admotum, perspiratum prohibet, calidum vero digerit ac extenuat, quod tibi etiam ex carnibus, in eo coctis, condiscere licet, similiter enim ut prærancidas, friabiles reddit, etsi protinus, cum animal mactatum sit, in eo coquas, aut sartagine frigas.

In refrigeratis corporibus in alveum Olei calidi demittimus quibus pars quæpiam obstupuit, aut tremuli sunt, aut convulsione aut palpitatione tentantur, vel motu sensuve privantur.

In contusionibus nervorum partem non putrescentem, sed tensam dolentemque, Oleo calente liberaliter perfundit *Galenus*; & in Vulneribus nervorum cum tensione & dolore Oleo calido, & omnis adstrictionis experte, totum Membrum fovit.

Denique apud Veteres satis frequens fuit usus frictionis ex Oleo & sale (Græce Alelaion) in curando Oedemate in pravis affectibus. De Olei & salis affrictu in podagricis hæc habet *Aëtius*: „ Operæ pretium est nosse quod „ omnes, qui se, ne in podagricam affectionem incidant, asservare volunt, „ & præsertim eos, qui humida & frigida natura sunt, magnifice juvant sa„ les cum Oleo tenuissime triti & affricti, non quidem tempore inflamma„ tionis & doloris, sed quum hæc remittunt, nisi vehementer sicca temperie „ ægri sint præditi. Omnibus enim, qui hoc modo fricantur, insitus calor „ augetur, & quod præter naturam est discutitur, recrementaque consumun„ tur, & affecta membra fiunt robustiora, ac adversus affectionem firmantur, „ minimeque ei obnoxia redduntur; maxime, si singulis diebus mane & ve„ spere, ubi dolores remiserint, per omnem vitam hoc præsidio utantur".

NOTÆ. *Oleum* simpliciter dictum, seu *Oleum ex Olivis maturis*, non est corpus simplex, sed compositum ex Oleo puro, mucilagine, aqua & acido.

Ob acidum gutta una, oculis immissa, dolorem creat, vellicans fere æque ac succus Citri: acrimonia deglutienti quoque satis diu sentiebatur in gutture. Ob acidum quoque Metalla corrodit, plumbum solvens, hinc nec Oleum Olivarum, nec Oleum Amygdalarum præservat ferrum a rubigine, & si Oleum Olivarum steterit aliquamdiu super vas æneum, hoc viride fit, à corrodente Acido, sed Oleum animale, v. g. sebum, utpote acidi expers, idoneum est ad præservanda hæc metalla.

Conceditur porro, Oleum Olivarum omnibus vulneribus & ulceribus inimicum esse ob acidum. Cur igitur ingreditur Unguenta & Emplastra vulneraria? Respondetur, hoc fieri ob duplicem rationem, scil. quia coquendo partim exhalat pars acida, & partim absorbetur a plumbo, ex quo & Oleo Emplastra & Unguenta plurima componuntur.

Porro, quum Oleum dicitur constare ex aqua & mucilagine, hinc inflammatur, sed non sine sibilo, & ad id præservandum a rancididate adlitur sal, qui imbibit aquam & mucilagineas partes, unde Oleum fit magis homogeneum & minus mutabile.

Verum Oleum aquam refugit, ut patet ex globo vitreo, Oleo superlito, immerso aquæ, quæ cavitatem relinquit circa globum; proinde ad quæstionem, quomodo Oleum & Aqua in oleo communi unita sint, respondetur ex *D. Macquer*, quod Oleum constet è phlogisto unito Aquæ per acidum & ex tantillo terræ, quoniam scil. major est affinitas inter acidum & oleum, & inter acidum & aquam, quam inter Oleum & Aquam.

Notandum porro de Oleo, quod longe majorem gradum caloris acquirat ab igne quam Aqua, & quod longe penetrantius sit quam Aqua, vasa lignea transudans secus quam Aqua.

Olei usus multiplex est tam interne quam externe, utiliter enim illinitur ad mitigandum dolorem in puncturis apum, vesparum & culicum: hauritur contra venena assumpta.

Vomitum movet ab ℥ß ad ℥iß & plus cum aqua sumptum: datur in Clysmatibus balneum vel semicupium præbet ad dolores atroces colicos, nephriticos aliosve.

E pannis Picem extrahit, quod non facit Aqua.

Africani, ut sudoris fluxum impediant, corpus suum inungunt Oleo & pinguedine, & Athletis usurpatur ad præcavendam nimiam perspirationem, unde major copia sanguinis & spirituum suppeditatur musculis.

Usu interno quoque tormina ventris mitigat, & urinarios meatus laxat, necnon alvum cum Cerevisia calida ad ℥j, vel, Micæ panis leniter torrefactæ, irroratum, matutino tempore sumptum & cum saccharo mistum adhibetur in affectibus pectoris, præfertur tamen Oleum Amygdalarum, utpote minus acidi continens.

De Oleo Omphacino hæc habet *D. Chomel*: „ Certum est Olivas virides nihil præbere nisi succum viscosum glutinosum, quoniam principia sulphurea non extricantur ante perfectam maturitatem; proinde magis probabile est, Oleum, Omphacinum dictum, fuisse artificiale, h. e. infusum Medicamentorum adstringentium in Oleo communi ".

O. OL.

C. OLIBANUM. Thus maſculum. Thus ſive Olibanum Offic. C. B. *Dioſcoridi* Libanos, *Galeno* Libanoton, Latine Thus, de cujus patria non convenit apud Authores, ut & nec de arbore unde fluit.

Cum frangitur, intus pingue eſt, ſatis odoratum, non tamen niſi uſtum olens: ad ignem cito accenditur, odorem ſuavem & copioſum emittens. Odor foliorum Roſmarini. In Emplaſtris immittendum cum Medicamentum ab igne tollitur, quippe coctionem non ferens.

Secundum *Galenum* excalfacit ordine ſecundo; deſiccat primo, habens quoque ſubadſtringens puſillum, etſi *Dioſcorides* pro more ſuo vim adſtringendi liberalius tribuat. Odor aliquibus dolorem capitis parit, & proinde ejus uſus vitandus in capitis doloribus a ſtomacho & aliis partibus.

In ſecunda valetudine hauſtum furorem inducit, & largius in vino potum, authore *Dioſcoride* interficit.

Siccat ſine morſu vim fortiorum pharmacorum caſtigat, v. g. in confectionibus ex metallicis ad nervorum vitia immiſcetur dimidia pars vel amplius Thuris candidiſſimi & pinguis.

Galbanum concoquit, emollit, mitigat, & dolorem ſedat, ac Thus eaſdem vires habet, ſed imbecilliores, concoquens & pus movens.

Cava Ulcera implet & ad cicatricem perducit, authore *Dioſcoride*; ſed de hac re fuſius & clarius *Galenus* „ Ulcus ſimplex purum cavum a mediocriter
„ ſiccantibus, v. g. ſolo Thure, curatur, ſordidum vero & malignum Ulcus,
„ oris praetumidis ac duris, ſed carne juxta cutim fluida, validiſſime ſiccan-
„ tia, v. g. Chalcitidem combuſtam, requirit at in his Thus eſt imbecillum
„ medicamen, ut ne pus quidem concoquere aut movere poſſit ".

„ Porro, in humida corporis natura Thus carnem producere poteſt, quo-
„ niam Ulcera in humidiore temperamento minus ſiccari poſtulant, ſiquidem
„ productam carnem ei, quae ante erat, ſimilem eſſe oportet: verum, ſi quae
„ ſint Ulcera, quibus par eſt humiditas, quod in ſicco corporis temperamen-
„ to conſiſtit, utique magis ſiccari poſtulant, hinc in ſicca corporis natura
„ Thus carnem producere non poteſt ".

„ Ulcus vero quo humidius, eo ſane medicamento quod magis ſiccet, indi-
„ get. Merito itaque Thus in quibusdam tum Ulceribus, tum naturis pus
„ quidem movet, carnem non producit, in quibusdam etiam carnem producit ".

Cruenta vulnera glutinat, ſanguinis eruptionem cohibet, & in morbis oculorum ſiſtit fluxum humorum. In aſperitudinibus palpebrarum, ubi fluxus fuerit reſiccatus, cava Ulcera collyrio ex Thure explere oportet, ita ut in principio pauxillum collyrii ex vino admiſceamus, & paulatim ejus copiam au-

tendamus, ut ne palpebræ amplius tunicas oculorum infestent, Ulceraque munda reddita exacte impleantur & ad cicatricem perducantur.

Quinimo Thus in ocularibus medicamentis modicam habet vim extergendi, caliginem enim oculorum discutit; &, authore *Galeno*, concoquit, simulque discutit in inflammationibus oculorum: & in morbis oculorum inter maturantia & mundantia locatur.

Usu interno, Arteriæ internorumque viscerum medicamentis utiliter admiscetur, & sanguinem expuentes potu juvat, sistitque sanguinem, qui è renibus fluit.

Ponitur in Theriaca, & datur contra Cicutam.

NOTÆ. Non est Resina, sed Gummi-Resina, seu Gummi balsamicum, salivam masticanti albam reddens. & cum aqua triturando dat emulsionem, ut aliæ Gummi-Resinæ, odoris fragrantis, aliquantulum terebinthinacei, &, si fumatur copiose, Urinam odore inficit: saporis subacris, amaricantis.

Ex æqualibus fere partibus resinosis ac gummeis, Oleo æthereo parcissime impregnatis, constat. Spiritus Vini minus solvit quam Aqua, sed solvit fere totam actuosam materiem.

De vi adstringente, huic attributa, vix immerito dubitat *D. Alstonus*, potius Myrrhæ vires possidere volens, etsi quatenus diaphoreticum prodesse possit in fluxibus, tussi & morbis phlegmaticis: haud tamen damnandus aut denegandus ejus usus in suffumigiis ad roborandas partes & ad pedes hydropicos laudatus, necnon in procidentia Ani, tenesmo & hæmorrhoidibus. Videtur dignum memoratu quod protulit *Matthiolus*, de hoc ut remedio sine pari, „ In Ophthalmia accendatur grumus thuris, acuto stylo affixus: hæc quasi „ cum candelâ cereâ in Aquæ rosarum ℥ v extinguitur: repetantur accensiones „ extinctionesque vigesies, & deinde percolata aqua linteolo mundo oculo„ rum angulis cum penna vesperi illinitur, dum ad cubitum affecti sese reci„ piunt; atque si rubor lachrymæque cum vehementi dolore fuerint, additur „ tantundem lactis muliebris ".

C. *OPIUM* Succus concretus capitum Papaveris hortensis semine albo C. B.

Affion & Amphion Arabibus & Indis, quibus ab omni tempore, priusquam Græcis, in usu fuit. *Nepenthes Homeri* ab Ægypto proveniebat ut nostrum, & qualitates utriusque conveniunt. *Heraclides Tarenti* medicus celebris sectæ Empiricæ, qui vixit circa seculum mundi 3800 & alii Empirici videntur fuisse primi auctores usus frequentis Opii & Papaveris. Posteriora secula fere rejecerunt ejus usum tanquam veneni. Tandem *Platerus* primus e recentibus usum

usum ejus frequentiorem introduxit, & *Paracelsus* inde gloriam sibi arrogavit.

An *Hippocrates* Opio puro usus fuerit pro hypnotico vel anodyno, non liquet. *Dioscorides* vires ejus agnoscebat; necnon *Galenus*, sed adhibita cautela nunquam commendanda in ejus usu.

Gustu amarum est, odoratu soporiferum.

Usu externo ad dolores capitis cum rosaceo perfusum efficax est. Inflammationibus oculorum cum torrefacto ovi luteo proficit. Collyria inde facta vehementissimos oculorum dolores remittunt, utenda tantum cum maxima necessitas urget, liberalior enim eorum usus visûs hebetudinem, suffusionem, pupillæ dilatationem, tabem vel corrugationem inducit.

Aurium dolori cum amygdalino, myrrha, & croco instillatur, authore *Dioscoride*, cum muliebri lacte & Ovi candido, authore *Galeno*, in dolore ex inflammatione oborto. Teste *Tralliano*, in inflammatione cum magnis doloribus, si Castoreum æquale Opio misceatur, lævigeturque ex sapa, & auri tepide injiciatur, generose lenit: notat tamen *Galenus* composita ex Papaveris succo liberaliori usu auditûs gravitatem induxisse, & *Trallianus*, se novisse quendam solo usu Opii & vocem & sensum perdidisse.

Porro, igni sacro & vulneribus prodest Opium cum aceto, & podagris cum lacte Muliebri & croco: somnum accersit subditum sedi per balano.

Usu interno magis refrigerat, inspissat, siccatque quam Meconium. Sumptum ervi magnitudine dolorem finit, concoquit & somnum allicit, verum si copiosius hauriatur, necat, cum lethargicos efficiens interimat. Sedat tussim antiquam & contumacem. Cœliacorum valetudini auxiliatur. Omnibus, quomodocunque sanguinem rejicientibus, convenit, & dysentericis: exsiccat Ulcera, privatim intestinorum. Retinet solutionem [laxitatem] authore *Avicenna*. Si ex vino meracolo protinus detur, scorpionum ictibus resistit.

Ad præcavenda Mala ex usu Opii Veteres, rati frigidum esse, admiscebant calefacientia, ut piper, cuphi, crocum, pyrethrum, quæ noxios humores discutere possent, & repurgare viscosos, succosque crassos & flatus ventosos attenuare, concoquere & evacuare, quemadmodum & nos etiamnum hodie aromata varia admiscemus Opio in Theriaca, Philonio & Tinctura Thebaica.

Eos, qui Opium copiosius acceperunt, sequitur in somnum gravem collapsio, mentis sopor & sensus abalienatio cum frigiditate & prurítu vehementi, ita ut sæpe, invalescente veneno, tanta erumpat prurigo, ut hominem excitet. Odor Opii per totum corpus effertur & exhalat: inferior maxilla laxatur, tumescunt labia, oculi singultus, distorquetur nasus, adest pallor, livor unguium, præceps animi dissolutio, respiratio parva & frigida, & per intervalla sibilans, authore *Aetio*, & ad finem etiam Convulsio.

Inter ejus Antidota, præter emetica ex Oleo & acrium Clysterum infusionem, Acetum per se & Castoreum laudantur.

NOTÆ. Odoris est gravis instar Papaveris (quod vide.) gustanti primo sentitur amaror nauseosus, dein calor pungens. Salivam ciet, &, in ore detentum, linguam & palatum exulcerare dicitur, quin &, cuti admotum, pruritum creat, & psilothrum est, discutiens, supporans, & in parte tenera exulcerans. Hæc profecto frigidæ qualitati, huic adscriptæ, refragantur

Solutio in Aqua debiliter rubefacit Chartam cæruleam, sed solutionem Heliotropii valide.

Magna ex parte in Aqua solvitur, & hæc solutio nigrescit cum solutionibus Chalybeatis, serumque sanguinis ab ea admista spissescit & albescit.

Vinum, & Spiritus Vini tenuior, *Proof Spirit* dictus, plus id solvit quam vel aqua vel spiritus vini rectificatus, sed menstruum maxime perfectum est spiritus Vini tenuior, partes resinosas & Gummosas solvens.

Dissentiunt Authores de proportione Gummi ad Resinam: secundum *D. Alstonum* in ℥xij adsunt ℥v Gummi, ℥iv Resinæ & ℥iij partium feculentarum. Gummi odorem & saporem habet Opii eosdemque parit effectus: quinimo consentiunt plures authores, solutionem ejus in Aqua pura omnibus aliis præferendam esse, utpote somnum placidum efficientem, secus quam cum spiritu Vini vel Vino paratum, unde delirium magis metuendum, præsertim in morbis acutis. nec desunt, qui præparationem ejus per acida, rite institutam, singulariter commendant in morbis acutis.

Copiosus ejus usus odorem dat Urinæ & sudori.

Omnes Excretiones, excepto sudore & perspiratione, sistit. Turcæ ejus ope famem sustinent treve dies.

Experimentum sequens indicat, Opium vires suas, ut plura alia venena vegetabilia, præcipue exerere in systema nervosum, vel immediate in nervos & fibras organi, cui applicatur. Rana, cui Cor exemptum fuerat, non moriebatur, donec elapsæ fuissent horæ ipsi, verum, in altera Rana, cui quoque Cor exemptum erat, injecto Opio in ventriculum, sequebatur mors intra semihoram & hinc illustrari potest ratio curationis febris Intermittentis dato Opio paulo (v. g. hora una,) ante accessionem, cujus plura allegantur exempla.

Operatio Opii varia est secundum dosin, qua sumitur, nam in parva dosi pulsum validum efficit & alacritatem instar cardiaci affert; contra, dosi majore pulsum & respirationem deprimit, quemadmodum & Vini dosis varia contra-

rios

dos parit effectus: porro, authore *D. Harris*, major dosis statim, sine præmissis evacuationibus, inefficax fuit, sed, iis præmissis, minor dosis suffecit. Allegatur apud *Raium* vera causa cur Turcæ, Persæ, aliæque gentes Orientales assidue Opium ingerant, scil. ad appetitus venereos excitandos.

In doloribus vel spasmis ventriculi, aut intestinorum, necnon in vomitu & purgatione, præstat dari forma Enematis, potius quam per os.

Contrarios præstat effectus pro diversitate morborum & temperamentorum: in morbis enim serosis & pituitosis somnum; contra, in febribus hecticis & biliosis pervigilium inducens. sic calidos & siccos dicitur iracundos, pugnantes & insanos facere, siccos & frigidos misericordes & lachrymabundos, &c.

Vim anthelminticam egregiam prodire narratur in casu, qui prostat in *Miscellaneis Curiosis*, ubi dolores Colici statim cessabant post dejectionem per vomitum & alvum xx lumbricorum a granis iij Opii. Quin & nuperis Experimentis patuit, Opii dosin tuto & feliciter augeri posse ad grana plura, imo ad gr. xiv in 24 horis, in malo spasmodico, *Lockd Jaw* dicto. *London Medical Observations and Inquiries.*

C. *OPOBALSAMUM* Vide *Balsamum Judaicum.*

C. *OPOPANAX.*

Maxime probatur amarissimus, pinguis, odoris gravis. Fugat Viperas & omnem serpentum accessum.

Sinceri experimentum est, si digitis in aqua friatus resolvatur & lactescat, Æquatur aqua, aceto & vino.

In Emplastris conficiendis omnino paucam coctionem requirit. Est tertii ordinis in calefaciendo, in desiccando vero secundi.

Excalfacit, mollit, digerit seu extenuat, ut ex operibus ejus usu externo & interno deprehensis patet, scil. Vulvæ inflationes duritiasque, ex melle dilutus, discutit. Menses trahit, fœtus enecat.

Ischiadicis illinitur vel applicatur in malagmatis podagricis cum uva passa illitus subvenit. Carbunculos circumquaque rumpit. Oculorum aciem inunctus excitat.

Dolores dentium mulcet ipsorum cavis inditus: ingreditur malagma ad nervorum ex consensu dolorem.

Magis calfacit quam Ammoniacum.

Galbanum & Opopanax, præterquam quod digerant, emolliens quid habent, sed Opopanax digerendo, Galbanum molliendo, coquendoque præcellit.

Febrium circuitibus rigoribusque, convulsis, ruptis, lateris doloribus, tussi, tor-

torminibus, stillicidio Urinæ, ac scabiei vesicæ convenit, ex aqua mulsa aut vino bibitus.

Ingreditur Theriacam.

Vis ejus purgatoria Græcis incognita fuit.

NOTÆ. Est Gummi-Resina, seu succus lacteus, vegetabilis, inspissatus, & proinde triturata cum aqua, ad formam nativam, scil. lacteam, redit. Odoris est gravis, secundum quosdam instar Allii, vel secundum alios instar Levistici; saporis acris, amari.

Externe efficaciam suam ostendit in tumoribus frigidis emolliendis ac dissipandis, itemque in spasticis doloribus, interdum demulcendis.

Flatus discutit & sordes viscidas, in primis viis stabulantes, abstergit, phlegma crassum & viscosum educens, & *Mesue* propinat a ʒj ad ʒij.

In tussi inveterata prodest, & forma suffitus Uvulæ prolapsum tollit.

Menses & Urinas potenter movet.

C. *ORCHIS.* Vide *Satyrium.*

D. *ORIGANUM.* Origanum sylvestre, Cunila bubula *Plinii* C. B. *Wild Marjoram.*

Nulla fere herba est, & nulli flores, in quibus antiquissimi authores magis dissentiunt quam in Origano.

NOTÆ. Folia & Flores odoris sunt grati, fragrantis, aromatici, minus fragrantis quam Majorana, saporis subacris, subadstringentis.

Decoctum adstringens erat & saturate viride cum Vitriolo Martis.

Chartam cæruleam minime rubefecit, & succus in experimento coagulabatur a liquoribus acidis, sed fluiditatem retinuit cum alcalinis, argumento hanc herbam majorem affinitatem habere salibus alcalinis quam acidis; hinc suspicor veritatem Experimenti *Eman. Konig* cæruleum mutare in rubrum.

Vires in oleo aromatico subtili hærent, quod Oleum longe acrius est, quam Oleum Caryophyllorum, & pene causticum. Si cum gossypio denti intrudatur, dolorem instar incantamenti tollit, & simul a corruptione dentes vindicat; si nimis acre sit, admisceatur tantillum Olei Amygdalarum dulcium.

Extrinsecus in balneis uterinis adhibetur, & usu interno emmenagogum est, diureticum, diaphoreticum, carminativum, bechicum, sumpto infuso ejus in aqua; necnon in fluore albo & in omnibus affectibus frigidis prodest.

D. *OROBUS.* Orobus siliquis articulatis semine majore C. B. Ervum. *Bitter Vetch.*

Amaritudinis, quam ei tribuunt Veteres, noster fere expers est, unde, & ob descri-

descriptionem mancam apud *Dioscoridem*, hunc inter Dubia collocare malui, quam inutiliter Vires, Orobo suo a Veteribus tributas, huc transferre.

NOTÆ. Crediderim *D. Albino*, farinam nostri præcipui usûs esse debere ad emolliendum in Cataplasmatibus, & cavendum, ne tribuamus Vires, Orobo Veterum attributas, nostro, cui amaror & acredo deest.

C. *ORYZA* C. B. *Rice*

A *Dioscoride*, *Plinio* & *Celso* inter frumenti genera adnumeratur, a *Galeno* vero inter leguminum genera adscribitur. Hac, authore *Plinio*, Indi maxime gaudent, & ex ea ptisanam conficiunt, quam reliqui Mortales ex hordeo (*t*).

Habet adstrictorium quippiam, crassi est succi, ægre concoctilis, parum nutrit, mediocriter sistit ventrem cum siccitate.

In cibo stomachicis convenit, & datur cocta cum butyro ad stomachi ardorem cum syncope.

NOTÆ. Farina deprehendebatur subacida, aliquantum viscosa. Nutriens est, & non tantum in alvi fluxu, sed & ad hæmorrhagias, privatim hæmoptoën, & atrophiam, ad acrimoniam biliosam & rheumaticam corrigendam & in mictu sanguineo, hæmorrhoidum & mensium fluxu immodico præscribitur forma pulticulæ vel in jusculo decocta.

Indi potum vinosum ex ea parant.

In experimentis *D. Hale* decoctum ejus generabat aëris sextuplam sui molis, & in experimentis *D. Lobb* decoctum ejus spatio 3 dierum & ultra, solvebat fragmentum Calculi.

Coquis bene notum est, Oryzam non secus quam Hordeum aciditatis participem esse usque adeo, ut lac, cum hac cruda coctum coaguletur, unde primam aquam inter coquendum semper rejiciunt. & hinc forte explicanda vis resolvens Oryzæ in usu externo, scil. in Vino cocta feliciter applicari dicitur mammis tumentibus & inflammatis, ac farina, ut secalis, inservit ad cataplasmata resolventia.

Multum opis ferunt pulticulæ ex oryza infantibus, si acus, annulos globulosve ac similia deglutiverint, quippe quæ oryzæ quasi involvantur, sine noxa per alvum iterum excernenda.

C. *OSTREO-*

(*t*) *Ludovicus Nonnius* testatur, Indos & plerosque Orientis populos panes ex ea cogere, iisque pene solis inde victitare.

C. *OSTREORUM* Testæ. *Oyster Shells.*

Harum *Dioscorides* meminit, sed *Galenus* & alii, præcipue vero tostarum & ustarum, quæ excrescentiam carnis mediocriter exterunt, complanantque, contrahendi vim quandam habentes, dentes dealbant, non tantum extergendi potentia, sed & asperitate substantiæ, & faciei vitia extergunt.

Si concrematas testas aridas Ulceribus malignis & contumacibus, privatim labiorum inspergas, mirifice valebis citra mordicationem ea exsiccari.

Porro, tostarum cinis, admisto melle, uvam sedat & tonsillas, parotidas, panos & mammarum duritias. Inspergitur & ambustis.

Pruritibus quoque & eruptionibus ex aceto medetur.

Ustæ convenienter humore admixto, pro habitu ægroti, cum aceto aut posca aut vino mulso tritæ, putredinosis Ulceribus commodæ sunt.

Si usseris laverisque (*v*), ignea tota natura in aquam deposita, ipsam testam efficies cum tenuitate excalfacientem, reliquum vero terrosum morsus fit expers, id quod lotum & tenuissime tritum maxime implendis, cicatricoque claudendis Ulceribus humidis, est utile, & humore flaccida Ulcera exsiccat.

Crudæ, si tundantur, strumas sanant & perniones pedum, authore *Plinio*; &, authore *Sexto Platonico in Notis Hardnini*, „ Sevum cervinum combustum „ simul cum Ostreæ testa minuta & commixta, factumque inde quasi Malag„ ma Perniones mire sanat.

NOTÆ. Locum habent inter optima Absorbentia, & a quibusdam commendantur in fluore albo & Gonorrhæa.

Aperto igni immissæ, secus quam Ovorum testæ, lenissimum, vel plane exiguum, sine ullo olei empyreumatici vestigio, vaporem volatilem emittunt.

Igni commissæ in Calcem, calce vivâ acriorem, convertuntur. Et Aqua ex his & pectunculis nuperis Experimentis deprehensa est efficacius solvere Calculos immersos, quam Aqua Calcis è lapide Calcario.

C. *OVUM* Gallinaceum. *The Hen's Egg.*

1. *Albumen Ovi.* Ovi candidum Veteribus.

Est ex numero medicamentorum minime mordicantium, unde medicamentis metallicis, in morbis oculorum usurpatis, commiscetur ne asperitatem faciant, & ab acribus ichoribus seu saniebus natas mordicationes mitigat. Crudum refri-

(*v*) Confer. Calx viva, & extincta

frigerat, spiramenta cutis occludit. Admistum calci vivo glutinat vitri fragmenta, & frequentis usûs est cum Bolo Armena in conglutinatione Vulnerum.

Oculis infusum epiphoras cohibet urentesque refrigerat & in vulneribus oculorum specificum est. Inflammationes magnas oculorum post venæ sectionem & purgationem infusum lenit, necnon lana exceptum, addito rosaceo, melle & vino: tepidumque inunctum oculorum dolores lenit, ut & aurium dolores.

Ad sugillationes oculorum ex plagis in oculum instillatur, &, pura lana exceptum, superne imponitur.

Faciem a solis adustione tuetur. Ambusta aquis, si statim eo perunguntur, pustulas non sentiunt. Ad ignem sacrum tritum cum amylo prodest.

Ad universa sedis & pudendorum Ulcera contumacia utimur. Ulceribus ex ambusto cum candido ovorum tostum hordeum & suillo adipe mire prodest. Eadem curatione utuntur ad sedis vitia infantibus, etiam si quid ibi procidat.

Utuntur contra Hæmorrhoïdis serpentis morsus crudum sorbetur & illinitur.

Exiguo calore tepens prodest Vesicæ rosionibus, renum exulcerationibus, gutturis scabritiæ, rejectionibus sanguinis, destillationibus & thoracis rheumatismis.

2. *Ovi Luteum*. Vitellus Ovi. *The Yolk of the Egg*.

Extrinsecus illitum paregoricus vel stypticus invenitur. Omnium authorum consensu temperatus est, ita tamen, ut ad calorem magis inclinet (w).

Est equidem præcipua pars Ovi, unde alimentum subministratur corpori liberale, & facilius concoctu quam pars alba: apud *Galenum* conceditur ad sorbendum in febris tertianæ curatione; & inter cibos, qui non admodum prompte difflant, locum habet, proinde iis, qui tenuissimos succos & qui facile exhalant, dandum esse.

Nec Veteribus ignotum fuit phænomenon quoddam Vitello ovi & sulphuri commune, scil. ab alterutro nigrescere argentum: *Plinius* enim memoriæ prodidit, Argentum nigrescere ab Ovi indurati luteo.

Si crudum bibatur, sitim prohibet.

Medicamentis, phlegmonen arcentibus, & exunguentibus miscetur; mollitum sedis inflammationibus cum croco & rosaceo prodest, & condylomatis cum meliloto. Contra oculorum dolores utile. Assatum, cum vino impositum, ad oculos ex plagis sugillatos prodest.

Cum

(w) In biliosis corporibus & impuris Ventriculis facile corrumpitur.

Cum galla, vel cum uva fruticis, Rhos dicti, frigitur, ut cibo alvos sistat, & per se etiam offerri solet. Coctum in aceto, ut perdurum sit, dysentericis prodest.

Quæ sunt assa paulo plus desiccant, & quo plus assentur, tantum deperdunt de mitigandi potentia: dolores stomachi tamen lenit tostum & in farinam comminutum, cum polenta bibitum.

Prodest per se tussientibus devoratum liquidum.

g. De Ovo toto & varietatibus ejus ab ætate & præparationibus.

Substantia sua mordacitatis expers, vi extersoria in totum carens. *Ad ambustiones utile Ovum totum crudum, protinus impositum, lana molli exceptum, mediocriter refrigerans & citra morsum desiccans.

Est cibus crassi & boni succi, cui calefaciendi natura non est, & humorum acrimoniam infrenat.

Utimur admisto rosaceo ad palpebrarum, aurium, mammarum phlegmonas, & in nervosis partibus corporis, puta cubito & digitorum tendinibus aut articulis, pedibus & manibus.

Dantur tussientibus cocta & trita cum melle & cruda cum passi oleique pari modo, & in gutturis supremi exasperatione, sive a vociferatione, sive ab humorum acrimonia, necnon in stomachi, ventris, intestinorum & vesicæ asperitatibus.

In aceto coctum, si edatur, fluxiones ventris desiccat, vel frixum cum galla aut omphacio. Talibus, cum farina in panem subactis, recreantur coliaci; quin & non alvos tantum, sed & menses fœminarum sistunt, aut si major sit impetus, cruda Ova cum farina ex aqua hauriuntur.

Optima sunt recentissima, vetustissima pessima.

Differunt quoque ratione præparationis; v. g. *Tremula*, h. e. quorum candidum evidenter cogi cœptum est, ita ut quasi tremere videantur. Hæc optima sunt, & ad nutriendum præstantissima.

Sorbilia sunt, quæ catenus coquuntur, ut necdum albumen coiverit, ac facile sorberi possint: & inter hæc, quæ in aquis coquuntur meliora sunt, blando enim aquæ vapore temperatissima evadunt. Sorbile proinde levissimus est cibus; minus quidem nutrit quam tremulum, sed facilius alvo secedit, thoracis affectiones concoquit, mitigat, & arteriæ asperitatem lævigat.

Elixa vero dura & ad concoquendum sunt difficilia, tarde descendunt, crassumque alimentum corpori tribuunt.

His vero, quæ in calidis cineribus assantur, adhuc tardius descendunt, & pejoris sunt succi.

Frixa vero, seu quæ in sartagine inspissantur, præterquam quod fœtem cras-

crassum gignant, interim, dum coquuntur, in nidorem vertuntur, succum gignunt pravum & excrementitium, ac corrumpunt secum admistos cibos.

Testæ ustæ sanguinem sistunt.

Membrana putaminis, sive cruda sive cocta, labiorum fissuris medetur.

NOTÆ. 1. *Ovum Gallinaceum.* *Testæ* absorbent vitiosa acida in primis viis, & cum iis in concretum quasi nitrosum, egregie diureticum, abeunt, necnon ad eundem usum cum Vino Rhenano exhibentur.

Plus Acidi saturant, quam Coralia. Solvuntur magna ex parte in Acidis mineralibus, verum solutio in spiritu salis sola amara est.

Aperto igne combustæ odorem fœtidissimum & salis volatilis copiose emittunt. Per retortum destillatæ dant spiritum urinosum & sal volatile satis copiosum cum Oleo fœtido. Ustæ saporis sunt salsi, & calcem dant aperto igne instar Calcis vivæ.

Album viscosum est, subdulce: leni calore dissolvitur, magno spissum fit.

Incubatu fit fluidissimum, non concrescens in igne, sed putrescens.

Ab acido sulphuris & Vitrioli coagulatur, & leviter ab Aceto.

Idem præstat ac Vitellus in solvendo Resinas & Balsama, ut fiant aquæ miscibilia, & quidem efficacius & elegantius quam Vitellus, utrumque tamen hoc habet incommodi, quod tales solutiones servatæ rancescant, quod non fit in solutionibus per Gummi vegetabilia.

Ad duritiem coctum & contusum super igne paululum intensiore, continuo agitando, fatiscit in oleum nigrescens. Album Ovi exsiccatum & in pulverem redactum, inter Demulcentia locatur apud *Hoffmannum.*

Ad duritiem coctum destillatione dat $\frac{9}{10}$ partes phlegmatis insipidi, spiritum oleosum volatilem, oleum flavum, sal volatile, oleum crassum & carbones.

Vitellus magis pinguis est quam Albumen, & tactu instar olei lubricum, saporis subsalsi, inflammabilis, sed cum fumo: & ex hoc, diu in sartagine frixo, prodit Oleum asperitatibus cutaneis & serpiginibus utile, rimas labiorum, manuum sedisque sanans, & anodynum in doloribus ad aures; arthriticis, & alibi vagis.

Resinas, balsama vegetabilia, Olea destillata & pinguedines animales in aqua solubilia reddit.

Vires habet emolliendi, dolores sedandi, suppurationem nonnihil promovendi, & in Ulceribus, detersione prægressa, optimum præbet incarnans.

Lac Pulli dictum, utile, hora somni sumptum, in tussi, calore & siccitate pectoris, sic paratur. Vitellus recens diluitur in ℥viij aquæ bullientis, cui additur saccharum.

Abstergendi quoque vim habet Vitellus, unde ingreditur Clysteres pro laxanda Alvo & stimulandis intestinis.

2. *De Ovo toto.* Sorbile alvum laxat.

In Clysteribus datur, ubi opus est mitigatione acrium humorum, ut in dysenteria.

Albumen & Vitellus, super ignem caloris moderati frixa, Oleum præbent nigrum & amaricans, detergens & consolidans in excoriationibus, ac Ulceribus dysepuloticis & fistulosis.

Ad duritiem coctum sistit hæmorrhagiam arteriæ dentalis inter salivandam.

A Spiritu Vini tenuiore coagulatur, & hoc coagulum potenter sistit Alvi fluxum, quod & præstat Ovum durum cum aceto subactum.

C. *OXYLAPATHUM.* Vide *Lapathum acutum.*

P.

PÆONIA fœmina flore pleno majore rubro C. B. *Female Peony.*

C. *PÆONIA* folio nigricante splendido, quæ mas C. B. *Male Peony.*

Radix est leviter adstringens cum quadam dulcedine, ac si plurimum dentibus mandas, acrimoniam quampiam subamaram percipies. Temperamentum ejus est tum exsiccatorium, tum subtilium partium, & mediocriter calidum.

Valet contra regium morbum, & renum ac vesicæ dolores, expurgans jecur & renes.

Ciet menses amygdalæ quantitate pota: fœminis, a partu non purgatis, exhibetur. Ventris etiam doloribus prodest in vino pota. Hæc autem efficere nata est qua acris & subamara est. Ventris fluxiones sistit, qua quiddam adstrictorium habet.

Ex collo pueris suspensa Morbum convulsivum sanat. „ Equidem novi puel„ lum," inquit *Galenus*, „ octo totis mensibus morbo comitiali liberum, ex „ quo hanc radicem gestavit; ac postea forte fortuna cum quod a collo sus„ pensum erat decidisset, protinus denuo convulsione correptum, rursusque „ suspensam radicem in alio loco, inculpate postea egisse. Porro visum est „ mihi, satius esse rursus illud collo detrahere, certioris experientiæ gratia. Id „ cum fecissem ac puer iterum erat convulsus, magnam recentis radicis par„ tem ex collo ejus suspendimus; ac deinceps prorsum sanus effectus est puer, „ nec postea convulsus est. Rationabile itaque erat, aut partes quasdam a ra„ dice defluentes, ac deinde per respirationem attractas, affectos ita locos „ cura-

„ curare, aut aërem assidue a radice mutari & alterari. Nam hoc pacto suc-
„ cus Cyrenaicus Columellam phlegmone affectam curat ".

Semen seu Granula videntur fere easdem possidere vires, quas Radix. Grana x vel xij rubentia, in vino nigro & austero pota, sanguinolentum fluorem muliebrem sistunt.

Comeduntur eadem utiliter cibum in stomacho non continentibus & ejus erosionibus. Incipientes calculos in puerulis pota estatave disjiciunt.

Grana nigra nocturnis praefocationibus (incubo) & strangulatu vulvae obmutescentibus, ejusdemque partus doloribus, N°. xv in aqua mulsa aut vino subveniunt.

NOTÆ. Radix recens odoris est gravis, volatilis, papaver quasi spirantis, saporis heterocliti, primo subdulcis, ingrati, dein amaricantis, subadstringentis, fabacei. Decoctum ejus, addito Vitriolo viridi, nigrescit, & Infusum atrocaeruleum fit ab ejus solutione.

Vino decocta & per aliquot dies pota alvum sistit.

Sicca inodora est, & fere insipida.

Extractum per Aquam debilius est, quam Extractum per Spiritum Vini rectificatum, quod amaricans est, adstringens & dulce, odoremque debilem balsamicum spirat.

In omnibus morbis convulsivis, Epilepsia, vertigine, incubo & in doloribus a partu, vi sua anodyna efficax esse dicitur.

Porro, vis Amuletica, ei a *Galeno* tributa, noviter est comprobata a modernis, ut *Riverio*, *Foresto*, *Bartholino* & *Fernelio*.

Flores plus odoris habent quam reliquae partes, qui describitur quibusdam foetidus, aliis gratus, balsamicus in recentibus, dum sicci inodori; sapor dulcis est, amarus, adstringens, qui in succo evidentior, & tum succus, tum infusum a colore coccineo mutatur ad purpureum vel nigrescentem, addito pauxillo Vitrioli Martis.

Porro salem succi magis affinem esse sali acido, quam alcalino, patet hinc: a spiritu Vitrioli succus fit clarior & magis floride rubedinis, contra grumescit à liquore alcalino tum volatili tum fixo.

Soporiferi esse perhibentur.

Semen saporis est fere ut Radicis & Florum, sed inodorum, & nihil narcotici possidere dicitur: gratius est radice, quare pultibus Infantum additur, ut eo praeserventur ab epilepsia. Porro, Extractum ejus per Aquam inodorum est & insipidum, sed per spiritum Vini rectificatum saporis est amaricantis & adstringentis.

C. P. 6.

C. *PANIS.* *Bread.* Vide *Triticum.*

C. *PAPAVER.* *The Poppy.*

1. *Papaver erraticum rubrum campestre* J. B. Erraticum majus Rhœas *Dioscoridi, Theophrasto & Plinio* C. B. *Red Poppy or Corn Rose.*

Nobiscum Flos solus usurpatur, sed Veteribus bene nota fuit vis paregorica capitum, minor quam Papaveris albi: sic enim *Dioscorides*: „ Radix amara. „ Folia, cum calycibus imposita, inflammationibus medentur, eorundem quo„ que decoctum fotu seu perfusione somniferum est: & capitula quinque „ aut sex, in vini cyathis tribus decocta, donec ad duos redeant, iis potui „ dabis, quibus somnum inducere volueris ".

2. *Papaver hortense* C. B. Papaver sativum *Dioscoridi* & album *Plinio* C. B. *White Poppy.* De hujus Lachryma vide *Opium.*

Hic agam de Succo & decocto foliorum, *Meconium* dicto, longe ignaviore quam Opium.

Succus ipso statim odore alienus est, planeque cum homine pugnantem indicat. Est summe acidus. Torrefactus efficaciam suam amittit. Communi consensu Veterum vis omnis *Papaveris* refrigerans est; sed obstare videtur, quod ipse *Galenus* literis mandavit, succum citius magisque in calidis naturis vim suam exerere.

Si capita & folia decoquantur in aqua, somnum fotu conciliabunt. Sic iis vitiis, quæ pervigilio & delirio infestant, perfusiones ex papaverum capitibus applicabimus: odorem quoque naribus objiciemus, ac narium alis intus vel frontem ex similibus medicamentis illinemus.

Calyces, cum polenta triti, & Cataplasmatis admisti, ignibus sacris & inflammationibus prosunt. Cautus tamen est *Galenus* in usu succi in compositionibus auricularibus, utpote auditûs gravitatem inducentis, & proinde non nisi urgente necessitate, ut in doloribus intensis ad ejus usum pervenit: addit idem, quod aliqui ab ejus usu obscurius vident per multos dies, & capitis gravitatem sentiunt, neque probe concoquunt cibos.

Bibitur decoctum capitum & foliorum, vel Calyx teritur & è vino bibitur contra vigilias: capita per se in aqua coquantur ad dimidias, iterumque, adjecto melle, ut humor coctus in eclegmatis lentorem. Id medicamentum in tussi, destillationibus in fauces, cœliacis affectionibus & fluxu ventris antiquo juvamentum præbet.

Pharmaca ex papaveris Succo sensum stupefaciunt, & ob id necessario cogimur ipsis uti, ubi nullum aliud mitigativum opem tulit. Per se largius bibitum dementat vel mortem infert: verum si quis medice utatur, condensando vim obtinet;

net; & si ex vigiliis viribusque resolvendis ad mortis discrimen æger tendat, tum tempestive ejusmodi medicamenta exhibenda: quando succus, quibusdam aliis admistus, sic interdum laborantibus subvenit, ut nulla magis salubris extet medicina, neque enim raro phreneticorum amentiam strenue curavit, aut vires, impotentia dormiendi labefactatas, cum omnium admiratione somno revocatas, solidavit. Porro, potionem ex papaveris capitibus exhibet *Aëtius* insania laborantibus post Venæ sectionem & febrientibus vehementer; iis insuper, quibus os ventris intolerabiliter perustum est, ut & in igne sacro, atque aliis calida affectione pulmonis, hepatis, intestinorum, mesenterii. hanc autem potionem semel, sed iterum, & non tantum in febrium vigore, sed quoque ante vigorem, & ante manifestam concoctionem, in quibus vigiliæ aut caliditas acris & intensa hominem affligunt, exhibemus.

Iis, qui largius succum hauserint, confert Hydreleon calidum sæpe bibendum, vel aqua calida & acetum mulsum, ut evomant nocivum; vel & epotum vinum vetus & generosum sanabit: competet etiam alvum clystere inanire.

Semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur, necnon ad panes & placentas adhibebatur in ciborum usum; vult tamen *Galenus*, caput gravare, & soporiferum esse, minus vero quam succus.

3 *Papaver nigrum* offic. Papaver hortense nigro semine; sylvestre *Dioscoridi*, nigrum *Plinio* C. B. *The black Poppy.*

Succus juxta Veteres est quarti & extremi ordinis refrigerantium, scil. usque ad stuporem & mortem.

De viribus Papaveris audiendi quoque Arabes, scil. „ Eclegma papaverinum juvat tussim & gutturis asperitatem à catarrho calido & tenui, eum enim coquit & spissat: confert etiam febribus ardentibus, dolenti thoraci, pleuritidi.

„ Diacodio, materia in pulmonem vel thoracem collecta, Mel admiscendum, ut tergendo & tenuando fiat habile ad expuitionem promovendam; si vero affectus magnopere calidus sit & mordax, loco mellis addatur saccharum.

NOTÆ. *Erratici* Flores odoris sunt gravis, saporis subdulcis, mucilaginosi, subacris. Extractum eorum dulce est & acidum.

Infusum exinde, instar Theæ sumptum, celebratur ad acres catarrhos, tusses pervicaces, dolores motusque inflammatorios, & in ipsa pleuritide, prægressa V. S. ad sudorem criticum promovendum.

Extractum dupla dosi dicitur succedaneum esse Opii.

Albi Capita recentia odoris sunt gravis, pelliculæ amaricantes, & non per semihoram acres in faucibus. Incisa Capita Lac stillant, quod calore solis in-

 spissa-

spissatum, fit Extractum instar Opii narcotica & aeque efficax, odoris foetidi, valde amarum & acre, linguam fere exurens; verum e decocto capitum paratur Extractum mitius quam Opium, longe minus amarum, duploque majore dosi vel plus exhibetur, minus delirii, vertiginis & nauseae creans.

Decocta foliorum & capitum somnum pariunt, si tempora & manus eo foveantur vel laventur, & testatur *Chomel*, decoctum capitum ij vel iv somnum provocare, si crura aegri ei immersa teneantur: in cephalea commendatur forma pediluvii.

Colligenda sunt capita ante seminum maturitatem, & coquenda ad consumptionem ½ partium aquae, v. g. ad sex horas, igne moderato.

Albi semen saporis est dulcis vel subdulcis, unctuosi, farinacei, in cibo usurpatum. Expressione multum Olei insipidi praebet, quod & usurpatur in cibo, ut Oleum Olivarum.

Nec albi nec nigri semen, satis magna copia devoratum, somniferum est.

Usurpatur in emulsionibus in stranguria & ardore Urinae.

D. *PARALYSIS.* Verbasculum pratense odoratum C. B. *Cowslips*

Flores recentes odoris sunt grati & satis validi, qualis est & Aquae destillatae, saporis subausteri, amaricantis, subacris. Tincturam flavescentem impertiunt tum aquae tum menstruis spirituosis; & decoctum residui a destillatione tincturam dat ut Crocus, crocumque resipit.

Succus maculas faciei & rugas mirifice detergit.

Flores & herba traumatica vi gaudere dicuntur: usurpantur in acetariis & placentis, utpote amica capiti & generi nervoso. Per Analysin praebent multum acidi, parum spiritus urinosi.

Anodyni sunt & hypnotici benigni, innoxii iis, qui tenerioris sunt aetatis aut constitutionis, virium similium, ac flores Papaveris erratici, sed minores; quinimo ex illis blandis vaporosis esse reputantur, quae non tantum suavem concilient somnum & carminativam praestent virtutem in epilepsia & affectibus spasmodicis, motum effraenatum generis nervosi compescentes, sed & ejusdem impotentiam corrigentes, unde in paralysi, apoplexia, vertigine & similibus nervorum affectibus commendantur. In *Ephem. Germ.* refertur, *Bartholinum* paralysin lateris dextri curasse spiritu frumenti, cui herba Paralysis incocta erat. Conserva ex floribus laudatur in paralysi, in viribus exhaustis longaque aegritudine confectis, & iis, qui saepe syncopen patiuntur.

N. *PAREIRA* brava *Pharm. Edinb.* Radix Convolvuli Brasiliani flore octopetalo monococci, *Raii Hist.* *American Wild Vine.*

Inodora est, saporis amari & simul dulcis, ut Glycyrrhizae, amarum quo-

que

quæ & dulcedinem impertiens menstruis aquosis & spirituosis; verum tum tinctura, tum extractum spirituosum fortius est quam aquosum.

Diureticum est suave, acrimoniam Urinæ mirifice temperans, in dolore nephritico & suppressione Urinæ ab humore mucoso, necnon in Ulcerationibus renum vel vesicæ, in angina, asthmate pituitosa, pleuritide, quin & in ictero, a bile grumosa orto, & in doloribus colicis, hepaticis celebratur.

Cum Glycyrrhiza viribus convenit; a calculo præservat, ipsumque potenter expellit, a ℥ß ad ℥j mane jejunis, vel instar Theæ sumpta.

In pertinacibus doloribus ischiadicis & arthriticis ad humores serosos & lymphaticos, a naturali statu deflectentes, castigandos, usurpatur. Summatim: laudatur in omnibus morbis, qui diuretico-diaphoreticis medicamentis obsequuntur.

C. *PARIETARIA.* *Pellitory of the Wall.*

Duplex prostat apud *C. Bauhinum.* 1. *Parietaria Offic.* & *Dioscoridis* C. B. 2. *Parietaria minor* Ocimi folio.

Helxine, cognomento Cissampelos *Dioscoridis*, non equidem Parietariæ nostræ convenit, sed Helxine, quam, *Dioscoride* authore, nonnulli Parthenium, alii Perdicium, alii Vitrarium seu Urceolarium appellant Parietariæ nostræ satis convenit. Perdicion *Ætio* & *Galeno*. Helxine & Perdicium *Plinio*. Muralis herba *Celso*. Herba Vitri *Avicennæ*, quia vitrea vasa hac abluuntur.

Confusio nominis Parthenii & Parietariæ quibusdam ansam præbuit errandi, quia tribuunt vires Parthenii, herbæ calidæ, aperientes & resolventes Parietariæ nostræ, quæ frigida est consensu *Dioscoridis*, *Galeni* & *Avicennæ*. *Celsus* enim inquit, herbam Muralem reprimere & refrigerare, cui annuit *Dioscorides* de Helxine; *Avicenna* in ipsa esse stypticitatem cum humiditate, lenificativam esse & mundificativam; *Galenus* evidens extergendi experimentum præbere in abluendis vasis vitreis, proinde vim ei inesse abstergendi, necnon leviter constringendi cum humiditate subfrigida, quamobrem phlegmonas omnes in initio & augmento usque ad statum sanare, & maxime si calidæ fuerint. Sic apud *Dioscoridem* sanat illita sacros ignes, adusta, condylomata, panos incipientes, tumores, inflammationesque. Imponuntur podagris cum hircino adipe, & apud *Plinium* Cochleæ latæ illinuntur cum Helxines herbæ succo in pedum & articulorum doloribus.

Tonsillis inflammatis utiliter gargarizatur & illinitur; aurium dolores phlegmonosas, cum rosaceo instillatus, succus lenit. Succus ejus cum Cerussa ignibus sacris & Ulceribus, quæ serpunt, commode illinitur.

Facit ad alopecias & impetigines herba per se assidue fricta.

 Vero

Veterem tussim emendat instar cyathi haustus (y).

NOTÆ. Folia sicca inodora, insipida: recentia saporis herbacei, aquosi: succus subsalsus (salsus, acidus, inquit *Emanuel Konig.*). Vis adstringens ei tribuitur, verum sal Martis, additus ejus infuso, colorem non mutabat.

Succus magis affinis est sali acido, quam alcalino, nam, cum liquoribus alcalinis spissus fiebat, contra cum acidis fluiditatem plerumque retinebat. Porro solutionem Heliotropii aliquantum rubefecit.

Infusum, addito Oleo Tartari per deliquium, fœtebat, argumento salis Ammoniaci.

Salem nitro-sulphureum præbet hæc planta non minus quam Borrago & Buglossa, authore *Boyle, de Util. Philosophiæ nat.*

Tusæ & impositæ vis magna esse dicitur ad vulnera recentia sananda.

Succus alvum infantium sugentium laxat ab ℥ß ad ℥j exhibitus.

Utcunque inter Emollientia princeps habetur, & in Clysmatibus emollientibus, in ambustis, in scabie & Cutis vitiis usurpatur: speciatim succus vel decoctum ad lavandas partes affectas in scabie crustosa puerorum, & in serpigine, vi abstergente. Porro, succus ad ℥iij, authore *Cæsalpino*, Urinas pellit, & obstructiones renum tollit.

C. *SION* Laver Latinis. Sion sive Apium palustre foliis oblongis C. B. *Common upright Water Parsnip.*

Consentio Botanicis plerisque, hoc notis Sii apud *Dioscoridem* convenire.

Folia sunt odorata, & eatenus Sion calfacientis facultatis est particeps. Cocta folia & tenera germina cocta homines, fame adacti, manducant, cruda enim insuavia (z).

Herba recens, etiamnum humida, lac generat, utpote succi modice calidi & humidi. Dysentericis in cibo prodest, & infusum.

Illita lentigini cutem emendat, ramices lenit & equorum scabiem.

Egregium esse medicamentum perhibetur in tumoribus mammarum scrophulosis extrinsecus adhibitum.

Cocta seu cruda esa Urinas ciet, menses & partus extrahit, Calculos frangit & ejicit.

D. PAS-

(y) Herbæ exsiccatæ pulvis, vel melle exceptus, vel in Cerevisia aut Zythogalo potus, ad tussim inveteratam & tabem, juxta veterum experientiam & testimonia, mire conducit. *Raii Synopsis.*

(z) Crudam Sii herbam ineunte vere in acetariis comedunt Hispanicæ mulieres. Est stomacho grata. *Raii Synops.*

D. *PASTINACA* sativa latifolia C. B. *Common Garden Parsnip.*

Hanc alii ad *Dioscoridis* Cicer, alii ad Pastinacam, alii ad Elaphoboscum ejusdem & Daucum *Theophrasti* referunt.

Radix dulcis est, mucilaginosa, aromatica, multum nutriens, inflans, venerem stimulans, corpus pinguefaciens, præ Rapis & Carotis, vires habens ad sisarum appropinquantes. Panis succedaneum aliquando ex ea paratum fuit in aqua cum lupulo cocta & cum flore Cerevisiæ fermentata.

Refert *Cæsalpinus*, ex his radicibus cum saccharo Electarium confici, & communissimum esse rusticorum remedium ad vires recreandas in convalescentibus & puerperis.

Notari vero meretur quod refert *Raius* de hac radice, „ Nostrates asserunt, Pastinacas vetustiores & annosas delirium & insaniam adducere, unde „ & eas *Madneys* i. e. Pastinacas insanas vocant ". Hoc confirmatur pluribus exemplis in *Miscell. Cur.* & *Actis Academiæ Cæsareæ.*

Diuretica est & odorem suum impertit Urinæ ea copiose vescentibus.

Tosta aliquando adhibetur in Cataplasmate Ulceribus scrophulosis aliisve, tumorem, ardorem & acrimoniam insigniter minuens.

C. *PENTAPHYLLUM.* Quinquefolium majus repens C. B. *Cinque foyl.*

Quinquefolio *Dioscoridis* convenit, nisi quod radix non semper sit subrubra. *Brasavolus* tamen testatur, se Pentaphylli speciem observasse radice rubra insignitam. Quidam voluere Tormentillam esse Quinquefolium antiquorum: verum Tormentilla folium habet dissimile a descriptione Quinquefolii antiquorum: proinde Pentaphyllum nostrum vel idem ac Pentaphyllum antiquorum, vel ad minimum pro substituto ejus admittendum, &, notante *Raio*, Pentaphyllum, Tormentilla, Fragaria, ut genere, sic viribus conveniunt: quare vires, a veteribus Pentaphyllo tributas, huc transferre non gravabor.

Radix, authore *Galeno*, desiccat vehementer, minimum habet evidentis caliditatis vel acrimoniæ.

Trita in aceto, cocta & imposita serpentia Ulcera cohibet, strumas, duritias, œdemata, aneurismata & abscessus discutit. Erysipelatis, digitorum pterygiis, condylomatis, psorisque medetur.

Jus radicis ad tertias decoctum, si in ore detineatur, dolores dentium sedat, exedentia oris ulcera collutione sistit, & fœtorem oris emendat diu in ore retentum, necnon arteriæ scabritias gargarizatu. Contra alvi profluvium & dysenteriam auxiliatur: imo multi super omnia laudant ad deploratos dysen-

entericos quinquefolium, decoctis in lacte radicibus potis. Porro ab arthriticis & ischiadicis bibitur, usque imponitur.

Tenerae Radicis succus contra jecinoris pulmonisque vitia prodest, itemque contra venena.

Sic & Foliorum succus celeriter regio morbo succurrit, tribus cyathis aliquot diebus epotus (cum sale & melle, addit *Plinius*) Et Folio quidem vires fere eaedem tribuuntur, quae supra Radici: v. g. succus potus cyathis tribus Anginae medetur & omnibus faucium vitiis gargarizatus: herpetes, chaeradas & omnes duritias mirifice sanat herba, aceto decocta, trita & corpori imposita.

Porro, cum sale & melle imposita, tum vulneribus quam fistulis remedio est. Opitulatur & enterocelicis, ac erumpentem sanguinem sistit, tum poto, tum etiam illitu; & Pentaphyllum album ad praecisos nervos adhibetur apud *Hippocratem*.

Cum hydromelite aut vino diluto ac piperis exiguo bibitur contra febrium circuitus, in quartana quidem quatuor ramulorum folia, in tertiana vero trium, in quotidiana unius.

Eadem comitialibus tricenis diebus pota ex vino, authore *Plinio*, succurrit. Licheni medetur.

NOTAE. Radix valde austera est & amaricans, salivam inspissat. Decoctum, diu protractum, austerum est & amarum: massa contusa aliquantum viscosa. Succus valde austerus & amarus. Extractum valde austerum, amarum & subacidum.

Decoctum cum Vitriolo viridi nigrescebat, in experimento saturate viride fiebat, & succus eadem phaenomena exhibuit; cum liquoribus alcalinis coagulabatur, cum acidis fluiditatem retinebat.

Virtus haeret praecipue in parte rubra corticali & extrahitur tum ab aqua, tum a Spiritu Vini.

Decoctum ab experientia commendatur in Aphthis.

Vis febrifuga confirmatur experimentis modernorum, scil. ℥j pondere ante paroxysmum febris intermittentis remedium esse insigne. Porro, in laxitate dentium, in mictu sanguinis, haemorrhagiis uterinis & haemorrhoidalibus valet.

Folia leniter adstringentia sunt. Contusa recentia aliquantum viscosa. Equi ea vescuntur. Chartam caeruleam aliquantulum rubefaciunt, sed minus quam radices; simul aliquando sentiebatur aliquid amaricantis. Succus subacidus a liquoribus alcalinis coagulabatur, ab acidis vero fluidior erat.

Deco-

Decoctum est valde austerum, subrubrum, acre in gutture, & cum Vitriolo viridi nigrescebat: Extractum acidum erat, austerum, acre.

Folia, in aceto cocta & illita, serpentia aliaque manantia & putrida Ulcera cohibent, necnon in fistulis & cancris adhibita fuere.

C. *PEPLOS.* Vide *Esula.*

C. *PERSICA* Malus molli carne, Vulgaris, Viridis & Alba C. B. *The Peach tree.*

Ex Perside, primo in Ægyptum, deinde ab Ægypto in Græciam pervenit. Romæ non visa nisi paulo ante *Plinii* tempus: nec Angliæ ante annum Domini 1562.

Vulgaris opinio multis seculis inveterata est, fructum venenosum esse in Perside, sed in Ægypto soli benignitate mitigatum fuisse; hanc autem opinionem *Plinius* refellit, inquiens, „ id de Perseâ deligentiores tradunt, quæ in „ totum alia est ".

Descriptio Perseæ, a *Theophrasto* exposita, non Persicam vulgarem exhibet, sed aliam in totum arborem; ac *Dioscorides* & *Galenus* diversis locis de Perseâ & Persicâ agunt.

Veteres de fructu & foliis loquuntur, de floribus silent.

Fructui parum est odoris, succus magis odoratus, qui tamen sitim stimulat; humidus autem & frigidus temperie, æstatis tempore & in calido corpore ad calorem squalloremque corporis curandum sumi potest.

Fructus maturus stomacho utilis, & alvum bonam præstat: si Venter ad dejiciendum sit propensus, non ægre subsidet, sin minus, hæret sublimis, nihil ad ipsam excretionem conferens, imo, nisi alvum subierint, solent in corruptelam abire; hinc non est, post alios cibos mandendus, corrumpitur enim in superficie natans, sed ante alios cibos sumatur; ita enim citius subducitur & aliis cibis viam muniat.

Immaturus alvum cohibet, sed siccatus vehementius. Sicci decoctum stomachi ventrisque fluxiones sistit.

Folia & germina, authore *Galeno*, vincentem habent qualitatem amaram; proinde, folia trita & super umbilicum imposita, lumbricos necant: authore *Plinio*, trita illita hæmorrhagiam sistunt (*a*).

NOTÆ.

(*a*) Foliorum infusum in aqua, pallide flavum, non nigrescit quidem addito sale Martis, verum colorem exhibet fusco-brunneum.

NOTÆ. Folia amara funt, amygdalas amaras refipientia, fed minus grata, mucilaginofa, nonnihil auftera.

Foliorum & Germinum Aqua deftillata, Ratafia dicta, grati eft odoris & faporis, quos per aliquot annos retinuit.

Siccata & infperfa vulnera recentia fanant.

Syrupum dant purgantem, alvum leniter laxantem, & dantur in lacte cocta contra Vermes.

Flores odoris mitis funt, faporis amari, amygdalas amaras refipientis, mucilaginofi, & Aqua deftillata odoris eft & faporis grati fupra dicti.

Decoctum refiduum a deftillatione aufterum eft, & ulterius protractum aufterum & amarum in gutture, atque addito Vitriolo viridi fiebat coloris magis fufci.

Extractum fubacidum erat & amarum in gutture.

Syrupum, fatis fortiter & fine moleftia purgantem, præbent. Similes Rofis pallidis, fed fortius purgant, & hydragogi effe dicuntur. Vino infufi & infantibus propinati, lumbricos enecant & expellunt, faburramque biliofam eliminant. Authore *Lieutaud*, ficci ufurpari debent, recentes enim fæpe vomitus & dolores creant.

Fructûs maturi odor fragrans eft, gratus, mitis; fapor dulcis, fubacidus, vinofus, aliquantum mucilaginofus. Alvum laxat.

Vel per fe vel conditi in febribus ardentibus utiles ac fiti & linguæ ariditate vexatis valde grati.

C. *PERSICARIA* urens feu Hydropiper C. B. *Arsmart or Water Pepper.*

Folia & femina guftu acria piperis modo, fed non usque adeo calida, & citra ullam odoris gratiam, ficcata & tufa fali & obfoniis pro pipere admifcentur.

Digerunt, & vim habent, Cataplasmatis in modum impofita, œdemata & tumores induratos difcutiendi, & fub oculis fugillata delendi.

NOTÆ. Folia inodora funt; recentia, & fuccus faporis valde acris, calidi, fed non diu hærentis; ficca infipida; femina vero acria; perit herbæ acrimonia inter deftillandum, ut in Nafturtio & Eryfimo.

Externe pro fcopo veficandi, aut faltem cutim rubefaciendi adhibetur, vice finapismi fungens.

Apud equifones fanguinem coagulatum diffolvit, equis compreffis, cataplasmatis forma applicata, & recentia Folia adhibentur ad carnes fungofas confumendas.

Vulne-

Vulneribus putridis hominum & pecorum, succo ablutis, auxilium adfert.

In odontalgia dentis cavo inditur. Tumores œdematosos & scrophulosos discutit, & a rusticis adhibetur ut egregie mundificans Ulcera antiqua & fistulosa.

Celebratur quoque usu interno tanquam egregium alterativum in affectibus hypochondriacis, scorbuticis, spleneticis, & in infarctibus mesenterii, & ut diureticum vaudum in suppressione Urinæ: verum, quam olim laudata fuit Aqua destillata in Calculo, in Experimentis nuperis *D. Hartley*, Aqua communis plus effecit in dissolvendo fragmento Calculi quam vel Aqua destillata, succus vel Decoctum hujus herbæ.

D. *PETASITES* major & vulg. C. B. *Butterbur.*

Radix odoris est gravis, saporis amaricantis subacris, & simul aliquantulum adstringentis. Infusum in duobus experimentis saturate viride fiebat, addito Vitriolo Martis. Viscosa est, & transversim secta (ut in Angelica) apparent Cellulæ, materie balsamica repletæ, quam solvit spiritus Vini.

Succus nil mutationis patitur a liquoribus acidis, aut alcalinis.

Extrinsecus ad bubones maturandos, & ad ulcera sordida sananda adhibetur a rusticis, speciatim pulvis efficax esse perhibetur ad quævis fluentia & præhumida Ulcera. Porro pulvis, verrucis venereis inspersus, illas prorsus abigit, teste *Welschio*, ab *Emanuele Konig* citato.

Celebratur quoque ut potenter diaphoretica in peste & febribus pestilentialibus, utiliterque manditur a jejunis, ne ab aliorum halitu pestilentique aëre inficiantur. *D. Musgrave* potum ex ℥ij hujus Radicis, cum ℥ij scorzoneræ conditæ, & Hord. mund. ℥ß in Aq. ℔iv ad iij coctis, spatio nycthemeri, bibendum laudatur, ut diaphoreticum & podagrogon.

Porro, in morbis pectoris a mucilagine tartarea, in asthmate & tussi pervicaci celebratur, Mensesque movere dicitur.

Radix ex Vino cocta potu facit ad lumbricos latos.

Oleum, ex hac radice confectum, si illo inungantur febricitantes ante accessionem febris, apprime conducit; ac perfrictionibus nervorum & membrorum prodest.

Paratur ex radice Essentia, quæ ℈j vel ij pondere longe ocyus, quam pulvis aut decoctum, Pestem abigit & ab ea præservat.

In agro Lincolniensi in febribus autumnalibus hoc anno 1771 hæc Radix in infuso Melissæ hora somni, vel octava quaque hora sumpta per biduum, dicitur sudorem lenem & somnum promovisse, febremque fugasse.

C. *PETROLÆUM* Barbadense *Pharm. Lond.* *Barbadoes Tar.* & Oleum Terræ.

Petrolæum omne Oleum dicitur, quod e saxis & petris emanat.

Oleum terræ nomen genericum est, cujus species duæ. 1. *Rubrum*, ex India Orientali allatum. 2. *Nigrum* seu Pissleum Indicum, ex India Occidentali advectum.

Dioscorides videtur meminisse sub titulo Bituminis liquidi, & *Nicolaus Myrepsus* Petrolæi meminit in Antidoto è Castoreo, danda tremulis & resolutione corruptis.

Pissleon Veterum est Pharmacum ex pice liquida cum Oleo permista, authore *Fœsio*. De Viribus Bituminis Vide *Bitumen*.

NOTÆ. Consistentiæ est fere ut picis liquidæ, inflammabile, odoris validi haud ingrati, saporis mitis, nisi nauseosi, amaricantis & subacris.

Solvitur in Oleo aut substantia quacunque pingui, & cum eo, ut cum Oleo Olivarum, fit Balsamum sulphuris Barbadense dictum.

Oleum Olivarum & Oleum Vitrioli mista coagulantur in substantiam bituminosam, a Petrolæo Barbadensi vix distinguendam: porro, Oleum Vitrioli, cum Oleo Terebinthinæ triplo destillatum, exhibet Oleum, Oleo Petræ Orientali simillimum, relicta in fundo Massa picea.

Species Hydropis in membrana adiposa articuli genu curata fuit hujus applicatione quotidiana per duas septimanas, alias & extus in Morbis cutis utile est, ac usu interno pectorale & vulnerarium.

Usu externo membra a pernionibus, frigore hyberno præservat; & in tremore, paralysi & apoplexia usurpatur, & quidam dant interne ad guttas x vel xv in obstructione mensium.

Videtur idem esse ac Oleum è terra sudans & fonti, *Bawm well* & *Oily well* dicti, prope Edimburgum supernatans, quod cutim mollit, ejusque scabritiem tollit, & quod experientia probavit ad dolores ex causa frigida valere, roburque & vigorem membris languentibus procurare, si frequentius eo calefacto inungantur.

C. *PETROSELINUM* Macedonicum C. B. Apium Macedonicum C. B. *Macedonian Parsley.*

Semen est gustu acre cum amaritudine, & secundum *Galenum* tertii ordinis calfacientium.

Tenuanti diæta utentibus convenit, & locum habet inter remedia obesitatis seu corpulentiæ nimiæ, atque in *Galeni* documento de puero Epileptico, inter ea, quæ caliditate caput replent.

Flatus

Flatus discutit, stomachi & coli inflationes & tensiones curans, sive per se, sive oleo, quod semen Petroselini habet, incoctum. Succurrit & lateris, renum ac vesicæ doloribus in potione sumptum. Menses & Urinam affatim provocat.

NOTÆ. Semen Odoris est aromatici, gravis, saporis acris, aromatici, calidi, amaricantis, Cuminum fere resipientis, & virtutibus alexipharmacis præfertur semini *Petroselini* vulgaris, utpote magis aromaticum, oleo æthereo ac sale volatili abundans. Venerem stimulat.

C. *PETROSELINUM* vulgare seu *Apium* hortense C. B. Selinon sive Apium *Theophrasti*. Apium hortense *Dioscoridis*. Apium mas *Plinii* C. B. *Common Parsley*.

Quidam hanc Herbam cum aceto & garo mandunt: sunt, qui Apium & Smyrnium, foliis lactucæ mista, amant: herba Apii tamen jucundior & stomacho commodior est, quam Smyrnium. Rami largis portionibus per jura natant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Suaviores Aquas potui incoctum præstat, unde ægris, quibus vinum interdictum est, vel hydromel vel apiatam Aquam præscribit *Theod. Priscianus*: & in febre diaria curanda post balneum, aquam, quæ parum Apii in se incoctum habuerit, offert *Galenus*. Quinimo pisces, si ægrotant, in piscinis Apio viridi recreantur.

Inter alimenta attenuantia locum habet, virens tamen Apium lac generat.

Usu medico herba ad eadem, ad quæ Coriandrum, valet, præterea que ad oculorum inflammationes cum pane aut polentæ polline imposita: & oculis tumentibus vel dolentibus imponitur cum lacte mulieris. Æstuantem quoque stomachum demulcet, & mammarum concreto in grumos lacte duritiem disjicit.

Ciet & urinas sive cocta sive cruda edatur.

Panis, tritus cum Apio, optime crustas in gangræna disrumpit, & a sanis partibus separat.

Radices caulesque dulces sunt, secus vero folia, authore *Theophrasto*. Radix in aqua, quæ potui datur, incocta putridos humores in febribus expellit per urinam citra calfactionem vel siccationem.

Semen excalfactorium est, ast viribus acrius, flatusque magis discutiens quam herba. Sugillatis reddit colorem, si foveantur semine decocto.

In oleo ebullitum, per clysterem injectum, dolorem in ventre inferiore ex tumore flatuoso sedat.

Purgantibus medicamentis miscetur. Tenuante diæta utentibus convenit.

Urinæ excretionem auget ut & menstruorum & secundarum.

Locum habet inter roborantia ſtomachum, pituita obſitum, unde caput dolet.

Datur arquatis ex vino albo, quippe quum in jecinore & liene multitudinem atrorum humorum offenderit, detrahit, & per lotium ejicit ſine moleſtia.

Senibus, quibus tum pituitoſum tum ſeroſum excrementum colligitur, Urinas moveri quotidie convenit, non tamen pharmacis, ſed Apio, cæteriſque ſimilibus.

A venenata beſtia demorſis opitulatur, iiſque qui argenti ſpumam hauſerint, & utiliter admiſcetur Medicamentis, quæ ſomno dolorum levamenta præſtant, & his, quæ contra tuſſim conficiuntur.

NOTÆ. Herba recens odoris eſt ſingularis, non ingrati, ſaporis aliquantum calidi & acris, calidior quam Radix, ſed minus dulcis; veteraſcens amara. Uſurpari debet, ut Radix, ſed recens, ſicca enim inodora, quippe perit exſiccatione, & decoctione Spiritus avolat.

Coquitur & ſubinde comeditur ut Braſſica, ſed *D. Aſtonus* notavit ab ejus viridis eſu largo turgeſcentiam vaſorum prope oculos, unde confirmari videtur ſuſpicio, hanc herbam oculis nocivam eſſe, & non ſine cauſa prohiberi Epilepticis, quod & alii innuunt, inquientes, cautelas, quæ dantur de Apio in hoc caſu transferri debere quoque ad Petroſelinum.

Contuſis feliciter applicatur Cataplaſma ex ea, ſanguinem coagulatum diſſipans; & *Tragus* confirmat efficaciam herbæ cum pane recens cocto tuſæ, impoſitæ oculis inflammatis; necnon efficacia ejus in lacte concreto diſſolvendo confirmatur ab eodem authore, unde Mulieres, quando infantes ablactare velint, mammis hanc herbam tuſam imponunt.

Ulcera etiam inveterata mundare dicitur ſuccus.

In experimentis *D. Lobb* fragmenta Calculi unius in 6, alterius 25 dierum ſpatio infuſa in ſucco & decoctione, ſolvebantur.

Recentis herbæ infuſum inſtar Theæ in affectibus, ubi ſerum abundat, in cachexia, in menſibus ſuppreſſis, & ubi metus eſt calculi renum aut veſicæ, inſigne eſt diureticum.

Radix recens odoris eſt fragrantis, ſaporis dulcis inſtar radicis Paſtinacæ vel ſativæ, aromatici, ſubacris, eſculenta & eſui gratiſſima, carnium juribus frequentiſſime incocta. Sicca inodora, inſipida, quippe nec exſiccationem nec decoctionem fert, proinde recens uſurpanda, & in infuſo vel ſucco.

Spiritus Vini vires extrahit, Tincturæ inſpiſſatæ Extractum dulce eſt, caloris debilis.

Extus reſolvit & tumoribus mammarum nodoſis cum fructu applicatur.

Diure-

Diuretica est bene nota, lenis & suavis, unde in cachexia & hydrope exhibetur, mensesque movet.

In experimentis *D. Lobb* fragmentum Calculi in succo & decocto spatio 25 & 35 dierum infusum, solvebatur.

Semen calidius est quam Radix, odoris validi, aromatici, saporis acris, calidi, amaricantis. Locum habet inter Carminantia. Urinas ciet & Menses; commendatur quoque contra tussim veterem eclegmatis permista aut incocta.

C. *PEUCEDANUM.* *Hog's Fennel.* Vide *Fœniculum.*

C. *PHYLLITIS.* Lingua cervina Offic. C. B. *Hart's tongue.*

Folia, gustu acerbo, in vino serpentium morsibus adversantur. Quadrupedibus per os infusa in eodem periculo medentur.

Bibuntur, ad diarrhœam & dysenteriam.

NOTÆ. Contusæ Odor est ut Filicis, & infusa Cerevisiæ odorem dat quasi fragrantem. Succus saporis est dulcis & austeri, ac cum Vitriolo Martis nigrescit, & infusum atro-viride fit cum eodem: porro succus cum liquoribus alcalinis coagulatur, contra cum acidis limpidus fit.

Extrinsecus mundificare dicitur vulnera & ulcera; & usurpatur pro fotu in procidentia Ani.

Datur Cerevisia ex ea in hæmorrhagia Nasi inveterata, & Pilulæ hæmoptoicæ exinde prostant apud *Fullerum*; decoctumque diarrhœam & dysenteriam sistit, adstringens & acrimoniam humoris infringens.

Datur lienis, rachiticis & scorbuticis.

Exsiccatæ pulverem in Cerevisia tenui aut Zythogala, vel Conservam è foliis virentibus in palpitatione Cordis, suffocatione Uteri & motibus convulsivis mira præstare innumeris experimentis constare, author est *Raius.*

Tragus ait folia, aceto decocta, perque aliquot dies pota, Lienem absumere, quod *Simon Paulli* quodammodo confirmat, asserens, Cerevisiam, Phyllitide conditam, ad tollenda vitia Lienis quotidie a Medicis & plebe superioris Germaniæ usurpari, quippe Lien humores avidissime imbibit, adeo ut nimia repletione sæpe indurescat; nec igitur denegandæ vires Phyllitidis in hoc casu, quatenus roborans, saltem præmissis aperientibus, ut Gentiana, Aristolochia, &c.

1. N. *PIMPINELLA saxifraga minor* foliis sanguisorbæ *Raii. Pharm. Lond.* *The lesser round leaved Burnet-Saxifrage.*

2. *PIMPINELLA saxifraga minor* C. B. *Small Burnet Saxifrage with divided leaves.* *Raii Synops.*

Pimpinellæ Veteribus indictæ existimantur.

NOTÆ. Radix recens halitum emittit acrem oculos afficientem ut Raphanus rusticanus, sed mitius, & hæc acrimonia exsiccando minuitur, sapor acris est & calidus ut Zinziberis; ipse quoque in sicca deprehendi odorem graviusculum, saporem subdulcem & acrem, quidam quoque præferunt siccatam piperi in condimentis.

Recens inflammat & vesicas excitat in cute. Infusa in aqua viridescebat cum Vitriolo Martis. Succus autem non mutabatur a liquoribus acidis, nec ab alcalinis.

Extrinsecus in maculis faciei abstergendis usurpatur, & in odontalgia masticata ad pituitam eliciendam; diciturque mundificare & consolidare vulnera recentia & inveterata, & ulcera: usus est quoque in gargarismis ad dissolvendum mucum tenacem in faucibus.

Sialogoga est, & mansa præcavendi scopo in morbis contagiosis laudatur.

Diuresin ac diaphoresin placide movet, & Essentia ejus primum locum habet inter alexipharmaca, & contra tremores artuum, a Mercurialibus ortos, laudatur una cum fœniculo. Carminativa est, atque in colica & debilitate Ventriculi utitus.

Stomacho frigida intemperie, crassisque ac viscosis humoribus laboranti, utilissima. Menses ciet.

Semen convenit cum radice, & Seplasiarii Norimbergenses condiunt ut Anisum & Fœniculum.

C. *PINGUEDO* Anseris. Vid. *Axungia.*

1. C. *PINUS Sativa* C. B. *The Pine tree.*

2. *PINASTER* *Offic.* Pinus sylv. C. B. *The Mountain Pine.*

Urbana & Sylvestris quoque prostant apud *Theophrastum* & *Plinium.*

Strobilus vocatur Nux pinea a *Galeno* & *Theophrasto.*

Pityides apud *Dioscoridem* sunt Picearum & Pinorum fructus, qui in conis reperiuntur

Pinus fert minimum resinæ, Pinaster copiosiorem dat.

Pini folia vulnera glutinant. Trita & imposita inflammationes leniunt, vulneraque ab inflammatione vindicant. Ad lævorem trita & in aceto decocta, dolo-

dolores dentium demulceant, si calida colluantur. Prosunt inflammatione hepatis laborantibus drachmæ unius pondere ex aqua mulsave pota.

Cortex adstrictorius est, sed minus quam galla, & locum habet inter sanguinis profluvium sistentia ex vino nigro austero, ubi exiguum vas perruptum est sic ut non multus profluat sanguis.

Ad intertrigines tritus & inspersus confert & ad ambusta cum argenti spuma & manna (*b*). Cortex quoque idoneus est in Ulceribus, privatim Pudendorum: & decoctum ex aqua, utpote reprimens, in oris ac faucium inflammationibus.

Potu alvum sistit & urinas movet, ejusque decoctum in vino contra tormina datur. Suffitu fœtus & secundas ejicit.

Nuclei sunt edules, boni & crassi succi; probe nutriunt, non tamen facile concoquuntur.

Mistam habent facultatem, utpote, præsertim cum virides sunt, adstringentes & acrimoniam quandam cum amaritie possidentes, verum in aqua macerati, ut acrimoniam deponant, temperati evadunt, & acrimoniæ exortes, meatus obducunt, & lævigandi vim obtinent in arteriacis medicamentis in thoracis collectionibus. Hinc *C. Celsus* nucleos pineos annumerat illis, quæ stomacho sunt amica, sed lavandos primum, & omnes nucleos inflammare, exceptis nucleis pineis, qui porro sitim sedant & acrimoniam stomachi rosionesque, renibus ac vesicæ utiles.

Porro, strobili toti, ab arboribus decerpti, recentes contusi, & in passo decocti, ad vetustam tussim & phthisin conducunt, si ex eo liquore terni quotidie cyathi assumantur: & Nuces contusæ leviter, additis, quot sunt nuces, tot sextariis aquæ, ad dimidium decoctæ, sanguinis excreationi medentur, ita ut cyathi bini bibantur ex eo. *Hippocrates* meminit Nucis pineæ in peripneumonia, & cum melle in pleuritide.

Recentiorum Græcorum quidam tamen Nutricibus prohibet Nucleos pineos, utpote oleosos ac bilem facientes, & ventriculo innatantes, veneremque stimulantes. An hoc de crudis & non repurgatis lotisve intelligendum?

NOTÆ. Folia viscosa sunt & odoris terebinthinacei, saporis amaricantis, austeri, subacidi: juniora acida & valde austera.

Vulnera recentia sanant, inflammationes leniunt, & vulnera ab inflammatione vindicant. Commendantur in scorbuto & morbis cutaneis: & a turionibus

(*b*) i. e. Micis thuris, collisu elisa.

nibus Pini mille hominum a scorbuticis affectibus liberatos fuisse affirmat *Hoffmannus.*

Conorum squammulæ adstringunt, terebinthinam resipiunt, & in Alvi fluxu ac dysenteria utiles sunt.

Nuclei (præsertim macerati) saporis sunt dulcis, magis grati, quam Amygdalæ, & fere æque grati ac nuces Pistachiæ (unde in Italia mensis secundis adjiciuntur) valde oleosæ, expressione Oleum exhibentes, ut Amygdalæ, sed levius & magis limpidum.

Usurpatur in Emulsionibus ut Amygdalæ: multum nutriunt, Lac nutricibus augent. Usus sunt in tussi, stranguria & acrimonia urinæ mitiganda, semen & Gelatinam nutritiam augent, tabidis utiles, hecticis phthisicisque nutrimentum laudabile suppeditant.

C. *PIPER.*

1. *PIPER album.* Piper nigrum maturum decorticatum *Pharm. Lond.* *White Pepper.*

2. *PIPER longum.* Piper longum orientale C. B. *Long Pepper.*

3. *PIPER nigrum* Offic. Molago codi *Hort. Malabar. Pharm. Lond.* Piper commune *Actuario. Black Pepper.*

Theophrastus, Dioscorides, &, hos secutus, *Plinius* Piperis plantæ formam & notas ignoraverunt, & indigenam in ea describenda fidem secuti sunt ob regionum distantiam.

Longum intensa mordacitate præditum & subamarum. Nigrum albo fortius, acrius orique gratius & magis aromaticum, condiendis cibis utilius. Album antedictis infirmius & inefficacius.

Omne Piper fortiter dum gustatur calfacit.

Manducatum cum uva passa pituitam è capite prolicit; purgat & nares. Dentium dolori prodest Nitrum, si cum pipere ex vino colluantur.

Ab immodica quantitate ingesta non paucis singultus accidit

Exceptum pice strumas discutit, ac vitiligines etiam ex Nitro emaculat.

In anginis valde discussorium est cum melle perunctum. Vim habet discutiendi detergendique ea, quæ pupillis tenebras offundunt.

Potum seu illitum febrium rigoribus, per circuitum repetentibus, ac venenatarum bestiarum morsibus auxiliatur, & ingreditur Theriacam.

Per impositionem provocat menstrua: partus extrahit. Urinam ciet: sudorem movet.

Quibus, quicquid assumpserint, in flatum vertitur non inutile fuerit longum Piper

Piper cum cibo dare, quippe quod flatuosi spiritus crassitudinem solvit, & quæ in præcordiis pigra cessant ad ventrem inferiorem depellit, & concoquendis iis, quæ assumpta sunt, subvenit.

Tormina discutit potum cum lauri foliis tenellis.

Quicquid crassi est in semicoctis crudisve succis dissecat & resolvit. In pituitoso succo, a capite in frigidum natum ventrem decurrente, Piper ad exactum contritum lævorem, aquæ mistum, bibere licet: ad quem usum melius stomachoque aptius est Piper album.

Hinc Diatrion pipereon assumat senex, qui obstruentibus cibis usus est; & piscibus cartilagineis piperis portiuncula addenda.

Hepati & Leni obstructis conducunt Caricæ sumptæ cum Pipere, zingibere, vel thymo longe ante cibum.

Si in sorbitionibus omnibus, quæ ad tenuantem diætam conferuntur, misceatur Piper, non mediocriter juvabit.

Purgat pulmonem & thoracem: tussi omnibusque pectoris vitiis linctu potuve subvenit, unde ingreditur Confectiones ad tussim cum succo papaveris Andromachi apud *Galenum*.

NOTÆ. *Piper rotundum, præsertim nigrum* odoris est fragrantis, saporis fervidi, acris, fere urentis, caloris sensu tamen non diu durante. Ab aliis Aromatibus differt in hoc, quod acrimonia non hæreat in partibus volatilibus seu oleo essentiali, sed in materie fixa, quæ non elevatur calore aquæ ebullientis, verum non in gummea parte, *sed resinosa*, hinc Spiritus Vini rectificatus integre extrahit acrimoniam.

Humidum distans attrahit, sacculus enim Pipere repletus, super vas, vino plenum, positus gravior fit, dum Vinum pondere levius.

Usu externo rubefaciens est, & adhibetur contra insecta, *Werbles* dicta, in equorum cute generata. Quatenus apophlegmatizans in paralysi linguæ utile applicatum: vulgare remedium est ad Uvulam relaxatam restituendam.

Usu interno in omnibus morbis frigidis serosis valet, speciatim incidens mucilaginem crassam, in primis viis stabulantem, & ad cruditates acidas, præsertim quæ a crapula oriuntur, optime conducit; & hoc senibus notandum est, quorum ventriculi ac temperies frigidiores sunt, & humoribus excrementitiis, æque ac fauces, redundant; in ructibus acidis & doloribus colicis valet; in quos usus grana integra, deglutita ad viij, x vel xij, ventriculum roborant melius quam pulvis; subtiles enim piperis particulæ, ventriculi rugis altius immersæ & pertinaciter adhærescentes, sensim calorem suum exerunt; & hoc modo Tertianam & Quartanam, per aliquot dies horis duabus ante paroxysmum deglutita, curasse dicuntur.

Indi longum linimentis addunt, quibus adversus dolores artuum a frigore utuntur, & contra venena, verugines, catarrhos oculorumque nebulas, cum fructu adhibent.

Album fieri ex nigro decorticato plerumque convenit apud authores; sed an Longum sit magis vel minus acre, quam Nigrum, discrepant.

N. *PIPER* Jamaicense. Pimenta *Pharm. Lond.* *Jamaica Pepper.*

Caryophyllus aromaticus fructu rotundo. Caryophyllon *Plinii* C. B. *All Spice or Jamaica Pepper.*

NOTÆ. Odoris est grati aromatici, quasi medii inter Caryophyllos & Nucem moschatam, paulo minus acris quam reliquæ species; & hoc habet singulare, quod cum Vitriolo Martis nigrescat.

Destillatione dat magnam quantitatem Olei essentialis elegantis, ponderosi, in aqua subsidentis, saporis mediocriter pungentis, quod commodissime substitui potest Oleo Caryophyllorum & Nucis moschatæ sæpe adulteratis. Residuum non amplius pungens est, calore hujus, secus quam reliquorum Piperum, magis in partibus volatilibus quam fixis residente.

Spiritus Vini integre extrahit acrimoniam: pars Gummea admodum inertem saporem possidet.

Roborat Cor, Ventriculumque, flatum dissipat; Urinam & Menses evocat frigus pelit, colicis & iliacis opitulatur, venerem excitat.

D. *PIPER* Indicum. Capsica siliqua. Piper Indicum vulgatissimum C. B. *Guiney Pepper.*

NOTÆ. Est omnium acerrimum. Capsularum pars interior, labiis affricta, inflammat; semina ignea & quam Grana Paradisi acriora.

Urit & exulcerat corpus.

Acrimoniam suam impertit Spiritui Vini rectificato, sed leni destillatione vix elevata acrimonia, verum residui acrimonia intolerabilis est.

Ad Venerem stimulandam Indi Cocoladæ addunt.

C *PISTACHIÆ* Nuces. Vide *Nuces Pistachiæ.*

1. C. *PISUM arvense* flore candido fructu rotundo C. B. *Common White Pease.*

2. *PISUM majus quadratum* C. B. *Great white Peason.* Pisum *Plinii* & antiquorum *Dodonæi.*

Pisi *Dioscorides* non meminit, nisi forte cum phaseolis comprehenderit, at *Hippocrates*, *Galenus* & *Ægineta.*

Pisa

Pisa cum fabis tota substantia similitudinem habent, sed non sunt æque ac fabæ flatulentæ & segnius, quam illæ, per alvum secedunt, authore *Galeno*: rectius *Hippocrates*, de Victus ratione, „ Pisa minus fabis implent, ac per alvum „ magis secedunt, " suffragante experientia & dulcedine saccharina plurium specierum Pisi, quam dulcedinem fabæ non possident (*e*).

NOTÆ. Semina succum viscosum, crassum, flatus generantem continent, & aliquando dulcem.

In Recipiente exhausta, necnon inter fermentandum, magnam quantitatem Aëris emittunt, scil. Aëris elastici veri, in statu repellente, qualis tamen non existit in vegetabili (tunc enim vasa ejus diffringerat.) sed in statu attrahente.

Multum nutriunt, acrimonias pectoris & tussim mitigant: copiam adferunt Lactis.

Nonnulli eorum decocto ad abstergenda cutis vitia & eminentias persanandas cum fructu utuntur: & refert *Tragus* decoctum cum aqua & lixivio manantia capitis ulcera sanare singulari experimento.

Et *Martinus Rulandus* ad scabiem, lepram & omnia Ulcera balneo utitur sæpius experto ex pisis, cum folio quercus in aqua fluviatili decoctis.

Abstergunt equidem, sed minus quam Lupini, & ventrem aliquantulum laxant, præsertim eorum jusculum primum, & quidem alvus cito solvitur si probe coctis una cum glumis aut corticibus vescamur; lochia promovere ac nephriticis prodesse notantur.

Juniora diuretica sunt & pectoralia, contra seniora, præsertim siccata.

1. C. *PIX* Liquida. *Tar.*

2. *PIX* sicca. *Stone Pitch.*

Differt Pix & Resina, quod hæc sponte affluxerit, illa vero ignis beneficio educta, unde nigredinem acquisivit, & est veluti Resina cocta. ea vero quæ primo extillat fluxilior humidiorque Pix liquida, Cedrium Syris dicta, quoniam ex Cedro Syri picem urunt, picea & pinu carentes.

Palimpissa quasi iterata, vel iterum cocta Pix, est Pix arida *Dioscoridis*.

Pix liquida *Dioscoridis* è pinguissimis pini piceæque lignis congregatur.

Cum

(*e*) Porro, Cortex Fabæ manifeste adstrictorius est, infusum enim ejus & decoctum in aqua nigrescit, addito sale Martis, secus quam Infusum & decoctum Pisi.

Cum corporibus nostris admovetur, ea manifestissime calfacit. Nonnullam habet tenuitatem partium, & in gustu subamarum quiddam & acre.

Vi calefaciendi & attrahendi, adeoque humectandi pollet, & remedium erat Gracilitatis apud antiquos, pice inuncto toto corpore. Hæc operatio repetebatur tertio vel quarto quoque die. Egregium, inquit *Galenus*, medicamentum ad carnem instaurandam, adeo ut, si quod singulare membrum hoc vitio laboret, id hoc præsidio restituatur; ac nobis quidem in omnibus ferme hoc unum satisfecerit.

Notandum vero quibuscunque particulis bonam habitudinem restituere studemus, sive picando, sive fricando & perfundendo, oportebit hæc fieri tantisper dum intumescant, & hoc ubi factum est, prorsus desistere: etenim quæ calefaciunt omnia, sicut attrahere, sic etiam digerere apta sunt. Si ergo perstes, dum quod attractum digestum sit, operam luseris.

Septicis seu erodentibus medicamentis utiliter immiscetur.

Reponitur inter calida, quæ conveniunt alopeciis, & inuncta, oleo permista, ad radices capillorum, efficit ut tarde canescant. *Galenus* testatur Cedriam per se adhiberi in frigida & humida intemperie, utpote defluentes capillos corrigentem, & non defluentes auctiores reddentem. Porro Cedrio in Ægypto corpora hominum defunctorum perfusa servari author est *Plinius*. Vina & Vasa condiuntur Pice, unde *Vina picata*, & Vinum, resinâ conditum, resolutioni stomachi prodesse scribit *Celsus*.

Vulvæ duritias ac sedis tubercula discutit. Concoquit duros & inconcoctos humores, cataplasmatis indita. cum farina hordeacea, puerique impubis urina, decocta strumas rumpit.

Vulnera, Ovibus inter tondendum a forfice facta, illita sanat. Fermento mistam *Galenus* imposuit in vulneribus nervorum. Cum melle Ulcera purgat & explet.

Cum thuris polline & cerato profundos Ulcerum sinus conglutinat: rimis sedis & pedum magno auxilio illinitur: cohibet Ulcera, quæ serpunt, cum pineo cortice, sulphure aut furfuribus illita.

Purulentis auribus infunditur cum rosaceo. Illinitur cum trito sale serpentium morsibus. In tonsillarum aut Uvæ inflammationibus & exulcerationibus illinitur Pix cum oleo aut melle.

Notandum vero, quod Pix quanquam modice siccet, immodice tamen calida sit, ideoque ea non utimur sola, nec aliter nisi cum leniter refrigerantibus admistis unum ex omnibus medicamentum fecerit quod sit temperatum.

Leprosos ungues eximit adjecta pari cera, & impetigines detergit.

Utuntur ea contra Ovium scabiem, ricinosque, &, authore *Plinio*, præstan-

ftantiſſima eſt ad canum & jumentorum ſcabiem, valet ad ſpaſmos, tremores, opiſthotonos, paralyſes & nervorum dolores.

Uſu interno contra venena, phthiſin, purulentam excreationem, tuſſes, anhelationes & pectoris humores, qui difficulter extuſſiuntur, efficax eſt, eclegmate cyathi menſura cum melle dato (*d*).

Pix arida. Stone Pitch. Calfactoriam vim habet, dura emollit, tubercula panoſque diſcutit: plus deſiccat quam calfacit; & proinde vulneribus glutinandis magis congruit quam humida atque in corporibus admodum duris quæ vulnus habent aut ſinum, glutinatoria eſt. Ulcera replet.

Calfacit modice, ideoque medicamentis, quæ pus movent, admiſcetur. Ad ferventes phlegmonas ex roſaceo liquare oportet, ad frigidiores vero ex calfacientium quopiam, puta ricino, raphanino oleo.

NOTÆ. 1. *Pix liquida* Odoris gravis eſt, fœtidi, ſaporis amari, calidi, acris, conſiſtentiæ gummoſæ.

Non effervescebat cum Oleo Tartari per deliquium; infuſum tamen ejus Lac coagulabat ſecus quam infuſum Terebinthinæ, quoniam aciditatem acquirit ab igne, a ſuccis reſinoſis arborum puris differens acquirendo empyreuma ab igne & materiæ ſalinæ & acidæ quidpiam, è ligno calore extractæ.

Quidam Norwegicam præferunt Americanæ & vice verſa; acrior enim eſt ſecundum ætatem ramorum arboris unde extrahitur, adeo ut è vetuſtis tam acris ſit, ut funes in navibus corrodat, contra mitior, quæ e viridantibus ſummitatibus & igne leniore extrahitur.

Deſtillatione dat aquam acidiſſimam totius regni vegetabilis ſine fermentatione paratam, & quidem ex Norwegicæ ℔xxij. ſpiritus acidi ℔j ℥ijſs; Olei ℔vij, ℥iij; Picis ℔xij, ℥xiv.

In ſpiritu Vini rectificato fere integre ſolvitur, non tamen penitus, nam a repetitis ſpiritûs affuſionibus per ſpatium menſis aliquid reſtabat non ſolutum, quod tamen igne liqueſcebat, inflammabatur, & combuſtum terram relinquebat: proinde pars, a ſpiritu Vini non ſoluta, videtur eſſe Bitumen, quemadmodum nec Piſſelæum Indicum nec ſuccinum in eo integre ſolvuntur.

Eſſentia Picis liquidæ nihil aliud eſt quam ſimplex ejus Extractio cum ſpiritu Vini tartariſato.

Uſu externo emollit, digerit, dolorem lenit, coquit, pus movet, impetigines emendat, & morbum *Tetter* dictum; cum & ſine ſulphure efficax eſſe depre-

(*d*) Vide Pilulas de Pice in *Pharm. Bateana.*

deprehensa est in Tinea, atque Unguentum è Pice *Pharmacop. Lond.*, in curando Ulcere maxime corrosivo, & Unguentum ex ea & butyro vulgaris usus est in sananda scabie, Ulceribusque pecorum, & contra Muscarum injurias defendit. Eodem Unguento ac lotione capitis cum decocto Centaurii minoris abigitur phthiriasis.

Convenit inprimis iis, qui per nives iter faciunt; si nimirum quis pice membra liniat, a quocunque frigore immunis erit.

Septicis & erodentibus Emplastris utiliter miscetur.

Cum pannis laneis duplicatis cruribus hydropicorum tepide admota per 3, 4, vel 5 dies exulcerat cutim & fluxum largum excitat, hocque singulare habet, quod nihil hinc metus sit gangrænæ, secus quam in incisionibus.

Alvum aliquantum ciet ut alia Balsama.

Norwegici Picem liquidam abiegnam, cum cerevisia mixtam, in febribus malignis magno successu bibunt.

2. *Pix arida.* Tenax est, odoris graviusculi, saporis subamari & subacris in gutture: minus quam liquida calefacit, magis glutinat, in Spiritu Vini magna ex parte solubilis, relicta tamen materie insolubili quasi bituminosa, ut supra de Pice liquida notatur; non enim est pura Resina, sed mutatur ab igne & a ligno, in hujus præparatione combusto, hinc gummeas, salinas & terræ combustæ particulas recipiens, unde separare se solet in unguentis& emplastris, ab aëre vero & humiditate corroditur in navibus & vasis ligneis usurpata.

N. *PIX Burgundica. Burgundy Pitch.*

Odoris est graviusculi, non ingrati, saporis subacris, terebinthinam resipiens.

Sola differentia inter Picem Burgundicam & Resinam est in coctione Picis Burgundicæ, ex aheno exemptæ, cum primum bullire incipit; atque ideirco mollior est & coloris magis brunnei.

A Spiritu Vini rectificato fere integre solvitur, ab Aqua vix attingitur.

Cum Pice & Terebinthina viribus convenit: applicatur tumoribus sive resolvendis sive suppurandis, & locum habet inter phœnigmos seu rubefacientia, super humeros applicata, in doloribus aurium, oculorum & capitis.

1. D. *PLANTAGO latifolia* sinuata C. B. *Great Plantain or Way bread.*

2. *PLANTAGO* major *angustifolia* C. B. *Ribwort, or Ribwort Plantain.*

Prostant equidem apud *Dioscoridem* & *Plinium* Plantago major & minor; verum-

verontamen quum nec descriptio Plantaginis majoris, nec locus natalis apud *Dioscoridem* nostræ omnibus notis convenit, minime tutum judicavi, vires Plantaginis, a Veteribus tributas, hic apposuisse, quanquam apud *Celsum* videantur vires convenire, ubi jungitur foliis salicis ad reprimendum.

NOTÆ. 1. *Plantago angustifolia.* Folia recentia, sicca & succus saporis sunt nonnihil amaricantis, adstrictoru & subacris.

Dicuntur in cibo cocta Phthisicis profuisse.

Infusum eorum subfuscum fiebat a Vitriolo Martis; in altero experimento viridescebat.

Succus, ut & Latifoliæ coagulabatur a liquoribus alcalinis, sed non æque fluidior fiebat ab acidis.

Inter simplicia vulneraria principem locum tenet usu tam externo quam interno, v. g. succus vel folia contusa ac vulneribus recentibus imposita, vel etiam decoctum, iis applicatum, non inflammari vel dolere permittunt, & mire consolidant, nec minus etiam in ulceribus & abscessibus, quos egregie mundificant, & ad consolidationem perducunt.

Magni etiam usus est in Ulceribus linguæ, unde ingredi solet decocta pro gargarismis, familiaribus in Ulceribus tonsillarum, uvulæ & faucium.

Usu quoque interno in sero lactis cocta in Ulcere inveterato sinuoso siccando utilis fuit.

Radix adstringens est & subdulcis. Infusum ejus primo fiebat coloris fusci, dein viridis cum Vitriolo Martis; & in *Miscellaneis Curiosis* prostat exemplum Matronæ illustris, curantis Febres Intermittentes radicibus v, vj, ix, ad xj cum foliolis ij vel iij, Aceto per noctem infusis, ineunte paroxysmo febris propinato.

2. *Plantago latifolia.* Folia subadstringentia sunt, amaricantia, & forte aciditatem ac salsedinem quandam possident. aliquantulum rubefaciunt Chartam cæruleam & solutionem Heliotropii, atque infusum eorum a solutione Vitrioli Martis viride fit, dein coloris fusci.

Succus quoque decantatus, colatus & inspissatus prodit austeritatem salinam, & cum liquoribus alcalinis coagulabatur, contra cum acidis fluidior fiebat.

Folia ambusta & inflammationes refrigerant, speciatim ad inflammationes & contusiones oculorum valent, & a rusticis usurpantur in vulneribus recentibus, & ad consolidanda Ulcera inveterata; post Usum Vesicatoriorum dolores mitigant & pustulas, arte prolicitas, sanant: experientia quoque compertum est, capitis dolores tolli linteolis, in succo madefactis & impositis. Usurpantur quoque in Ulceribus internis, & ad fluxus alvi, præcipue dysenteriam

riam & alias excretiones nimias: syrupus datur in sputo sanguinis, in vomitu sanguineo & hæmorrhagiis uterinis: porro & applicatio foliorum ad strumas laudatur.

Et in usu interno prostant exempla in *Miscellaneis Curiosis* Diarrhææ biliosæ curatæ angustifoliæ succo, per 3 dies ad ℥iv sumpto, vel foliis in jusculo coctis.

Radix subdulcis est & adstringens: infusum ejus fiebat coloris fusci, dein viridis cum Vitriolo Martis, & Chartam cæruleam magis rubefecit quam Folia; unde & ab eventu simili experimenti cum radice angustifoliæ concludere fas erit, ad usum radicum attendere nos debere, æque ac foliorum, vel potius præferendas esse radices pro scopo adstringendi.

Semina mucilaginem fortem exhibent, Cuticula esse dicitur adstringens: datur in pulvere & ad ʒj in lacte pro remedio, apud rusticos familiari, in Alvi fluxu.

C. *PLUMBUM.* Lead.

Molybdos Græcorum. Plumbum nigrum *Plinio*, nigrore tractantium manus inficiens, & ad differentiam Plumbi albi, quod est stannum nostrum.

Halitus Plumbi inter urendum noxius, proinde cavendus occlusis naribus. Fornacium Plumbi halitus pestilens est, canibus ocyssime, omnium vero metallorum muscis & culicibus. Qui Plumbi ramenta aut loturam hauserunt similia symptomata habent iis, quæ a Lithargyri potu, quæ vide ubi de *Lithargyro.*

In laminam diductum Plumbum per se athletarum exercitantium lumbis insternitur ubi veneris somnus vexantur, nimirum haud obscure eos refrigerans. Bractea tenuis, ex plumbo facta, probe Ganglio illigata, ipsum dissipat.

En simplicissimam apud Veteres præparationem, Plumbum elotum dictum, ejusque vires ex *Dioscoride*, scil.

Aquam in plumbeum mortarium conjicito, plumbeoque pistillo confricato usque dum nigrescat & limi modo crassescat aqua. Per linteolum deinde eam trajicito, aquam identidem superinfundens, ut quod detritum est totum transfundatur. Sinito posthæc quod lotum fuerit considere, effusaque priore aqua, &, superinfusa alia, Cadmiæ modo lavato quousque nulla supersit nigredo, conformatumque in pastillos reponito.

Vis illi est refrigerare, adstringere, spiracula Cutis obducere, mollire, concava explere. Oculorum destillationes & in ulceribus carnium excrescentias compescit. Sanguinem sistit. Facit ad sedis ulcera, condylomata & hæmorrhoidas cum rosaceo, item ad ea, quæ ægre ad cicatricem perducuntur.

Confer Vires *Cerussæ*.

Calx-

Galenus de hac re fusius sic:

Præparato Mortario, simulque pistillo, utroque ex plumbo, infunde quemlibet liquorem & terito ad quod ex plumbo & liquore infuso constabit multo erit frigidius, quam liquor ipse fuerat. Licet autem & aquam, & vinum tenue aquosum & oleum injicere. Oleum purum inde fit crassum & nigrum. At, si etiam plus efficere voles, succus refrigeratorius, oleum omphacinum sit, aut rosaceum, aut myrtinum. Sic optimum habebis remedium ad phlegmonas in sede cum ulcere aut rugis, & ad eas, quæ in pudendis, testibus, & uberibus consistunt. similiter adversus cæteras omnes fluxiones incipientes, quæ aut in inguina aut in pedes, aut in alium quemvis articulum decumbunt. sed & ulceribus rebellibus utile est; nam ad cancrosa eo utens virtutem medicamenti mirabere: & si, affuso refrigerantium succorum quopiam, ut semper vivi, Lactucæ, Portulacæ teras, multo utilissimum habebis medicamentum.

Plumbum *ustum* sic paratur:

Super quam tenuissimas Plumbi laminas, fictili novo inditas, sulphur inspergito, additisque aliis laminis, interjecto semper sulphure usque dum vas expleveris, succendito: flagrante autem plumbo, ferrea rude versato, donec perfecte redigatur in cinerem, nihilque in plumbo non ustum hæserit, tum demum occlusis naribus eximito; alioquin halitus plumbi noxius sentitur.

Eosdem effectus habet quos Plumbum elotum, sed multo efficaciores: magis siccat, sed habet etiam quid amari, & bonum est ad Ulcera rebellia, si vero lotum fuerit, citra mordacitatem siccat, multo optimum medicamentum est, & ad Ulcerum impletionem, & ad eadem cicatrice obducenda. Convenit quoque chironiis, quæ vocant, ulceribus, cancrosis & putredinosis omnibus.

NOTÆ. Specificæ gravitatis est ad Aquam ut 1135 ad 1000.

Ab omnibus fere acidis etiam tenuissimis solvitur, absorbens acidum, & cum eo constituens texturam nonnihil stypticam, seu sal dulce & nauseosum. Ab Acidis fortioribus non solvitur, nisi aqua diluantur.

Non tantum solvitur in Acidis, sed calcinatum quoque in Oleis, & notandum, calces Plumbi facilius solvi in acidis vegetabilibus, quam Plumbum in forma metallica; quin etiam & vitrificatum in vasis terreis corrodunt Acida vegetabilia, indeque qualitatem malignam solutionum saturninarum acquirunt. 5

In lixivio alcali fixi quoque diu cocti pars solvitur, authore *Macquer*.

Solutio ejus, authore *M. Grosse*, in *Actis Academiæ regiæ*, ad crystallisandum reposita, exhibet pulverem viridescentem, qui Aurum dealbat, ut Mer-

 curius,

curius, & parvos globulos Mercurii. *Valentini* notat, tanquam rem bene cognitam, Plumbum partibus mercurialibus præditum esse.

Extus perspirationem sistit & anodynum est, valet ad erysipelas, ambusta, ad affectus pruriginosos & intertriginem, lippitudinem, & ad similes excoriationes conducit.

Vel interne sumptum ut & Fumus ejus dolores creat intestinorum intolerabiles, Alvi pertinacem obstructionem, cardialgias, lipothymias, sudores frigidos, stupiditatem, convulsiones, sæpe desinentes in apoplexia, paralysi & morte.

C. *POLIUM.*

1 *POLIUM angustifolium* Creticum C. B. *Poley of Candia.* vel

2. *POLIUM maritimum* erectum Monspeliacum C. B. *Erect or Mountain Poley.* Summitates.

Polium duplex facit *Dioscorides*, montanum & alterum. Prioris descriptio adeo brevis est, ut Medici diversis in locis alias aliasque plantas pro ea acceperunt. Apud nos plures sunt species. Collegium Londinense alterutrum supra dictorum proponit, & forte sine injuria, pro substituto Polii veterum, de cujus viribus hæc apud eos:

Graviter olet, non sine quadam suavitate, amarum est & modice acre ac apud *Galenum* locum habet in 3^tio^ ordine calfacientium (*e*).

Substratum suffitumve serpentes abigit; & apud Græcos herbam Polion vestibus interseri mos erat, ad tineas enecandas.

Romam afferri solnit, sed in Italia natum fere æque bonum, præsertim illis annis, quorum universum ver humidum non fuerit, sed, sicuti sæpe contingit, æstivo tempori simile.

Ingreditur Theriacam, nec magis alia herba convenit medicamento, quod alexipharmacon vocant.

Viride etiamnum impositum magna vulnera conglutinat, & ad nervos vulneratos valet. Aridum ad rebellia Ulcera, iis inspersum, sanat utpote leniter, sive sine morsu exsiccans. Ad sanguinis eruptionem sive è pulmone ea fuerit,

---

(*e*) Infusum aquosum Polii utriusque supra dicti per multos annos mecum asservatum, præter amarorem levem, aliquid quoque adstrictionis prodere videbatur: nam eorum unum ab injecto sale Martis a flavo colore acquisivit brunneum, & alterum a flavo colore acquisivit viridem.

rit, ſive ex arteriis, prodeſt Polii faſciculus, quantum manu comprehendi poteſt in tribus heminis aquæ decoctus, ad tertias redactæ, ſi quis inde cyathos tres dederit per triduum.

Inter attenuantia & digerentia in Obeſitate nimia curanda locum habet.

Succurrit venenatorum morſibus. Urinam & ſudorem movet

Decoctum epotum alvum & menſes ciet, ſecundis mulierum, partusque mortuos pellit.

Succurrit Ictericis (*f*) & Hydropibus incipientibus in vino decoctum, & Lienoſis ex aceto.

Stomacho nocere vult *Dioſcorides*, contra *Marcellus* Polion prodeſſe ſtomachicis & morſui ventris cum melle tritum.

NOTÆ. Præfertur Polium Creticum: utriusque odor aromaticus, graviusculus, haud ingratus, ſapor amarus, ſubacris.

C. *POLYGONATUM* latifolium C. B. *Solomon's Seal.*

Graveolens eſt, & habet adſtrictionis, pariter acrimoniæ quippiam, necnon faſtidioſam quandam amaritatem explicatu difficilem.

Vulneribus efficaciter medetur: quinetiam maculas in facie delet.

NOTÆ. Polygonati Radix Odoris eſt gravis, fœtidi, ſaporis ſubdulcis, amaricantis, nec caloris vel acrimoniæ expers, maſticanti ſenſu hujus per aliquot horas durante.

In uſu cosmetico primatum ducit, cum vino vel aqua appropriata coctum vel infuſa & ... Fœminæ eo utuntur eodem modo, quo Amygdalis ad abſterſion in facie, & decoctum uſurpatur pro lotione contra lenticulas capitis ſcabiemque infantum. Maculas morbillorum emaculare dicitur, vel cumque cicatrices extergere.

Cataplaſma è radice familiare remedium eſt in ſugillationibus, & in omni contuſione, ſanguinem grumoſum efficaciter diſcutiens.

C. *POLYGONUM* latifolium, vel mas *Dioſcoridis* & *Plinii* C. B. *Common Knotgraſs.* Sanguinaria *Plinio.* Sanguinalis *Celſo.* Herba Proſerpinaca *Apuleio,* potius ſerpinaca a ſerpendo.

Habet quid adſtringens cum aquoſa humiditate.

Sto-

(*f*) Scil. in Ictero ex Obturatione, ubi febris abeſt, contra in inflammatione Hepatis nocet.

Stomachi fervori, sanguineis rejectionibus; Ulceribus quæ serpunt, ignibus sacris, inflammationibus & recentibus vulneribus folia imponuntur.

In calidis & flatuosis capitis doloribus, ab ebrietate vel ab ardore solis imponantur duo ramuli Polygoni coronæ modo, vel polygono lævigato ex lactis cremore caput sub vesperam inungito, ac superposito leporis pellem, sicque in crastinum finito.

In sanguinis eruptionibus è Naribus herba injecta nari, vel succus infusus sanguinem supprimit.

Succus tepefactus instillatus fœminarum profluvia sistit, aurium dolores mira efficacia discutit, iisdemque purulentis prodest, & facit eximie ad genitalium ulcera cum vino, adjecto melle decoctus.

Epotus succus prodest cruentæ excreationi, choleræ, alvi fluxionibus & urinæ stillicidio, urinam efficacissime ciens: & epotus cum vino quoque excreationes cruentas & cujuslibet partis profluvium inhibet; contra serpentium morsus auxiliatur: datur in febribus contra periodos, una hora ante accessionem sumptus.

NOTÆ. Folia inodora sunt: quidam iis adscribunt aciditatem: multum rubefaciunt Chartam cæruleam: recentia quidem aliquantum mucilaginosa sunt & subadstringentia, sed adstrictio evidentius se prodit in decocto, quod quoque cum Vitriolo Martis atro-viride fit, cui experimento quadrat & alterum *D. Alstoni.* Porro,

Succus mecum subsalsus erat & viridis, additoque Vitriolo Martis coloris magis fusci fiebat. Deposuit sedimentum cum liquoribus tum acidis, tum alcalinis. Infusum cum Oleo Tartari odorem urinosum emittebat, argumento salis Ammoniaci.

Radix indica magis evidentia austeritatis exhibet, scil. subdulcis & austera, atque infusum ejus cum Vitriolo Martis nigrescebat.

Confer dicta de *radice Plantaginis.*

Polygoni decoctum *Mammis* puerperarum applicatur, quando pueros ablactant ad repellendum lac, & hæmorrhoides nimis fluentes sistit.

Camerarius succum, pauco vino styptico propinatum, contra vomitum sanguineum, aliis remediis frustra adhibitis, maxime profuisse expertus est: verum, quum apud *Dioscoridem* dicatur, urinam ciere, suspicatur *Simon Pauli* non sine causa, textum *Dioscoridis* hic loci corruptum esse, præsertim quum aliæ qualitates ejus & ab ipso decantatæ reclament.

C. PO-

C. *POLYPODIUM.* Polypodium vulgare C. B. *Polypody.* Latine Filicula.

Radix austera est aliquantum, & gustu subdulcis, proinde facultatis est desiccantis, sed citra morsum.

Trita luxatis efficaciter illinitur, & adversus rimas, quæ inter digitos fiunt. Aridæ farina indita Naribus polypum consumit, authore *Plinio.*

Purgandi vim habet, & inter evacuantia satis convenienter locatur. Minute concisa inspergitur Oleri, Betæ, Malvæ, aquæ mulsæ, vel salsamento, aut coquitur cum beta, malva, cum polenta, gallina, aut piscibus ad alvum, vel in febri solvendam; vel siccata ante cibum comedenda datur, apud *Oribasium* ad drachmas duas.

NOTÆ. Radix odoris est mitis, quasi oleosi, saporis dulcis, subamari, subausteri, subacris, nauseosi.

Infusum ejus & succus cum Vitriolo Martis viridescebat: succus cum liquoribus alcalinis spissior, non tamen clarus erat cum Acidis, nec albumen ovi nec salivam coagulabat.

Videtur continere salem aluminosum & saccharinum. Dulcedo hæret in principio tum gummoso tum resinoso, acredo autem & moderata virtus adstrictoria in resinoso.

Experientia docet valde mediocriter purgare in jusculo coctam.

Præter vim leniter purgantem, quam in primis viis exerit, abstersoria quoque virtute se commendat in viscerum abdominis & pectoris pathematibus, v. g. in cachexia, liene tumido, ictero, infarctu glandularum mesentericarum, malo hypochondriaco, tussi, asthmate, vitiis renum & anomaliis hæmorrhagicis.

C. *POMPHOLYX.* Nil vel Nihili Album.

Veterum erat fuligo Cupri in parietibus camerisque fornacum ærariorum collecta, quæ & hodie haberi posset ex officinis ærariis.

Tutia Arabum, qui scilicet Pompholyga & Spodium uno nomine Tutiam appellant notandum vero, quod Pompholyx Græcorum à Tutia Arabum diversa erat, illa enim lævis erat & alba, sed Arabum Tutia flava.

Pompholyx & Spodos, authore *Dioscoride*, specie sola distat, non genere item, siquidem spodos quodammodo nigricat, & plerumque ponderosior est, Pompholyx vero pinguis est & candida, insuperque levissima, ut in aërem evolare possit.

Optima aceto subacta odorem æris præstat, & colore æruginem quodammodo refert, si tangatur lingua saporem horridum præstat, atque, si fraudem

dem non experta, ignito carboni imponatur, infervescens citrum contrahit colorem.

Vis ejus, summatim a *Dioscoride* tradita, est adstringere, refrigerare, explere, purgare, spiracula cutis obducere, ac quadantenus exsiccare, & numeratur inter medicamenta, quæ leniter crustas obducunt.

Lota, omnis acrimoniæ expers, parum quid adstringens habet.

Est medicamentum prope omnium, quæ citra morsum deficcant, si elota fuerit, præstantissimum, quamobrem ad ulcera cancrosa idonea est & ad omnia maligna: summatim, ubicunque requiruntur medicamenta suavissima minimeque mordacia, ut sunt universa sedis ac pudendorum ulcera contumacia; in nervis per directum, non per transversum divisis & denudatis, ubi Calx sæpe elota & Pompholyx elota, atque in largo rosaceo liquata, adhibenda; hinc Pompholyx lota ingreditur Emplastra Eunuchorum, mulierum ac aliorum mollium corporum Ulceribus convenientia ad cicatricem sine dolore inducendam: hinc in Ulceribus cancrosis adhibetur Lac, Pompholygi admistum; & albumen ovi miscetur Pompholygi elotæ, tanquam anodynæ, in Ulceribus rebellibus.

Confert & Pompholyx achoribus cum dolore: inditur & collyriis, quæ ad oculorum imponuntur fluxiones acres, quæque bullas seu pustulas in eis natas aut ulcera curant.

Lota commoda est ad corrosas dentium gingivas: & igni sacro medetur Oesypum cum Pompholyge & rosaceo.

NOTÆ. Nostra constat præcipue e floribus Zinci, veteribus incogniti, cum exigua quantitate Cupri; proinde, quum Veterum Pompholyx erat merum recrementum Cupri, nostra minus acris est, deficcans tamen, ut Pompholyx Veterum.

Insipida est & inodora: omnes virtutes deficcativas Tutiæ possidet, sed minus acrimoniæ, proinde præstantior in collyriis.

Usu interno, authore *Lemery*, vomitum satis violentum excitat, aliquando in febribus intermittentibus data a ℈ß ad ℈ij.

Legitima raro in officinis nostris extat, vera non, vel parum ebullit cum Acidis, adulterata vero valide, ut nostra.

C. *POPULUS* nigra C. B. *The black Poplar.* Gemmæ.

Dioscorides Populi albæ & nigræ meminit, addita nulla descriptione; *Plinius* albæ, nigræ, Libycæ.

Nigra fundit Resinam exiguam, quæ acopis & malagmatis miscetur; & forte memoratu dignum est, quod *Dioscorides* prodit de lachryma Populi, etsi errore,

errore, quatenus spectat ad generationem succini, scilicet, „ Attritu jucun-
„ dum odorem spirat, & colore aurum æmulatur. Tritum potumque sto-
„ machi alvique fluxiones sistit ". Talis enim fere est humor flavus viscidus ex oculis Populi nigræ nostræ inspissatus.

Ex Gemmarum flavo & viscido humore, scil. ex gemmis Populi & herbis refrigerantibus Officinæ Unguentum Populneum conficiunt ex *Nicolao Myrepso*, de quo Unguento hæc ille: „ Somnum conciliat, febrientibus caput
„ propter calorem inunctum temporibus prodest: febricitantibus plantæ ma-
„ nuum ac pedum, & pulsus inunguntur ".

NOTÆ. Folia, tum recentia, tum sicca, subadstringentia sunt eorumque infusum & decoctum cum Vitriolo Martis viride fit.

Surculi extremi & Germina primo vere prodeuntia, glutinosa seu resinosa sunt, odoris grati, mitis, storaci fere similis, succum præbentia flavum, balsamicum, in Spiritu Vini solubilem, cujus Extractum resinosum fragrantis est odoris, gustus subacris, Balsama multa exotica viribus æquiparans. Huic tribuitur vis attenuans, emolliens, obtundens, anodyna, & Tinctura ejus cum Spiritu Vini parata, præstans esse remedium dicitur contra Alvi fluxum veterem & Ulcera inveterata, data ad ʒj in jusculo mane & vesperi.

C. *PORRUM*

1. *PORRUM capitatum* C. B. Porrum capitatum Plinii *Hermolao*. *Leeks*.

2. *PORRUM sectivum* latifolium C. B. Porrum sectivum Plinii *Cæsalpino*. *Cut or unset Leeks*. *Gerard*.

Hæc duo genere non differunt, cum ex eodem semine generentur, & cultura solum discrepant, quia id quod ad culinaria jiscula sæpius detonderi solet, sativum aut sectile *Columellæ* & *Palladio* nominatur; quod vero capitatum fieri debet, non tondendum, & autumnali tempore transferendum, etiam *Plinio* monente. C. B.

Tædium sui movent ob odorem illiberalem, quem vescentes expirant, qua de causa *Martialis Tarentinum* accusavit.

Fila Tarentini graviter redolentia Porri
Edisti quoties, Oscula clausa dato.

Porrum est olus acre, attenuans, & pravus cibus donec coquatur. Corpus calfacit, humores crassos tenuat, lentos incidit. Usus ejus immoderatus febrem aliquando suscitavit; proinde abstineant ab ejus usu assiduo biliosi, solis enim

eum, qui vel succum pituitosum, vel crudum ac crassum & lentum acervarint, convenit.

Ructum acidum sedat.

Ut reliqua acria locum habet inter ciborum Obsonia, v. g. Lactucæ admistum: & in piscium cartilagineorum præparatione admiscetur; additur quoque Farri ad corrigendum ejus lentorem: ut & cum anetho Ptisanæ. Urinam ciet.

Tritum, in aqua dilutum, cibo dat *Hippocrates* in Lacte extincto: quo fœcunditas mulierum dicitur augeri.

Inflationem facit: tumultuosum somnum parit. Oculorum aciem hebetat. Contritum ex melle ulcera purgat.

Ori vulvæ Succus admotus Menstrua ducit, necnon bibendus datur ad eundem effectum apud *Hippocratem*. Coma ejus, in aqua maris & aceto cocta, in defessionibus ad præcisiones vulvæ & duritias uteri habetur.

Succus inter purgantia locatur a quibusdam, dicuturque sanguinem educere, & lædere exulceratam vesicam renesque.

Cum elixum fuerit, acrimoniam deponit, nec succi pravitatem amplius retinet, sed aliquantum nutrit. Urinam ciet & alvum movet: datur in puerperii purgamentis in grumos coactis, & dolore in imo ventre.

Cum ptisana coctum, aliterve in cibo sumptum coram, quæ intra thoracem, excreationes juvat; & probe coctum pro victu datur in moderatioribus inflammationibus (asperæ) arteriæ.

Contusi succus expressus cum oleo decoctus & epotus plurimum tussientibus prodest.

Folia sestivi cruda, demptis capitibus, sine pane assidue manducata, Uvæ destillationi prosunt.

NOTÆ. Cepas & Allium imitatur, odoris magis fœtidi quam Cepa. Coctum, bis mutata aqua, dulce fit, & multo minus inflans: crudum enim difficilis est concoctionis ob phlegma viscosum, unde flatus excitat, & mala capitis, somnosque turbulentes affert, & visui officit.

Lac & Butyrum animalium comedentium odore suo inficit.

Acrimonia ejus non elevatur, sed perit inter destillandum.

Applicatur ambustis, licet etiam calidum sit, mira vi impressum caloris vestigium ad [illegible] applicatur quoque ad promovendam suppurationem, [illegible] cum butyro frixum vel coctum; & [illegible] Brassicæ, vel in sartagine frixum cum aceto applicatur [illegible] in pleuritide.

Succus & Decoctum corrodit & comminuit Calculos etiam duriores infusos, [illegible] quam Aqua Calcis.

Usa

Usu interno mucilaginem pulmonum attenuat; & succus feliciter propinatus fuit in hydrope.

In cibis admodum utile, si folia tusa aceto temperentur: scorbuto adversatur, phlegma ventriculi & uteri incidit & attenuat; semen genitale calefacit & auget.

C. *PORTULACA* latifolia seu sativa C. B. *Purslane.*

Plinius Portulacam cum Peplio, herbâ diversissimâ, confundit; causâ erroris, quod aliqui Peplion Portulacam agrestem vocârint. confundit quoque vires sylvestris cum Portulacæ sativæ viribus.

Frigida & aquea temperie est, paucæ particeps aciditatis, lentorem habens, nec solus præ lentore exprimi potest, unde, dum in mortario tunditur, affunditur ei humoris quippiam, quæ tenuis aquosæque substantiæ est, qualis est uvæ immaturæ rosarumve succus: & hinc suo lentore, morsus experte, dentium stuporem, qui ab acidorum succorum contactu, vel ex acriore acerbove aliquo cibo ortus est, sanat.

Fluxiones repellit, maxime biliosas & calidas, cum, eo quod mutet eas, & in qualitate alteret, magnopere refrigerat. Imposita cum polenta capitis doloribus, ac tum oculorum, tum aliarum partium inflammationibus auxilio est. Ad capitis dolores, ab æstu solis obortos, cum rosaceo aut simplici Oleo irrigatur, & fervente æstuanteque vehementius capite fotus adhibetur è succo & aceto.

In Erysipelatis quoque auxilio est: linteo duplicato infusa, extrinsecus extensa super locum, v. g. Hypochondrium, nec diu ibi morari sinendum, sed ubi tepidum evaserit, illo abjecto, alterum simili modo imponitur, quod agendum usque dum æger se in profundo refrigerari ac siti liberari persentiat; & in Erysipelatis affectione, oborta propter duri stercoris excretionem, extrema recti intestini parte læsa, in clystere, oleo & ovo commistus adhibetur.

Ad Aphthas in pueris simplicissimum Pharmacum est Portulaca, melle tincta & manducata, vel cibis permista in Aphtha inflammata.

Ad genitalis seminis profluvium & impetus Veneris solvendos succus, Cerato permistus, totis lumbis inungitur.

Authore *Aëtio*, in æstuosis febribus commodat, si super os ventris totaque præcordia imponatur; & si probe teratur, adjecto ovo crudo una cum vitello & candido, admistoque rosaceo acetique momento, è vestigio non vulgarem lenitudinem inducit in febribus ardentibus, si corpus universum inde illiniatur, uno penitus extinguit ut neque amplius ulla exacerbatio contingat: ac succus epotus in febribus efficax.

Olus est frigidæ humidæque naturæ, temperamento atque anni temporibus

calidis accommodam, nutrimentum habens exile, idque frigidum, humidum & glutinosum. Stomachi & intestinorum æstuationem, dolorem, fluxionemque demulcet, præsertim si bene coquatur & edatur ex aceto.

Et ubi ab alvi fluxu exolutæ fuerint vires, hæ reficientur Portulaca, abjecta sæpius aqua excocta, utpote victu crasso, sic enim sistit alvi fluxum, si cum aceto, aut uvarum immaturarum succo exhibeatur.

Valet & diu multumque cocta contra teretes lumbricos, cruentam excreationem, dysenteriam, itemque ad hæmorrhoïdas, sanguinis eruptiones, muliebre profluvium, & ad sepis morsus.

NOTÆ. Condimentum ejus simplex, authore *Trago*, æque utile est & æque grati saporis, ac quod ex Cappari & Oliva conficiunt Galli & Itali.

Folia mucilaginosa sunt, saporis subacidi, salini: talis est & succus. Caules speciatim saporis sunt subsalsi, instar salis prunellæ, & ex decocto salem, Nitro similem, eductum fuisse author est *D. Crantz*.

Ad Sedi naturam accedit: vulneribus imposita præcavet inflammationes: tonsillarum & oris ulcera sanat: masticata & comesta sanguinis eruptionem è gingivis in scorbuto compescit: dentes mobiles firmat.

In stupa cannabina imposita, est utilissima ad provocandum somnum in infantibus, qui ob nimios calores dormire nequeunt.

In ardore ventriculi cruda comesta egregium est epoprifton, unde Itali, hujusmodi affectibus ob caliditatem loci obnoxii, portulaca in acetariis suis utuntur.

In scorbuto putrido, in febribus ardentibus, & in ardore Urinæ valet; ac succus inspissatus, in pilulas redactus, ℥j pondere exhibitus, renes potenter deterget, authore *Riverio*.

Si copiose sumatur in cibo impetus Veneris reprimit; & succi ℥vj dantur ad sistendas hæmorrhagias quascunque speciatim hæmoptysin.

Antiscorbuticis acrioribus commode sociatur ad acrimoniam eorum temperandam.

D. PRIMULA Veris. Verbasculum sylvestre majus singulari flore, C. B. *Primrose*.

Flores odoris sunt mitis, grati, aromatici. Aqua destillata quoque odoris est mitis, aromatici: decoctum residui a destillatione dulce est & adstringens, ac cum Vitriolo Martis statim viridescit, & acre est in gutture: hoc quoque salivam tingit colore flavo, & Extractum manus inficit eodem colore, saporis est dulcis & acris in gutture per horam. Succus maculas faciei deterget.

Partis

Partis dulcem, gratum saporem dant.

Ex his cum butyro Maiali fit Unguentum, in inflammationibus, vulneribus recentibus & contusionibus utile.

Usu interno Aqua & Conserva blandum concilliant somnum, & egregiam praestant virtutem in epilepsia & affectibus spasmodicis.

Foliorum, ut Radicis, contusorum odor aliquantum penetrans est, sapor austerus & acris in gutture per horam, & pro errhino, authore *Floyero*, instar Ellebori operantur. Succus saporis est aliquantum salsi & calidi, atque ab affusione liquorum alcalinorum aliquantulum coagulabatur.

In Acetariis, primo vere quando folia tenella sunt, comeduntur, & folia adhuc tenera, cum sale, oleo & aceto commanducata, alvum adstrictam laxant.

Horum & florum succus cum p. ae. *Lactis*, naribus frequenter haustus, Cephalalgiam inveteratam, aliis non cedentem, curavit.

Radix contusa aliquantum viscida est, & inter contundendum odoris penetrantis. Succus adstringens est, amaricans, acris in gutture per horam.

Siccae in autumno collectae ʒjß in Alla aut Vino emeticum est, instar Asari, sed tutum, authore *Gerardo*.

Decoctum in zythogala aut alio vehiculo idoneo, dicitur remedium esse in vertigine.

D. *PRUNELLA* major folio non dissecto C. B. *Selfheal.*

Quidam ei adscribunt viscositatem & saporem stypticum cum tantillo amaritudinis; mihi summitates subadstringentes, & decoctum obscure salini saporis erat, & ulterius protractum subadstringens, ac cum Vitriolo Martis viridescebat. Chartam caeruleam rubefecit: succus quoque subsalsus erat, viscidus, & nil mutationis patiebatur a liquoribus acidis vel alcalinis.

Extractum subacre erat, & masticatum sentiebatur inter dentes quasi sabulosum quid, vel friabile instar sacchari candi: an a salis essentialis copia, ut in Acetosa & fructu Berberis? Porro, salia fixi ingentem quantitatem exhibuit, sc. a ʒjß gr. xv, salis lixivialis ℈ij gr. xij. Hinc de hac planta sic loquitur *Boerhaavius*: Vires habet scabiosae, planta mollissima & saponacea, aliquid salini nitrosi in se habens, humiditate laxans & simul aperiens, unde in omni morbo rigido, sicco, & in omni inflammatione convenit.

Usus ejus praecipue externus est, v. g. apud rusticos rasa, vel cum axungia trita & applicata vulnera consolidat & sanguinem sistit; privatim Lotio ex ea in vulneribus a sclopetis laudatur, creberrimeque usurpatur decoctio in angina, aliisque oris & faucium inflammationibus, ardorem extinguens, itidemque in Ulceribus oris, & aphthis, in Ulceribus putridis sedis & pudendorum;

rum; & decoctum vel succus ad gingivas scorbuticorum exulceratas, abstergens & consolidans; speciatim a sananda Angina nigra, *de Bren* Germanis dicta, in gangrænam vergente, nomen Brunella obtinuit, & apud nostrates *Keannaran beug*, ob vires ejus in curanda febre, *Little Fever* dictæ, vel Intermittente, in sero lactis propinatæ.

1. C. *PRUNUS Damascena* offic. Pruna magna dulcia atro cærulea C. B. *The Damask Prune.*

Ex Syria ad Venetias sicca adferuntur, sed raro apud nos inveniuntur; eorum autem loco Gallica usurpantur. Græcis Coccymelea. Pruna omnia post *Catonem* cœpisse author est *Plinius*.

2. *PRUNUS Gallica* offic. Prunus C. B. domestica *Ger. The common Prune or Plum tree.*

Prunus tum sativa, tum sylvestris nota fuit *Dioscoridi*, qui inter sativas præfert Damascenas, quas alvum adstringere, Galenus contra alvum solvere, ait. Hinc Pruna nostra Gallica recte substituuntur Prunis Damascenis *Galeni*, sed non Prunis Damascenis *Dioscoridis*.

Matura suavia sunt, immatura acida, acerba aut amara. Parum nutriunt ob multitudinem humiditatis. Humida sunt & pituitosa, potissimum si cruda, non elixa, mandantur.

Alvum subducunt matura, tum humiditate sua, tum lentore, præsertim recentia, acida minus, ventrem tamen palam subducunt, etiam Damascena siccata, authore *Galeno*, minus tamen quam dulcia, præsertim Hispana, quæ dulciora.

Refrigerant quatenus acida, etsi modice dulcia, & proinde ad corporis squallorem caloremque æstivo tempore curandum commode sumi possunt, & ad lenem alvum solvendam.

Ad alvum dejiciendam confert, post ipsa sumpta, Vinum dulce adhibere, non autem statim post prandere.

NOTÆ. *Pruna Damascena & Gallica.* Loco Damascenorum nobiscum usurpantur Pruna Gallica, dulcia, subacida, aliquando acida, ampliora & dulciora, quam vulgaria.

Salinis, subacidis particulis, cum tenui suavique mucilagine temperatis, exuberant, & Mustaceam pene indolem referunt. Acrimoniam humorum obtundunt, sitim mitigant, salubre euporiston in siccitate alvi & ardore bilioso.

Prostat Historia Mulieris in *Miscellaneis Curiosis*, quæ Pruna Damascena sumebat

mebat in cibo, quod quoties fecit, toties urinam absque dolore aut ardore crassam & nigerrimam reddidit.

Brignolensia flavo-rufescentia mixti saporis gratissima C. B. *The Prunello*, ab urbe *Brignole* in *Provincia* dicta, magis acida sunt quam Gallica vulgo dicta, sed saporis acido-vinosi cum dulcedine: refrigerant magis, sed citra alvi commotionem, adeoque esui aptiora; & refrigerium gratum exhibent in febribus.

C. *PRUNUS* sylvestris C. B. *The Sloe tree or Black thorn.*

Græcis κοκκυμηλέα ἀγρία, quod rotunditate & magnitudine Cocci mala ferat: *Virgilio* 4 *Georgic. Spinum.*

Fructus evidentèr adstrictorius est, & decoctum post maturitatem exsiccatarum baccarum collutione & gargarizatu uvam, gingivas & tonsillas, fluxione laborantes, reprimit. Cum sapa decoctæ stomacho utiliores redduntur, & ad cohibendam alvum aptiores. Vel si in vino austero decoquantur, ita, ut triens ex hemina supersit, alvum & tormina sistunt.

NOTÆ. Fructus viridis acidus est, valde austerus & pulchre ruber: succus albumen ovi, serum sanguinis, sanguinem ipsum & salivam coagulat. Cum liquoribus alcalinis coagulatur, cum acidis rubrior & clarior fit. Chartam cæruleam rubefacit æque ac Alumen.

Quidam ex hoc parant Acetum fortissimum, scil. succo ex immaturo expresso, & per Alembicum in Balneo *Mariæ* dephlegmato.

Succus, casu in oculum illapsus, Nubeculam albam destruebat.

Edendo non sunt hi Fructus, donec a gelu maturescant.

Succus inspissatus differt ab Acacia Ægyptiaca in hoc, quod non tantum in Aqua solvatur, sed & in spiritu Vini rectificato, quum Acacia dicta non solvatur in spiritu Vini.

Exsiccati & pulverisati, Vino infusi, dicuntur egregium esse diureticum, urinas mire pellens.

Authore *Trago*, nihil reperitur efficacius adversus Vini penduli vitia, quam Pruna sylvestria, hoc modo usurpata. Pruna, antequam colore flavo tingantur, leguntur & in mortario tusa, pro magnitudine vel exiguitate vasis, multa aut pauca vino injiciuntur, cumque probe vino agitatione proba commixta fuerint, obturatur vas per dies viij vel x: tum intra paucos dies Vinum restituitur

Flores Amari sunt & odoris saporisque grati, *Ratafia* dicti, ut Persicæ flores, quibus quoque viribus similes sunt, scil. recenter collecti in sero lactis aut Vino infusi & repetita infusione florum recentium vel blande ebulliti

gratum fiat catharticum, in infantibus ad ℥j vel ij, sed exsiccati & syrupus vetus purgantem vim amittunt.

Tragus refert, sibi plurimis experimentis compertum esse, Aquam horum destillatam, vel cum Flores recentes vino forti per noctem infundebantur & in balneo Mariæ destillabantur, singulare remedium esse in pleuritide & peripneumonia, necnon in Cordis & stomachi doloribus, compressionibus & punctionibus; *Chomel* idem testatur de infuso eorum per biduum in Vino albo, ab ℥iv ad vj & sudoriferum esse: porro & renum sabulum educere dicuntur.

C *PSYLLIUM* majus erectum C. B. Latinis Herba pulicaris, vel Pulicaria. *Fleawort.*

Fama est, si recens herba domum importetur, pulices arceri. Tusa cum adipe sordida malignaque ulcera expurgat. Succus fluxione infestatis & verminulosis auribus ex melle prodest.

De semine præcipue agunt Veteres, & quidem de usu ejus externo: Acetabuli mensuram tritam in duabus aquæ heminis macerari oportet, ac ubi aqua sese densaverit & lentorem contraxerit, illum, utpote ad refrigerandum, inspissandum & molliendum convenientem.

Est quoque hæc Herba contra Erysipelata efficax, oculis lachrymantibus utilis, fronti illita epiphoras suspendit, inflammationes uteri lenit.

Quin & usu interno, in Tenesmo bibitur Psyllium in aqua.

Articulorum morbis, parotidibus, tuberculis, œdematis luxatisque illitum auxiliatur, & capitis dolori cum rosaceo, aqua aut aceto impositum. Enterocelis infantium ac prominenti umbilico, illitum ex aceto, medetur.

Apud *Dioscoridem*, in libro sexto Editionis *Caspari Bauhini*, Psyllium recensetur inter Venena usu interno, scil. epotum, proinde de hac re audiendus est *Mesue*, qui longe fusius & clarius sic:

„ Psyllium compositum est ex duabus substantiis,

„ I. *Exteriore*, expansa super corticem infrigidante. Quod ex eo conquassatum est cum aqua fontium frigida fit mucilaginosum, bibitur & solvit ventrem, ac confert febribus inflammationis multæ, sitive vehementi, & sedat inflammationes spiritualium, haut pectus. Ipsius potio est a ʒj ad ʒiij. Timeat autem ipsum cujus debilitata sunt viscera.

„ Conquassatum cum aceto confert apostematibus calidis, erysipelati & formicæ, sedat inflammationes omnes proprie carbunculorum speciei, & similiter sodam (g) vehementem.

„ II. Sub-

(g) Capitis dolorem.

" II. Substantia ejus interior medullaris est, calida & sicca in quarto gradu, & est acuta, vehementer incisiva, rubrificativa, alterativa, & est de genere veneni; proinde contritum potui nullo modo propinandum est, deoccultat enim contritio ejus substantiam ejus medullarem excoriativam & ulcerativam ".

NOTÆ. Folia recentia viscida sunt & graveolentia.

Semina saporis sunt valde mucilaginosi, simulque acris & nauseosi: exigua eorum quantitas, v. g. ℈j ad ℥iv aquæ consistentiam lubricam & unguinosam inducere valet, quæ Mucilago feliciter adhibetur in fissuris labiorum, linguæ, mammillarum excoriationibus, ambustis & ophthalmia sicca.

Verum, præter mucilaginem insignem, masticanti sentitur quoque acrimonia, satis diu durans, & Authores plures graves vim Alvum movendi ei tribuunt, & hinc utile compertum esse in diarrhœa ac dysenteria, utpote recrementa evacuans, & simul acrimoniam humorum temperans. His adstipulatur Experimentum Spiritus Vini, extrahentis ex hoc semine materiem acrem saporis ingrati, a mucilagine distinctam.

Contra *Mesuem* moderni sedem acrimoniæ locare velle videntur in Cortice.

Utcunque *Pr. Alpinus* testatur, Ægyptios frequentissime uti Mucilagine, Aqua Rosarum extracta, in febribus biliosis ardentibus, pleuritide, peripneumonia, diarrhœa & dysenteria, unde *Dioscoridem* & *Mesuem* redarguit, qui Venenum ei adscribunt.

C. *PTARMICA* vulg. *Park.* Dracunculus serrato folio pratensis C. B. *Sneeze-wort. Bastard Pellitory:* nonnullis *Goose-tongue. Raii Synops. Stirp. Brit.*

Pro succedaneo Ptarmicæ *Dioscoridis* admitti potest, etsi locus natalis vix conveniat. Temperies ejus est calida & sicca. Capitulum & flores suo acri odore sternutamenta excitant.

Folia viridia cum floribus, si contundantur, sugillata & reliquas ecchymoses digerunt.

NOTÆ. Folia odoris sunt leviter aromatici, saporis subsalsi, subadstringentis & diu masticanti penetrantis, instar radicis Pyrethri, sed mitioris, & non diu durantis.

Succus partium coagulabatur tum ab Acidis tum ab Alcalinis.

Decoctum odoris & saporis ejusdem est, & cum Vitriolo Martis viridescit.

Herba cruda additur Acetariis, ad frigiditatem eorum temperandam & corrigendam.

Flores odoris sunt evidenter aromatici, saporis amari, dein calidi, instar radicis Pyrethri. Eorum decoctum odoris est ut supra, & saporis adstringentis, calidi & cum Vitriolo Martis viridescit.

Errhinum est & apophlegmatizans, præcipue Flores; & radix mansa dentium dolores mulcet & pituitam detrahit. Viribus Pyrethro accedit, & in ejus defectu usurpari potest.

C. *PULEGIUM* latifolium. C. B. *Penny royal or Pudding grass.*

Pulegium Latinis, quod ejus flos, recens incensus, pulices interficiat.

Herba acris est & subamara. Odor ejus nauseam prohibet. In aceto incoctum naribus lethargicorum admovetur, & ad recreandos defectos animo. Olfactu quoque capita tueri contra frigorum æstusque injuriam traditur. Sic *Apuleius*: Herbam tecum, aut super aurem, aut sub annulo portato: hoc & hyeme tota facies, nec gravedinem senties, nec perfrictionem. & *Xenocrates* Pulegii ramum, lana involutum, in tertianis ante accessionem olfaciendum dari, aut stragulis subjici, & ita collocari ægrum inter remedia, tradit.

In victu usus ejus est insignis, unde secundum locum inter Olera attenuantia tenet, scil. post allium, cæpam, &c. & concoctiones juvat. sic Lens suavior fit, & concoctu facilior, adjiciendo Pulegium. in jecore & liene obstructis exhibentur ficus cum Pulegio longe ante cibum: & si aquæ insalubres bibendæ sint, tritum inspergitur.

Valde tum excalfacit, tum extenuat: illitum enim rubrificat, & si quis diutius toleret, exulcerat quoque. In balneis ad calefaciendum adhibetur. Forinsecus, cataplasmatis modo, impositum tum ischiadicis, tum alios perfrigeratos rubrificat, & podagris subvenit impositum donec rubescat locus.

Quod vero extenuet satis indicat cum humida crassa & lenta ex thorace & pulmone excreatu facilia faciat, mensesque moveat, & cum Cerato varos extinguat: lienosis cum sale utiliter illinitur: & contra inflationes duritiasque vulvæ in desessiones convenienter adjicitur.

Porro, decoctum ejus lotione ablutas pruritigines mitigat, & conversas vulvas corrigit: ad partum difficilem Pulegii fasciculus in aquam mittatur, & in ea mulier insideat.

Illitum cum polenta inflammationes omnes sedat.

Usu interno est diureticum valde, & sudorem provocat; alvum movere auctor est *Hippocrates*. Potum menstrua, secundas & partus ejicit. Convulsis

vulsis auxiliatur. Nauseas, stomachique erosiones ex posca permulcet. Bibitur in vino utilissime contra serpentium morsus.

NOTÆ. *Odoris est fortis, ex aromatico & foetido mixti, saporis acris, calidi, subamari. Montanum valde acre, ut Veterum, & nobiscum solo macriore longe fortius.*

Oleum stillatitium copiosum præbet: decoctione perit odor & sapor.

Chartam cæruleam valde rubefacit, aliter tamen naturæ alcalescentis indicia exhibet; nam succus ejus fluiditatem retinet cum liquoribus alcalinis, sed coagulatur cum Spiritu Vitrioli & Oleo sulphuris.

Extrinsecus dentes absterget & tumores resolvit. Aqua & Succus claritatem oculorum adjuvat.

Carminativa est *Aqua*, quam plures gravidæ sumunt cum Vino destillatam, contra tormina. Nostrates botulis, cruore distentis, *Sausages* dictis, Pulegium concisum immiscere & incoquere solent, unde *Pudding grass* vocant: crassam & viscidam mucilaginem in intestinis attenuat. Succus ad Cochleare j in Pertussi infantum, admisto tantillo sacchari candi, efficacissimus est, testibus *D. Hulse & Boyle*; & ad ℥j vel ij, melle aut saccharo edulcoratus, omni mane vacuo ventriculo sumptus, est optimum expectorans, asthmatis morbosque pectoris pituitosos perfecte sanans.

Ad Raucedinem ℞ decocti Pulegii edulcorati ℥vj, quas sumat æger cubitum iturus. An vero ad hunc scopum Infusum non potius adhibendum?

C. *PYRETHRUM.* Pyrethrum umbelliferum C. B. *Pellitory of Spain.*

Neutiquam satis liquet, quænam è pluribus radicibus, pro Pyrethro propositis, revera Pyrethrum Veterum fuerit. E tribus, ab *Hill* in sua Materia medica recensitis, supra cognominata *Bauhini* species descriptioni *Dioscoridis* magis convenit, sed minus acris & vires Pyrethri Veterum minori gradu possidens; verum duæ priores apud eundem authorem frequentius apud nos repertæ, etsi radices plantæ diversi generis, pro substitutis Pyrethri Veterum, utpote acrimoniam insignem possidentes, admitti possunt, cujus vires proinde, ab iis traditas, hic recensere non gravabor, scil.

Radix gustu est fervidissimo, & adurentis facultatis, si diutius corpori inhæreat. Mansa pituitam extrahit, unde in dolore dentium decocta in aceto, colluto inde ore, auxiliatur.

Succorum abundantiam, quæ in oculos vel aures ex capite fertur, ad os quoque traducit commanducatum. Purgat quoque caput per nares.

Sudores ciet, peruncto ex Oleo corpore: facit ad longos in accessionibus febrium cum tremore algores, cum oleo confricatum.

 Palpi-

Palpitationis & Tremoris a causa frigida remedio est.

NOTÆ. Ab igneæ qualitatis impressione dicta, inodora est, & Herba salivalis quoque nuncupatur, quod salivam eliciat: masticanti primo sentitur odor, dein aciditas, authore *Floyero*; verum secundum *D. Alstonum* calor ejus, etsi forte magis intensus, quam Ari, Iridis vel Laureolæ, minus tamen doloris excitat, & authore *D. Albino* in M. S. Acidum potenter infringit, cum Aqua forti ebulliens, & convenit in intemperie ventriculi acida.

Acrimonia hæret in materie resinosa fixa, quæ integre extrahitur Spiritu Vini solo, nec avolat inter destillandum.

Quatenus apophlegmatizans optimum, in paralysi linguæ valet; speciatim in aphonia, ab apoplexia profecta, valde utiliter sub lingua tenetur, necnon in tumore œdematoso sub lingua, Ranula dicto, in infantibus ad resolvendum tumorem & extrahendum mucum.

Oleum, in quo decocta fuit, sugillationes tollit & in paralysi prodest. Praxin Veterum confirmat *Tragus*, inquiens „ Unguentum, ex Pyrethro & Oleo „ Chamæmelino confectum, si eo spinam dorsi inungas, teque in lectum componas, & probe contegas, ad rigores febrium, ne redeant, mirifice conducit. " Clysteres acres ad intestina stimulanda inde parantur, v. g. in apoplexia.

Datur Radix a ℈j ad ij, usu interno, diaphoretica, diuretica, & ad Venerem stimulat: quin & *Tragus* affirmat, sibi experientia compertum esse, Semen aut radicem, vino decocta & pota, lentos ac frigidos humores per urinam & alvum ducere.

C. *PYRUS* sativa C. B. *The Pear tree.*

Ab Alexandria & Græcia ad Romam transferebatur; & apud antiquos multa fuere Pyrorum genera, nobis vero per insitionem plura, quam apud eos. Pyraceum nostrum, *Perry* dictum, non novitium est inventum, sed *Plinii* ætate in usu fuit, scil. Vinum e Pyris.

Pyrorum, inquit *Dioscorides*, multa sunt genera, sed omnia adstringunt. Verum accuratius *Galenus* sic: Ut Mala, sic Pyra alia sunt austera vel acerba, alia acida, alia dulcia; alia ex horum mistione composita: & alia, quæ nullam penitus hujuscemodi qualitatem habent exuperantem, quo fit, ut cum aquea & hebetia sint, omnis facultatis roborandi sint expertia.

De austeris vel austero-dulcibus accipienda sunt, quæ sequuntur, scil.

Eorum adstrictio suavis est, dulcedinis aqueæ particeps. In tenues orbes secantur, &, postea siccata, reponuntur in vasis fictilibus picatis, quæ elixa, vice ciborum parum nutrientium, hyeme & vere, cum fames est, mandunt: sunt

sunt enim pauci alimenti, crudum frigidum, viscosos & frigidos humores generans, d[illegible] cocta vero [illegible] ac stomacho grata, & sitim prohibent. aquæ ferventis vapore percocta ad ventriculum subversum dantur, & Pyrorum Cremoris sorbitio ad stomachi ardorem cum syncope prodest.

Quando est descensus cibi, ante suam digestionem, debent ministrari cibi stringentes stypt[ici], v. g. Pyra.

Convenienter adduntur Cataplasmatibus repellentibus. His illitis, inquit *Galenus*, vulnus glutinasse memini, cum aliud ad manum esset nihil.

Pyra non permatura ore continere, ubi a dentibus gingivæ recedunt, præcipit *Celsus*. In Aphthis infantum admiscetur.

Decoctum è siccis, & cruda ipsa alvum sistunt.

NOTÆ. *Cordus*, in Historia, 50 genera Pyrorum recenset: ipse ex quodam genere paravi Extractum æque dulce ac Mel, & quidem ʒvj gr. xxvj ex ℥iij residui a destillatione.

Succus Pyri, *Burgamot* dicti, in quo frustulum Calculi undecim dies digerebatur, hoc dissolvebat.

Dulcia laxant, acida & acerba adstringunt.

Ex Vino Pyraceo fit Acetum, rusticis bene notum.

Simon Pauli commendat Pyra, tanquam salubria non initio, sed fine prandii, stomachum roborantia & tanquam claudentia: porro, ipse refert Historiam memorabilem Viri, qui, cum Alvus ei sistitur, & inde male se habere cœpit, nullo alio remedio utitur, quam Pyris crudis, unde quinquies aut sexies alvum dejicit; allegans credibile esse, illius intestina justo humidiora, sed expultricem facultatem languidam & debilem esse, donec suppetias ei ferat vis roborans Pyrorum.

C. *PYRUS* sylvestris C. B. Pyraster. *The Wild Pear-tree.*

Pyra sylvestria, nuper enata, acerba siccaque sunt, at progressu temporis humidiora redduntur, acquiruntque ad humiditatem, aciditatem, quam sensim exuentia, postea, dum maturescunt, dulcia evadunt. *Ars* simile quid efficit; nam quo magis Pyra sylvestria coquas, tanto ipsa dulciora efficies; ipsum vero decoctum acerbum efficitur.

Pyraster ad eadem, quæ Pyrus sativa, convenit, sed ejus vis adstringentior est. vulnera magna glutinat; & in columella inflammata decoctum ex pyris acerbis pro gargarismo adhibetur.

Notandum, quod esus Pyrorum adstringentium quibusdam ventrem dejicit, scil. iis, qui stomachum habent imbecillum, cum postremis epulis adstringentium quidpiam sumpserint.

Q.

C. *QUERCUS* cum longo pediculo C. B. Quercus vulg. *Ger. The Oak.*

Δρῦς vel Quercus nomine antiquis arbor omnis glandifera accipitur.

Nomina & descriptiones variarum Quercus specierum a veteribus, *Theophrasto & Plinio* propositas, Quercubus, hodie notis, accommodare difficillimum. *Dioscorides* de Quercu agit, addita nulla descriptione.

Palam est, Ipsum diversas species agnovisse, quum tamen omnibus & glandi vim adstringendi tribuat, Quercum nostram officinalem ejus Quercui substitui posse sine injuria, haud dubitandum.

NOTÆ. Omnes Quercûs partes adstrictoriam habent facultatem, præsertim liber, qui cortici & ligno intercedit, quinetiam tunica putaminis glandis subjecta, quorum decoctum alvi & vulvæ fluxiones inhibet efficaciter, necnon gonorrhœam; daturque sanguinem excreantibus.

Folia vulneribus utilissima, eaque recentia conservant: lavamentis vulnerum proficua.

Cortex siccatus Odoris est non ingrati, saporis magis austeri quam Cupula. Decoctum cum Vitriolo Martis cæruleum fit.

Vires extrahit tum Aqua, tum spiritus vini rectificatus.

In *Miscellaneis Curiosis* prostat exemplum Dysenteriæ notabilis, in qua decoctum simplex in cerevisia utilissimum fuit, aliis medicamentis nihil proficientibus.

Vis adstringens adest quoque Ligno, cujus decoctum solutione Vitrioli Martis nigrescit; sed ad Coria præparanda ¼ pars plus Ligni, quam Corticis, requiritur.

De Glandibus. Cupula inodora, austera est, & Decoctum ejus subacidum, austerum, & cum Vitriolo Martis saturate cæruleum fiebat.

Nucleus valde austerus est, amaricans & simul dulcis. Decoctum & infusum ejus cum Vitriolo Martis nigrum fiebat: Chartam cæruleam valde rubefecit.

Glandes tostæ usurpantur pro pane. ex iis tostis tantillum Olei exsudat. Sues pinguefaciunt, eorumque carnes firmas reddunt.

Recentes Oleo crasso valent ad colicam, dysenteriam & dolores post partum; & *Bateus* in *Pharmacopœia* Pulverem lateralem exhibet è Glandibus decorticatis cum nuce moschata & saccharo ad ℈j bis vel ter in die exhibendum, in iliaca, colica, lateris dolore, flatu & podagra.

Cæli-

Cœliacis, dysentericis & sanguinem excreantibus prosunt; urinam quoque cient, quod dicitur fieri vi adstrictoria, qua, quasi sanguinem coagulando, serum ab eo separant, adeoque illud copiosius per renes excernitur.

R.

C. *RANUNCULUS.* *Crowfoot*

Apud nos frequentissimæ sunt species quatuor sequentes: 1. *Ranunculus* pratensis erectus acris C. B. *Upright Meadow Crowfoot.*

2. *Ranunculus* pratensis radice verticilli modo rotunda C. B. *Bulbose Crowfoot.* 3. *Ranunculus* palustris Apii folio lævis C. B. *Round leaved Water Crowfoot.* 4. *Ranunculus* longifolius palustris major C. B. Ranunculus flammeus offic. *Great Spearwort. Dale.*

Dioscorides quoque quatuor genera Ranunculi recenset, sed hæc ad unguem accommodare nostris, supra recensitis, difficillimum foret, nec forte operæ pretium, quum omnes Ranunculi *Dioscoridis* caustici sint, ut quoque nostri supra dicti.

Vis omnibus Ranunculis una, scil. acris & vehementer exulcerans. Folia, flores & caules tenelli vim habent illitu exulcerandi & usque adeo urendi, ut crustas cum dolore gignant, quare ungues scabros auferunt, psoras removent, & ad lepras usurpantur, stigmata delent, formicationes & verrucas pensiles alopeciasque paulisper illita tollunt, & tepente eorum decocto Perniones foventur.

Etsi omnes Ranunculi ustorii sint, ut exulcerent cum dolore, si tamen quis ipsis moderate utatur, cutis vitia solum detergent.

Invenitur apud *Hippocratem* de *Nat. mul.*, mentio usus foliorum & florum Ranunculi, vino dulci infusorum, ad secundas & menses detrahendas.

NOTÆ. Foliis viridibus plerorumque non vescuntur pecora, sed siccis in fœno, quoniam in siccando perit vel imminuitur acrimonia.

Folia externe admista lenioribus discutiunt scrophulas.

Bulbosi radix acrimoniæ est urentis, quæ non prorsus perit decoctione, etsi siccando longe minor evadat. Contusa sternutationem excitat.

Succus fuscus viridescebat cum syrupo Violarum; verum Aqua destillata acris non viridescebat cum syrupo Violarum, nec ebulliebat cum Acidis, aut cum sale C. Cervi.

Aqua, e foliis, floribus & caulibus destillata, acrimoniam retinebat per tres

annos & ultra, secus quam fit in Antiscorbuticis volatilibus, ut Cochlearia & Raphano rusticano. Hanc solum interne usurpatam fuisse, invenio apud *Raium* in *Hist. Plantarum*, scil. Aquam radicum destillatam aut infusionem, in Spiritu Vini factam, contra Pestem ab Herbilegis Noricis extolli.

Cataplasmata & Vesicatoria fiunt ex radice; sed cavendum in applicatione, ne nimis diu immorentur, ne exulcerent. Utilis est in tinea, scabie, strumis & ulceribus inveteratis, & rasa applicatur clavis pedum, postquam emolliti fuerint aqua tepida & usque ad vivum incisi. *Raius* plura affert exempla felicis usus foliorum, tanquam Rubificantium vel Vesicantium in cephalalgiâ, loco dolenti impositorum.

Valet quoque in epilepsia, & in febribus intermittentibus, si, bihorio ante insultum, frigidum inter digitos (ubi cutis tenerrima) ligetur.

Ranunculi flammei folia recentia fortius sunt Vesicatorium quam Cantharides, & fluxum diuturniorem effecere sine stranguria: inter contundendum hæmorrhagiam nasi Operatoris adduxerunt. Siccata folia vix acria.

Puer quidam, eo vescens pro Acetosa, intra paucas horas mortuus est.

Notandum quod, etsi hic sit fere ex omnibus vegetabilibus acerrimum, succus tamen ejus non effervescit cum liquoribus acidis aut alcalinis, nec mutatur color ejus a syrupo Violarum.

C *RAPHANUS* hortensis. Radicula offic. Raphanus minor oblongus C. B. *Radish. Dale.*

Raphanus apud antiquiores Cramben. i. e. Brassicam significat: sic *Theophrasti* ῥάφανος, non Raphanum, sed Brassicam significat, sed ῥαφανὶς apud eundem est vulgaris Raphanus. Hæc causa erroris *Plinio* fuit, ubi Raphani genera recenset, quæ ex *Theophrasto* sunt desumpta, ubi de Brassica egit.

Radix acris est, &, secundum *Galenum*, excalfaciens excessu tertio, & facultas ei est digerendi vel discutiendi, unde sugillata è vestigio sanat Raphanus, cataplasmatis modo impositus; auferes autem ipsum, postquam mordere cœperit, si enim diutius maneat, venulas contusas, commordendo oscula ipsorum, aperiet.

Inter ea, quæ humiditatem ex ore trahunt, locum habet, & inter ea, quibus quis facile vomat.

Quum coquantur & assentur, separatur ab eis caliditas, & remanet substantia crassa.

Raphanus inter acres cibos, ut Cepas collocatur apud *Hippocratem de Diæta*, & apud *Galenum* inter Olera attenuantia. Cepis ordine proxima est Radix.

Ori

Ori suavis est, sed stomacho adversatur, jejuno inflationem operans & ructus fœtidos faciens.

Quando aggregatur phlegma viscosum, appetitum tollens, vel dolorem capitis faciens, prodest, ut & Vomitus è Raphano in dolore capitis ex frigore.

Ad Alopecias sanandas Raphani & Cepæ, oblique incisi, illiniuntur, probe confricando.

Urinam movet, ventrem relaxat: hinc priscis temporibus cum pane ante omnem cibum urbani homines illo vescebantur, alvi subducendæ gratia.

Decocta aut in cibo sumpta contra veterem tussim & pituitæ crassitiem in pectore efficax est.

Dioscorides credit, Raphanum a cibo concoctioni conferre, præsumptum vero cibum suspendere, quod tamen a *Galeno* refellitur, libro III. *de Alimentorum facultatibus* sic: „ Mirari subit eos medicos & idiotas, qui post cœnam, „ coctionis juvandæ gratia, crudos Raphanos edunt, ipsi quidem rem hanc „ experientia sibi exploratam affirmant, qui tamen ipsos sunt imitati omnes „ fuere læsi. "

Cortex ex aceto mulso celerius vomitiones movet: hydropicis commodissime illinitur, & lienosis utilis est emplastri modo impositus: nomas amovitur. Tritus diligenter & cum melle permixtus, illitusque sugillationes atque livores, qui ex ictibus eveniunt, celeriter absterget.

Contra viperarum ictus auxiliatur. Lentigines cum Iolliacea farina emendat: his, qui fungis strangulantur, tam cibo quam potu, auxilio est. Menses ciet.

NOTÆ. Radix varia est, quædam non admodum acris, alia acrior, longe mitior & suavior rusticano. Aqua destillata fœtoris est abominandi, saporis vero non acris, acrimonia inter destillandum non elevata.

Decoctum residui a destillatione Rapum redolet & subdulce est.

Plena est particulis salinis acrioribus mucilagine quadam & terra intertextis.

Non temnendus est Raphani usus ad pedum clavos, sc. post pedum lotionem eo usque rasos, ut doleant; sed non cruententur: & plerumque evanescunt, si cubitum ituris clavis corticis Raphani id latus, aut ea pars applicetur, quæ a Raphano resecatur saucia.

Si inspergatur saccharo, liquor, qui emanat, insignis est in tussi: syrupus è succo ad pituitæ crassitiem in pectore attenuandam, ad excreationem promovendam, in Raucedine pertinaci, in tussi & asthmate infantum laudatur. & libenter *Dioscoridi* assentiendum, qui decoctum laudat contra Tussim; nam Raphani cocti dulcescunt; & quasi in Naporum vicem transeunt.

Flatus

Flatus & dolores capitis excitat immoderatus ejus usus. Menses movet.

Decoctum frustulum Calculi, 24 dies infusum, dissolvebat. Succi radicum ℥iv, Mellis ℥ß, ad Calculum præscribuntur pro potione, 3 vel 4 matutinis horis sumenda, tanquam Arcanum.

Cutis exterior acris est, calida, cutim & linteum tingit colore purpureo, ut Vinum Claretum.

Raphanus domesticus esculentus, sine offensione ulla, vomitione purgat, atque ventriculum blande exinanit, nulli ætati nec prægnantibus infensus: Teruntur radicis contusæ ℥j affusaque mulsa succus exprimitur, qui tepidus offerendus.

C. *RAPHANUS* rusticanus, seu Thlaspi alterum *Dioscoridis* C. B. *Horse Radish.*

Raphanus sylvestris *Dioscoridis*, Armoracia Romanis dicta, huic non convenit, Radix enim ejus subacris & tenera, sed nostri durior acriorque quam sativi deprehenditur, ac notis Thlaspios alterius *Crateva* apud *Dioscoridem* magis convenit, de quo hæc ille: „ Miscetur hoc his, quæ contra coxendicis dolores clystere infunduntur " & forte effatum sequens *Galeni* de semine Thlaspios elucidationis vice inservire potest, scil. „ Per sedem infusum „ sanguinolenta evacuans Ischiadibus prodest ".

Raphani rustici, qua Emetici, usus innotuit *Cœlio Aureliano* vel & antiquioribus.

NOTÆ. Radicis recentis odor & sapor pungens est, & quando a coquis tractatur ac comminuitur, illorum oculos mordet, acrimonia magis volatili quam in semine sinapios: &, quatenus Epispasticum, fortior est quam sinapi, & æque potens ac Allium contusa & applicata, nec strangurìam excitat; veruntamen minus calefaciens seu inflammans quam Aromata.

Easdem cum Raphano qualitates habet, sed longe fortiores.

Coctæ vel diu siccatæ vires valde minuuntur.

Aqua destillata recens quoque odore & sapore acris est, acrimonia destillando elevata, sed servatæ acrimonia cito perit, nisi cum spiritu Vini destillatæ. Aqua enim & Spiritus Vini extrahit hujus vires infusione & destillatione.

Porro, præter acrimoniam adest quoque dulcedo, in succo & in radice exsiccata magis sensibilis, & Decoctum residui a destillatione Rapum redolet: hine radices, in aqua prius maceratas, ad acrimoniam tollendam Lemovicensis plebs oleo conditas esitant tum fresas, tum elixas.

Succus Vomitum ciet, vel infusio in aceto cum melle, si tepide assumatur & aqua superbibatur.

Per

Per Retortam destillatam, contra opinionem vulgi afferit *D. Cartheuser*, acidam vel subacidam esse, & cum alcalinis effervescere.

In doloribus scorbuticis frictio cum hac eorum remissionem procuravit.

Succum solvere Calculum extra corpus, author est *Bartholinus*, sed nuperis experimentis succus Ceparum magis efficax.

Cum Vino Rhenano infusa optimum Diureticum est & Calculos pellit.

Succus, cum saccharo datus, calculosos mirabiliter allevavit, & in scorbuto, hydropeque profuit, Urinam violenter pellens. Menses ciet.

Magni usûs est in Morbis ab acido glutinoso, inertia bilis & laxitate fibrarum, in paralysi, cachexia, ictero & renum obstructione.

C. *RAPUM.*

Græcis γογγύλη Rapum dicitur, ab aliquibus etiam βουνιάς, *Galeno* teste; *Dioscorides* vero utrumque nomen distinguit, γογγυλίδα Rapum, βουνιάδα vero Napum vocans.

Dicuntur Rapa a Belgio in Angliam primum transportata fuisse centuria decima sexta.

RAPA sativa rotunda C. B. seu mas *Theophrasti* & *Plinii* C. B. Rapum *Dioscoridis*. *Turneps*.

Radix dulcis est & subacris. Si sumpta crudior fuerit, concoctu est difficilior, ac flatulenta, stomachoque noxia, nonnunquam autem & ventrem mordicat.

Si coquatur & effundatur aqua, coquaturque cum alia, removetur caliditas & acuitas; similiter si assetur, & remanet substantia crassa: hinc, quum viscosa in thorace probe educat, bis cocta alit magis, sed minus probe educit, amaritudinem abjiciens; generat semen & venerem stimulat in uberiore usu.

Veteres assis plerumque vescebantur, utpote facilius concoctis & minus inflantibus.

Coctionem diuturnam postulant, & eam radicem laudatissimam esse, quæ bis vel ter cocta fuerit author est *Galenus* & *Oribasius*.

Perniones fervens impositum sanat, item frigus pellit è pedibus, podagræque prodest emplastri modo impositum; & aqua decocti ejus fervens podagris frigidis medetur & crudum tusum cum sale cuicunque vitio pedum.

In Ulceribus, quæ ex frigore in manibus aut pedibus oriuntur, multa aqua calida fovendum, in qua Rapa decocta fuerit, præcipit *Celsus*.

Urinam movet.

NOTÆ. Sub succo miti & dulci sal volatile penetrans, instar Cochlea-

 riæ,

ria, reconditum habet, sub quorum ratione non saltem nutrit, & acrimoniam humorum mitigat, sed & vi antiscorbutica & antihydropica pollet.

Succus subdulcis est, & in uno experimento cum syrupo Violarum viridescebat. Radicis Odor parum pungens instar Raphani rusticani, sed longe mitior: coquendo acrimoniam perdit. Radix cocta dulcis & mucilaginosa.

E pulpa succo subsidet substantia flava instar Melis & aeque dulcis.

Cortex acris est odore & sapore, & succus ejus obscure ebulliebat cum Spiritu Nitri & Oleo Vitrioli.

Rapa lac & semen augent. Tempore famis cocta, succo expresso, cum tantillo farinæ triticeæ condepsata & fermentata panem suppeditat optimum.

Externe in Cataplasmate adhibentur ad resolvendum, mundandum & dolorem pacandum, v. g. in Ulceribus scrophulosis & scorbuticis, in Ulceribus crurum, in mammarum tumoribus & testibus inflatis, & decocta calida, podagræ imposita, dolorem sedant succus expressus, cum melle despumatus, incomparabile dat remedium contra omnia oris ulcera, maxime aphthas.

Cocta singularem vim habent, demulcendi acrimoniam seri & lymphæ, unde in affectibus catarrhalibus, asperitate bronchiorum & asperiæ arteriæ, ac in ardore Urinæ & dysenteria mire prosunt; & in dictis decoctum Raporum exsiccatorum cum passulis & caricis egregium est. Decocto per se sæpe feliciter utitur vulgus contra tussim; & succo cum saccharo ad tussim infantum.

Crudorum comestorum efficaciam in scorbuto sanando experti sunt nostrates, qui primi in Terræ nova insula Americæ sedem fixerunt.

C. RESINA. Vid. *Terebinthina*.

Apud antiquos Resina simpliciter dicebatur Terebinthina, utpote præstantissima; nos vero Pini Resinam plerumque intelligimus, quando absolute Resinam dicimus.

Resina Veterum est lachryma seu humor liquidus & oleosus, ex planta sponte diffluens; quæ, cocta in aqua vel cremata sine aqua in prunis, sicca redditur & friabilis, ut docuit *Dioscorides*, eaque est, quam φρυκτὴν, h. e. frictam, sive tostam, non addito etiam nomine Resinæ, vocant.

Resinæ frictæ usus præcipuus erat ad glutinandum, & ad sanguinis profluvium supprimendum: Cataplasmatis modo alligabatur vulneribus capitis ad glutinandum, & in sanguinis profluvio ex Ulceribus Emplastrum è friсta resina & farinæ triticeæ tenuissimo polline & gypso admovebatur, & pulvis sequens in sanguinis eruptione e Naribus: ℞ Chalcitidis ℥vj, Mannæ, thuris ℥ij, Resinæ terebinthinæ frictæ ℥iij vel iv.

Resina

Resina Abietina Veterum est Terebinthina Argentoratensis, quam vide infra.

Resina Laricea Veterum est Terebinthina Veneta nostra, quam vide suo loco.

Resina Pini Veterum seu Terebinthina communis nostra, de qua infra.

Resina Terebinthina Veterum seu Terebinthina è Chio nostra, quam vide.

IN *RESINA* absolute dicta Recentibus est plerumque Resina Pini, non Terebinthina ut Veteribus.

1. *Resina* Recentium, *Colophonia* vel *black Resin* dicta, a Colophonia *Dioscoridis* prorsus diversa est, quæ ab eo Resina liquida vocabatur; & Græci recentiores Colophoniam appellarunt Resinam è Colophone advectam, quæ optima habita est: verum Colophonia nostra est substantia nigra splendens, in retorta residua a destillatione Terebinthinæ communis vel Venetæ, & respondet Resinæ frictæ Veterum.

2. *Resina* Recentium, *White Resin*, respondet Resinæ Veterum in aqua coctæ.

NOTÆ. 1. *Colophonia Recentium*. Resina fricta Veterum.

Accensa vel fricta odoris est fragrantis, grati, thuris instar. Pinguibus solvitur, & proinde usus ejus commodissimus est in Emplastris.

Commendatur in Calculo pellendo pulverisata.

2. *Resina alba*. Resinæ sunt Olea essentialia cum Acido multo combinatæ, & inde inspissatæ: hinc eas imitantur, affundendo guttatim Oleum Vitrioli super Oleum Anisi.

Origo earum est Terebinthina: & quidem Resina ex Pino sylvestri stillans parum differt a Terebinthina, atque earundem est virium: odoris sunt a frictione fragrantis, saporis amaricantis & diu masticanti calidi: terebinthinacei quid redolent, inflammabiles, sed flammam vix nutrientes.

Calore liquantur: Oleo & spiritu Vini solvuntur Tumores duros emolliunt & tenacitate agglutinant.

Usu externo specificæ sunt ad clavos pedum. Suppurant in Emplastris, pus movent, quatenus poros obstruunt & perspirationem inhibent.

Usu interno confert Resina tussi aliisque pulmonum affectibus, Urinam pellit & calculos ac gonorrhœam sistit.

Dimidium Cochlearis ampli in Alla tepida cito tollit dolores flatulentos, *Stitches* dictos.

Atramentum illud fuliginosum, nostratibus *Lampblack* dictum, nihil aliud est

quam Fuligo Resinæ vel Picis concremata, propter quod Officinæ ædificant, fumum eum non emittentes.

C. *RHABARBARUM* Offic. C. B. Rhaved Arabum. Rheum barbarum *Myrepf.* Rheum palmatum Linnæi. *Rhubarb.*

Galeno & *Dioscoridi* ignotum, scil. *Dioscoridis* notis Rha vel Rhei non conveniens, sed *Paulus Ægineta* videtur primus Rhei vel Rhabarbari expurgatoriam facultatem exploratam habuisse, inquit enim *Lib. I. c.* 43, ubi Terebinthinam inter ea, quæ sanis alvum subducunt, enumerat, „ cum magis eam „ subducere volumus, de Rheo parum admiscemus ".

Serapio & *Avicenna* non plures assignavere vires suo Rhabarbaro, quam qui eos præcesserunt Rhapontico sed *Mesue* Rhabarbarum purgare scriptum reliquit, quam vim Antiqui suo Rheo demunt: proinde audiri meretur *Mesue* de viribus Rhabarbari, de quibus hæc apud eum prostant

„ Calidæ est complexionis in secundo gradu, stypticum, amarum. Datur „ in omni tempore, & in omni ætate; pueris & prægnantibus.

„ Ejus, quod parum est, infusio competit, quando solum requiritur abster„ sio & solutio, & oppilationum apertio, & ipsius contriti exhibitio quando „ requiritur, ut post illam in visceribus vestigia contractionis remaneant. „ Verum ex eo, quod assum est, vehementius fit illud, & adhuc vehemen„ tius ex adusto.

„ Solutione educit choleram & phlegma, ac major ejus proprietas est „ mundificare, confortare hepar, & stomachum, conferre doloribus eorum „ pungitivis, clarificare sanguinem, auferre oppilationes, & morbos, quorum „ mater est oppilatio, sicuti hydropisin, ictericiam, & crassitiem splenis, fe„ bres oppilationum, febresque periodicas, & antiquas.

„ Est medicina singularis, bona dysenteriæ assum & bibitum cum succo „ plantaginis, ac pauco vino styptico ".

NOTÆ. Odoris est aliquantum aromatici, gravioculi; saporis amaricantis, adstringentis, subacris, colore, dum manditur, crocco: optimum quasi arenosum sentitur inter dentes. an a Sale? Ipse enim simile quiddam notavi masticando Extracta Acetosæ, fructuum Berberis & herbæ Prunellæ

Solvitur Aqua, ut Gummi & purgat, sed Extractum, spiritu Vini paratum, longe minus purgat, vi cathartica residente in parte mucilaginosa vel forte salina. Parum Resinæ continet, unde Tinctura ejus in spiritu Vini non lactescit ab aqua affusa.

In substantia plus purgat, quam quævis ejus præparatio.

Humida destillatione aquæ transilienti vires aliquas laxantes communicat, hanc

hinc sub decoctione multum virtutis catharticæ amittit, & Extractum pene iners redditur. Huic Experimento convenit alterum, a *Verulamio* notatum, scil. Partes purgativæ Rhabarbari facile separantur, adstringentes firmius cohærent, ita ut si probe contundatur & per horam infundatur, melius sit purgaturum, & corpus post purgationem minus adstricturum, quam si per 24 horas maceretur.

Infusum in Aqua cum Vitriolo Martis nigrescit, imo & nova aqua sexies affusa; authore *Alstono*.

Non mutatur a solutione Heliotropii, nec a Mercurio sublimato corrosivo, quare vis ejus non sedet in sale acido, nec alcalino.

Diureticum est summum, urinam tingens intra duas tresve horas post parvam ejus quantitatem assumptam, & sudorem luteum observatum esse ab ejus usu notat *Etmullerus*

Fallopius aliique Authores graves prohibent ejus usum in ardore Urinæ & iis, quibus renes aut vesica læsi fuerunt. Porro, Rhabarbarum caliditatis participem esse statuit *Brassavolus*, quoniam accipientibus jecur plerumque calefaciat, potissimum si calidioris sint jecinoris, & nonnullos ea die, qua Rhabarbarum sumpsere, circa manus & pedes vehementem æstum persensisse, sitique pressos fuisse, etsi non eduxerit.

Remedium est insigne ad roborandum tonum Ventriculi ad grana x vel plura, singulo mane masticatum, & deglutitum.

In quibusdam febribus longis ab obstructione, parte affecta non bene cognita, felix fuit usus ejus dosi ℥iv ex infuso; ʒj vel ʒij in Aq. ℔j pro Infantibus.

Ictero & hepatis obstructionibus adeo confert, ut aliquibus Anima hepatis dicatur. Lumbricos enecat & expellit.

In Exemplo illustri Febris Tertianæ in *Actis Germanicis*, ubi symptoma gravissimum erat Vomitus vehemens saburræ biliosæ, Curatio perfecta fuit solo Rhabarbari usu ad ʒß singulo mane & vesperi; & ibidem Quartana anomala, in qua Vomitus indicium erat Febris Invasuræ, sequente frigore & æstu, Medicamenti sequentis usus feliciter successit: ℞ Cort. Cascarillæ ℥j, Rhei opt. pulv. ℥ß, sal. Tartar. ʒij, Vini Gallici ℔iß per noctem infusorum, quod infusum quater, sexies vel octies per diem cochleatim hauriebatur, quoties febris paululum remittere videretur; nec unquam China Chinæ certiorem edidit effectum.

C. *RHAPONTICUM.* *Rhapontick.* Rhaponticum folio Lapathi majoris glabro. Rha & Rheum *Dioscoridis* C. B. quod *Prosper Alpinus*

primus detexit, a Rhabarbaro Officinarum omnino distinctum. Radix pontica *Celso*.

Radix sine odore, gustata adstringit leniter, glutinosa. Commanducata colorem reddit pallidum & quodammodo ad crocum inclinantem. Summa ipsius vis adstringens est cum aliquanto calore, nam siccandi & adstringendi vim habet in Ulceribus malignis & contumacibus, & aridâ tritâ contingendam esse Columellam vult *Galenus*.

Non continentibus cibum in stomacho manditur, & citra sorbitionem ullam devoratur. Tollit liventia Lichenasque, ex aceto illitum, atque inflammationes omnes veteres, ex aqua impositum, dissipat.

Epotum facit ad inflationes, stomachi imbecillitatem & omne genus doloris, ad convulsiones, splenecticos, hepaticos, nephriticos, torminosos, itemque adversus vesicæ & pectoris vitia, distensiones hypochondriorum, ictericos affectus, ischiadas, sanguinis sputationes, suspiria, singultus, dysenterias & Cœliacorum affectus, contra febrium circuitus & venenatorum morsus.

NOTÆ. Radix hæc saporis est subamari, adstrictorii, tandem subdulcis, acrimoniæ fere expertis, longe minus calida quam Rhabarbarum, & proinde in febricitantibus tutior, non sabulosa (ut Rhabarbarum) inter dentes, in ore lentescens.

Infusum in aqua cum Vitriolo Martis nigrescit.

Non tam valide purgat ac Rhabarbarum, sed magis adstringit; & ei præfertur in affectibus dysentericis, dosi in substantia ad ℥ij, in infuso ad ℥iij.

Urinam tingebat intra duas horas ab ejus assumptione.

C. *RHUS* Obsoniorum. Sumach Offic. Rhus folio Ulmi C. B.

Sumach Arabicum est Rhus Græcorum. *Celso* Ros Syriacus loco Rhos Græce.

Veteres semen obsoniis, condimenti vice, loco salis, inspergebant; folia tantum Coriis subigendis adhibuerunt, unde Rhus coriaria dicta.

Folia & semen eosdem exhibent effectus, scil. vehementer adstringentia ceu acerba citra ullam aliam manifestam qualitatem.

Decoctum foliorum capillos denigrat.

In pessario apponitur Rhus in prolapsu Uteri, & in emplastro in principiis Inflammationum. Contusis, desquammatis liventibusque ex aqua illitum ab Inflammatione vindicat.

In hæmorrhagia, ubi vas aliquod magnum perruptum sit, aut vehementer reclusum hiat, adhibetur: necnon in Ulceribus oris, quæ admodum humida sunt,

ſunt, dum quæ ſimpliciora oris Ulcera ſunt commode ſanare poſſunt medicamenta, quæ modice ſiccent, veluti quod ex Moris conficitur.

Semen capitis ulcera celerrime ad cicatricem perducit. Inflammatione & relaxatione Columellæ decoctum ſeminis Rhois eſt Gargariſmus generoſiſſimus, atque ad eadem valet pulvis appoſitus; Linguæ aſperitates cum melle abſterget; & in purulentis auribus decoctum foliorum inſtillatur

Ad ſedis Ulcera, aut quas phagedænas vocant, foliis utuntur Medici, tritis cum melle & illitis cum aceto.

In noxâ ab aſſumpto ſcammonio *Galenus* dilutum Rhois cremorem dedit, quo videlicet, ſive aliqua eſſet in ſummo inteſtino facta exulceroſa affectio, ſive etiam ex conſuetudine aliquid ex ſuperioribus locis in partem affectam confluerer, id reprimeret.

Decoctum foliorum Dyſentericis infunditur, ab iiſdem bibitur, & ad inſeſſus uſurpatur.

Semen cœliacorum dyſentericorumque obſoniis commode inſpergitur, & alba fœminarum profluvia ſiſtit, ac hæmorrhoides ſanat cum querno carbone intrito impoſitum.

NOTÆ. Folia valide adſtringunt, & inſerviunt, ut Cortex Quercus, ad coria depſenda.

Tinctura Gallarum & ſumach in aqua non tantum nigreſcebat cum ſolutionibus Chalybeatis, ſed & bullas exhibebat, ut Acida.

Semen ſeu Grana analogiam habent cum Gallis & Glandibus quercinis, ſaporis acidi & æque adſtringentis, cuticulâ acidi ſaporis obductâ, unde loco ſalis condimentis adſpergebantur.

D. *RIBES.* Ribeſia. Groſſularia multiplici acino, ſive non ſpinoſa, hortenſis rubra. Ribes offic. C. B. *Red Currants.*

Saporis ſunt acidi, ſubdulcis, ſubadſtringentis.

Authore *Lemery* in tractatu de Alimentis, minus fermentant quam alii fructus dulces, v. g. Ceraſa & Fraga, & proinde vult, in magnis caloribus earum uſum ſalubriorem eſſe, utpote inflationes in primis viis minus excitantes.

Fructus & Rob appetitum invitant, bilem temperant & ſitim reſtinguunt, vomitu & fluore alvi bilioſo in febribus bilioſis proſunt, putredini reſiſtunt, dyſentericis ex cauſa calida proſunt, & ad hæmoptyſin, Uvulæque tumores uſu externo.

Albæ minus acidæ.

Folia nigri olida aliquando recondantur pro curandis malis nephriticis & gela-

gelatina ex Succo nigrorum dicitur insigniter prodesse in inflammationibus faucium.

C. *RICINUS.* Vid. *Cataputia major.*

1 C *ROSA RUBRA* vel Rosa *Dioscoridis* Rosa rubra multiplex C. B. rubra saturati coloris, Provincialis Gaura. *Dod.* Milesia *Plinii* C. B. *The red Rose.*

2 *ROSA DAMASCENA.* Rosa purpurea C. B. sativa purpurea, quæ Incarnata Italis. Trachynam *Plinii*, quam minus rubentem dicit C. B. *The Damask Rose*

Multas Rosarum species nescivit Antiquitas, quas Lusitanorum navigationes superioribus annis invenerunt. In India Occidentali Rosis omnia plena passim, & præter Rosas, ex Hispania importatas, species earum plurimæ aliæ nascuntur.

Damascenæ Veteribus non cognitæ, nisi eas credamus, quæ *Plinio* Spineolæ appellantur. Rosarum succo leniter evacuari ventrem inventum est Recentiorum.

Veteres Aquæ destillatæ hujus & omnis plantæ prorsus ignari fuère; quæ ab Arabibus, ut alia medicamenta chymica, primum memorabantur.

De Antherâ decipiebantur plerique Recentes, qui eam Rosæ florem putarunt; Anthera enim, teste *Celso*, est compositio, Rosas recipiens, quin & sine rosarum miscela Anthera medicamentum est

De Rosa simpliciter, seu de Rosa, præcipue rubra, sequentia literis mandarunt Antiqui.

Rosa habet dulcedinem & amaritudinem, ac quasi mordicationem quandam levem, & debilissimam adstringendi vim, sed majorem sicca: in siccis tempestatibus odoratior, quam in humidis.

Rosa refrigerat & adstringit; quod ex actionibus ejus, experientia compertis, clarius patebit, scil. Ab odore Rosarum juvatur caput cum a solis exustione laborat, & in conviviis æstivis Coronæ ex rosis contexebantur: rosisque consternebant pavimenta, cum herbis frigidis indigebant, v. g. in cubiculis febricitantium; & inter medicamenta, quæ extrinsecus Hecticis admovebantur ad refrigerandum, locum habuit succus rosarum frigidus una cum polenta, & ipsæ Rosæ tusæ, quæ non eousque manere debent super ægrum corpus, donec calefiant, sed assidue subinde mutari.

In Capitis dolore ex ebrietate vel solis æstu sertum rosaceum, ex recentibus rosa-

vestimentis floribus confarcinatum, induitur dolenti capiti praecipit *Galenus*; & in febribus, si capitis dolores sint, Rosam cum aceto miscendam & linteum succidum, iisdem intinctum, fronti imponi jubet *Celsus*.

His consentit *Dioscorides*, scil. siccarum rosarum, in vino coctarum, expressum liquorem facere ad dolorem capitis, oculorum, aurium, gingivarum, sedis, recti intestini ac vulvae, sic, ut penna inungatur aut Clystere infundatur. Porro, Rosas, citra expressionem contusas, mox que impositas, hypochondriorum inflammationibus & Erysipelatis, necnon stomachi ex humiditate nimia solutionibus conferre, & siccatas easdem tritasque femorum intertriginibus inspergi, vulnerariis antidotis immisceri.

In umbra siccatus succus, donec densetur, recondicur ad oculorum circumlitiones, habens in se quod detergeat ab ... Ulcera ad cicatricem perducens ab adstrictione.

Ungues Rosae epiphoris utiles.

Capita pota sistunt alvum & efficaces rejectiones sistunt. Rosa & saccharum roseum stomachum roborat.

Sistunt fluxiones ... potus Flos, & sanguinis excreationes.

In Columella inflammatâ, si moderatus sit ... Collutiones ... conveniunt, v. g. ex decocto Rosarum.

Succi usus est ad oris ulcera, gingivas & tonsillas gargarizando. & internis Ulceribus opitulatur Rosarum succus, nec ullam visceribus noxam inferens.

Rosis aridis contusis & tritis in Polypo narium sanatus est Eunuchus, qui nullum aliud poterat ferre medicamentum, sed ab omnibus irritabatur, authore *Galeno*.

De Rosarum vi purgante & viribus Aquae ex iis destillatae audiendus est *Mesue*, qui haec literis mandavit: „Compositae sunt è substantiis diversis „separabilibus, scil. adstringente, dulci, aromatica, & amara.

„Recentes magis amarae sunt quam adstringentes, quapropter earum succus „praesertim purgat. resolvens est, aperiens, tergens; & aqua, in qua recentes „& perfectae sunt maceratae, purgat bilem flavam, sanguinem venarum & „arteriarum, confert Ictero, quia obstructionem ventriculi & hepatis aperit & „expurgat. Cor, ventriculum, hepar roborat, cordis tremorem sanat, vacuatâ ipsius causâ: febribus biliosis confert.

„Easdem partes roborat Aqua sublimando ex rosis educta".

NOTÆ. 1. *Rosa rubra*. Maxime adstringens est, praecipue in Gemmis, unde hae pro Conserva praeferuntur a Pharmacopoeis.

Florum expansorum Odor fragrans (b) est, sapor adstringens, amaricans subdulcis; & expressi forte æque cathartici sunt ac Damascenarum.

Oleum Vitrioli additum Aquæ rubedinem extrahit; sic & fumus sulphuris [illegible] convertit rosas rubras in albas.

Vires extrahit tum Aqua, tum spiritus Vini, & Extractum spirituosum fortius est amarore & vi adstringente.

Adstrictionem habent omnes Rosæ partes, sed debilissimam folia triangulata, et Ungues fortiorem, qui oculis medicatibus prosunt, fortiorem radice flores proprie dicti, sed stamina tantum & apices, & fortiorem interim calyces seu capita pulverisata.

Sola folia (petala) habent vim purgatoriam, quippe siccata saepe laborantur in amarore: folia vero sola amara sunt; Notandum enim quod siccatæ & dilutum rubrarum ad alvum quoque subducendam faciunt minus, quam Damascenarum; resiccatæ autem hæ *Rosæ*, humiditate jam [illegible], adstringunt.

Rosa rubra putredini resistit plus quam sal marinum in experimentis *D. Macbride*.

Potus ex his floribus in vino rubro in contusionibus & hæmorrhagiis [illegible].

Succus é fructu rubro maturo, vel, ejus cum substantia tusa, expressus posteaque siccatus, ad pastillos conficiendos optimus est, adstrictionem vim habens, & per se solus induratas gonorrhoeæ utriusque profluvio, tum albo quam rubro, singulari experimento medetur.

In *Miscellaneis Curiosis* plura allegantur exempla *Phthiseos* perfectæ, usu lactis in victu, & simul copioso usu Conservæ Rosarum rubrarum curatæ.

2. *Rosa Damascena.* Omnium florum longe odoratissimus est, ut qui halitu suo suavissimo sensum mirifice oblectet citra omnem offensionem aut fastidium; cerebrum, spiritus reficit & recreat. odor quoque minus fugax est, quam plurium florum odoriferorum, siccando minus imminutus, sapor adstringens est etsi minus quam rubrarum, decoctum quoque tamen cum Vitriolo Martis nigrescebat: est amaricans, & vis purgans hæret in substantia amara, unde post expressionem succi, necnon in residuo post destillationem, restat vis purgans.

Spiritus Vini extrahit tum odorem, tum vim catharticam æque ac vel magis quam Aqua.

Syru-

(b) In Miscellaneis Curiosis [illegible]

Syrupus tribus vel quatuor infusionibus paratus, laudatur summopere in Ventriculi incendiis, febribusque caloribus temperandis & siti sedanda, si ex sero lactis exhibeatur.

C. *ROSMARINUS* hortensis angustiore folio C. B. Libanotis coronaria *Dioscoridis*. *Rosemary*.

Folia cum gravitate odorata. Libanotidis nomen habet ab odore thuris.

Excalfactoria vi praeditus est: regium sanat morbum, si decoctum in aqua ante exercitationes bibatur, & ubi laborans exercitationi se tradiderit, in balnea descendat & merum potet.

Addit Galenus, omnes Libanotides abstergentis & incidentis facultatis participes esse, ac herbam, oleo incoctam, species, quae non admodum crassi nec lenti in carne cuteque maneant, in halitum digerere.

Paulus plures attribuit vires Rorismarino, sed, quum diversas species ejus enumeret, an nostro recte adscribantur, non liquet.

NOTAE. Folia & Flores odoris sunt balsamico-aromatici, Camphoram referentis, saporis mixti, acris, aliquantum calidi, amaricantis & subadstringentis, gratioris & magis penetrantis, quam Lavendulae. Folia aliquantum viscosa, ut & decoctum, quod & evidenter amarum & subadstringens, ac infusum foliorum & florum cum Vitriolo Martis nigrescit. Extractum valde amarum.

In montibus & regionibus calidis efficacior.

Folia, in Spiritu Vini digesta, infusum largiuntur ex flavo viride, grato ac specifico Rorismarini odore imbutum, & sapore balsamico-amaricante & satis acri praeditum: hinc vires Rorismarini praecipue volatili, oleoso, spirituoso, camphorato & fixo resinoso adscribendae sunt: in gummoso vero parum vel nihil virtutis latitat.

Foetorem halitus emendat suffitu, & vapore suo, pestis tempore aërem emendat ac salubrem reddit.

Externe usurpatur in fotibus ad roborandos artus tremulos & paralyticos, atque organa visus & auditus: valet quoque egregie ad oedemata, contusiones & gangraenas.

Usu interno decoctum vel Vinum, inde confectum egregium est in fluore albo, & ad erosiones locorum muliebrium, mane & vesperi calide potatum: & instar Theae sumptus Rosmarinus maxime prodesse dicitur quibus ex languore deficiunt Menstrua; ac Diarrhoeam trimestrem desperatam Vino Rorismarini curatam vidit *Velschius*, authore *Ettmullero*.

In affectibus catarrhalibus ligno sassafras non cedit. Asthmati mire confert; excreabilia facit vitia thoracis, vocem amissam reddit & clarificat.

In pluribus affectibus nervorum utilis, v. g. in apoplexia, epilepsia, lipothymia, in vertigine senili, cordisque palpitatione; & dirissimas convulsiones in morbis frigidis sustulit, atque in paralysi juvat, si hoc decocto hausto sudet æger; ad visum acuendum commendantur flores recentes quotidie jejuno ventriculo cum pane & sale comesti.

Hydropem incipientem vidit *D. Boerhaave* eradicatum hujus usu, foliis contusis vinoque infusis.

Si Conserva omni bihorio sumatur, dicitur ventriculum roborare & concoctionem juvare.

Solo usu Olei chymici, propinati ad guttas iv vel vj, in decoctis idoneis ante paroxysmum, multæ Tertianæ curatæ fuisse dicuntur, & idem oleum, ter quaterve illitum, sustulit dolorem immanem ossis Coccygis.

C. *RUBIA* Tinctorum sativa C. B. Erythrodanum *Dioscoridis*. *Madder*.

Radix acerba est & subamara, in 2do. ordine calida, in 3io. sicca ex *Avicenna*: tingendo apta.

Apposita fœtus, secundas, mensesque trahit. Vitiligines albas & lichenas sanat ex aceto illita, vel emplastri modo apposita, mediocriter ea, quæ extersionem postulant, extergens.

Collectiones discutiunt radix & semen, atque alvum sistunt. Ad dysenteriam fabarum purarum quadrantem accipe, surculosque Rubiæ duodecim immitte, atque abundanter excoque, deinde delingendum porrige.

Radix urinas ciet, easque crassas & nonnunquam sanguinolentas vacuat, quapropter ictericis cum multa aqua utiliter bibitur, Jecur & lienem expurgans, Ischiadicis itidem & paralyticis: & menses ciet.

NOTÆ. Radix odoris est gravisculi, saporis subdulcis, subamari & subadstringentis, ac diu masticanti acris. Infusum ejus in aqua vix mutabatur a Vitriolo Martis, Decoctum vero a rubro colore ad subfuscum mutabatur ab eodem Vitriolo.

Ei adesse, ut Helenio & Imperatoriæ, resinosas quasdam particulas, deregitur microscopio.

Aëri expositæ 48 horas vis tingens egregie minuitur, unde tinctores non inficiunt in aquam donec hæc incipiat ebullire.

Urinam sumentium rubro tingit colore, ut & Mechanicorum, (ut referunt quidam.) qui eam sub manibus frequenter versant; quinimo ossa animalium, eâ pasto-

posteriorem, rubefacit, necnon capsulam humoris crystallini & vitrei, ac tendines duros; verum, notante *Alstono*, volucres, ea pastæ, languebant, & moriebantur, quædam in xvi, aliæ in x, in iij diebus, unde aliquid maligni suspicatur in hac radice.

Porro, *Dodonæus Dioscoridem* redarguit, quum dixerit menses, secundas & fœtum extrahere, quippe quod Urinæ color, a Rubiæ usu consequens, eum fefellerit existimantem hoc a permisto sanguine fieri, qui tamen non aliunde est, quam ab ipso Rubiæ colore.

Radix inter quinque radices aperientes recensetur, & vis penetrans tingendi argumento est tenuitatis partium.

Ad faciei ruborem & pustulas præscribit *Bateus* in Pharmac. sua, tanquam remedium præstantissimum.

C. *RUBUS.* Βάτος Græcis.

1. *Rubus vulg.* sive Rubus fructu nigro. Rubus *Dioscoridi & Plinio.* Rubus excelsa *Theophrasto*, C. B. *The Bramble or Black berry bush.* Fructus Latine *Mora rubi* dicuntur.

2. *Rubus repens* fructu cæsio. Chamæbatos Theophrasti C. B. *Dewberry bush.*

3. *Rubus Idæus Dioscoridis & Plinii.* Rubus Idæus spinosus C. B. *The Raspberry bush.*

Rubus in genere adstringit, & siccat capillosque tingit: longe minus adstringit, quam ærugo, & moderatius quam Myrtus.

Folia, præcipue mollia & recens nata, plurimum habent in se substantiæ aqueæ, paucum vero adstrictionis: eadem ratione & germina, quæ aquæ incocta, urgente fame, manduntur, nutrientia aliquantum. Mora condita vero melancholicum sanguinem pariunt.

Commanducata gingivas confirmant, & oris sanant Ulcera, quæ aphthas vocant; quin & vulnera glutinare valent.

Germina, in aqua cocta, ad sanguinis profluvium sistendum adhibentur, si exiguum vas est perruptum vel modice recisum, sic ut non multus sit, qui ex eo profluat sanguis.

Folia arefacta & contusa jumentorum Ulceribus utilia traduntur. Compescunt eadem Herpetes. Capitis manantia Ulcera & procidentes oculos sanant. Sanant & condylomata hæmorrhoidasque, emplastri modo imposita. Cibum in stomacho non continentibus cardiacisque concisa mox imposita prosunt.

Succus, ex foliis caulibusque expressus, mox in sole densatus, prædictis omnibus efficacius medetur, & ex caulibus ad sanguinem excreantes, anginas, vul-

alvum; fedes, cœliacosque pro-lesse potum illorumve author est *Plinius*. [illegible] usurpatus fuit in hæmoptoë a *Diocle*, Hippocratis successore.

Porro refert. folia germinibusque vino mista refrigerandi [illegible] tenera enim germina [illegible] pa[illegible]r, in inflammatione jecoris applicando & folia sternebantur in cubiculo, ubi decumberet æger, adversos capitis dolorem ex æstu fortè: & in eligendo ac parando aëre, qui Hecticis febribus conveniret, rubearum summitates fundebantur humi.

Cau[illegible] [illegible] fistunt & ad profluvia sanguinis, ac dysentericis prosunt. Eorundem ex vino decoctum Uvæ præsentaneum remedium est. Summitatum ramorum decoctum poto alvum sistit, fluoremque muliebrem cohibet, necnon & contra Presteris (1) morsum prodest. Denique stomachicum [illegible] ramuli Rubi admisti.

Fructus maturus non porum habet succi calidi temperati, qui dulcis est, itaque ob hoc & ob modicam adstrictionem gustui non insuavis est, exiguum tamen habet alimentum & pravi succi est. Inter stomatica, i. e. oris medicamenta, succus devoratus innocuus est, habens quid quod stomachum roboret, & simpliciora oris ulcera sanare potest, utpote modice siccans.

Fructus immaturus acerbus est, & vehementer reficcat, maxime siccatus, similiter etiam Flos, qui ejusdem facultatis est ac fructus immaturus, & uterque reponitur ad dysenterias & ventris fluxiones, atonias & sanguinis expuitiones valens.

Rubus Idæus eadem præstat, quæ supra dictus.

Flos, ex melle subactus, oculorum inflammationibus commode illinitur & erysipelata restinguit. Stomachicis quoque ex aqua bibendus datur.

NOTÆ. 1. *Rubus vulgaris* Folia saporis sunt austeri, & exsiccata odoris grati cum adstrictione, Theæ viridi haud absimilis, sed magis adstringentis.

Decoctum cum Vitriolo Martis nigrum fit, Infusum atro-viride.

Folia fortiter rubefaciunt Chartam cæruleam, sed non æque ac fructus.

Succus adstringens est, subdulcis, & cum liquoribus alcalinis coagulatur, cum acidis fluiditatem retinet.

Folia, authore *Chomel*, contusa & applicata herpetem & vulnera juvant, & ob aliis summitates, in vino decoctæ, sæpius pro lotione adhibitæ, laudantur in profundis & inveteratis Ulceribus tibiarum.

Distinguere vero oportet inter viridia & exsiccata, viridia quippe man-

fa

(1) Serpentis venenosi alias *Dipsas* [illegible].

& tantum curare possunt optime & alia leviora oris Ulcera, sicco tantum usu.

Decoctum ex summitatibus, mane & vesperi epotum, ad hæmorrhagias internas multum valet, authore *Riverio*.

Fructus immaturus austerus est & acidus; infusum ejus cum Vitriolo Martis nigrescebat.

Maturus dulcis, acidus, subadstringens, mucilaginosus, & syrupus e succo perhibetur magnæ esse efficaciæ in dysuria.

2. *Rubi Idæi fructus.* Maturi Odor suavis, aromaticus, instar Violarum vel Iridis, adeo ut duo treve manipuli Fructûs, recens lecti, universum & satis spatiosum conclave sua fragrantia oppleant: sapor dulce acidus, subadstringens, minus adstringens quam Rubi supra memorati, & magis mucilaginosus, magis adstringens quam fructus Mororum, magisque cordialis, gustuique gratior quam Rubi vulgaris.

Porro, Extractum & succus inspissatus per se dulcia sunt, acida, grata: ex illis succus in Balneo Vaporis dedit ℥ij gr. [illegible]. Et in usum commode servari potest, ac moretur usque ad tempus hyemale, odorem & saporem retinens per sequentem annum vel ultra.

Iis prodest, qui cibos in ventriculo continere nequeunt & frequentibus vomitionibus infestantur. Ex eo paratur Vinum ad alvi fluxus, atque imbecillitatem Ventriculi utile.

Vi analeptica & virium restaurativa singulari gaudet, unde in febribus ardentibus & petechialibus commendatur Julepis admistus syrupus, sitim extinguens, stomachum & præcordia æstuantia mire refocillans.

C. *RUSCUS.* Ruscus barbare. Ruscus & Oxymyrsine. Myrtus sylvestris *Dioscoridi* & *Plinio*. Ruscus C. B. *Butchers broom.*

Cauliculi, pullulare incipientes, asparagorum vice, olerum modo, & in clypeo cocti in cibo sumuntur. Sunt autem amari & urinas cient.

Radix gustanti acerba est & subamara.

Folia & baccæ, in vino pota, & Radix decocta vel trita in vino bibitur ad urinas ciendas, præcipue urina crassa & graveolente; ad calculos vesicæ, renum dolores, morbum regium, capitis dolorem, & ad menses ciendos.

NOTÆ. Radix Odoris est aromatici, quasi resinosi, saporis subdulcis, amaricantis, aliquantum acris & subadstringentis, sed non nigrescebat infusum cum Vitriolo Martis.

Annumeratur quinque radicibus aperientibus, & commendatur usurpanda, quum reserare obstructiones viscerum intendimus. Usi exstat § *Pharmacop. Lond.*

Lond. 1702. *Riverius* tamen aliique authores graves decoctum ejus magnis laudibus efferunt in Hydrope, nullo alio medicamento sumpto nisi Sena bis vel ter in septimana. Oportet vero leniter tantum decoqui, quum longa coctione vis ejus avolet.

Senator Venetus calculosus, accenso in horto suo multo cum oleo utens, *Rusticum* suasu, turiones Rusci manducavit, ex quorum usu post urinam sabulosam, per ostiolum excretam, deinde anno liber mansit a Calculi doloribus.

C. *RUTA* hortensis latifolia C. B. *Garden Rue.*

Gustu est acri, amaro, & secundum *Galenum* ex 3^{tio} ordine excalfacientium & exsiccantium: sicca multo acrior calidiorque quam viridis, haec enim subamara & apud antiquos esculenta fuit, odorata quoque, sed odoratissima quae sicca, & olfactu excitat utero strangulatas: atque authore *Dioscoride*, vim habet urendi & exulcerandi. Succus est oculorum [illegible], lachrymas ex oculis educens.

Graeci tum veteres, tum recentiores, necnon Latini Rutam magnis laudibus efferunt, utuntque usu externo multi, succo ejus cum melle Attico inuncto, discusserunt caligines, vel cum lacte mulieris puerum enixae, aut puro succo angulis oculorum tactis, authore *Plinio* & consentiente *Dioscoride*, sed. succum, cum foeniculi succo & melle inunctum, hebetem visum acutiorem reddere: porro, dolores oculorum graves cum polenta mitigare, & ad aurium dolores facere succum, in mali oleo calefactum, tum auribus instillatum; & profluentem è Naribus sanguinem tritam & inditam sistere.

Tenuium est partium, calfacit & flatus extinguit: hinc facit ad inflationem coli, vulvae restique intestini cum oleo decocta, mox Clystere infuso decocto illo. & eos, in quibus interna ex frigore dolore torquebantur, ingesto oleo calido, additaque ruta & bitumine, liberavit *Galenus*. Privatum in tumore flatuoso ventris cum humoribus crassis & frigidis, post admotam cucurbitam, ut ventosus digeratur spiritus, acria injici jubet, ut oleum tenuis substantiae, Rutâ incoctâ.

Mitigat colicos dolores pota & clystere infusa.

Notandum vero, quoad flatum discutiendum, Rutam debere esse modice siccam, nam si prorsus non siccetur, excrementitium quendam humorem continet, cujus vitio flatum discutere non potest.

Contra articulorum dolores melle cocta, emplastri modo, imponitur. Solvit coxendicum dolores pota & in cataplasmate imposita, atque infusa per sedem & in cataplasmate imposita podagricis, genua inflata habentibus, cito medicatur, eorumque dolores mox [illegible].

Crustas

Crustas carbunculorum cito disparat, in cataplasmate imposita, cum melle aut uvis passis.

Auxiliatur urinæ difficultati cocta ex oleo, & exinde vesica fota, neque aliud esse medicamentum, quod huic hac parte prætuleris, author est *Aëtius*.

Aquæ inter cutem (Anasarcæ) cum ficis illinitur. iisdem in potu & oblitu auxiliatur decocta ad dimidias partes.

Usu interno, quatenus cibus, inter alimenta attenuantia locatur, scil. 2ᵈᵒ ordine post allium, cepas, sinapi.

Est tum cibus, tum medicamentum calidum; in ventre frigido calfacit, atque temperamenti caliditatem revocat, sed in calido inflammabit & lædet; convenit quoque in temporibus & civitatibus frigidis, at contra, nocebit.

Paulum ejus, cibo sumptum, vel in potione dilutum, epotumque inflationes stomachi compescit.

Genituram in cibo potuque extinguit, valenter siccando generationem seminis impediens: & Rutæ frondes sternendas in cubiculo horum, qui nocturnas habent veneris imagines, præcipit *Galenus*, qui rutam in priapismo exhibet, præmissa venæ sectione.

Confert Oculorum claritati in cibo sale servata, pariterque cruda, & in potu: hinc pictores & sculptores, oculorum causa, hoc cibo utuntur cum pane vel nasturtio, capræ quoque sylvestres propter visum, ut ajunt.

Usu medico interno alvum sistit, urinam ciet, Menses ducit, necnon secundas morantes & partus mortuos pellit ex vino dulci nigro pota, & in uteri strangulatione bibendum præcipit *Hippocrates*.

Finit tormina, facit ad pectoris laterisque dolores, angustias spiritus, tussim, pulmonarios, coxendicum laterumque dolores, & circulatorum febrium cum tremore algores cum siccato anetho elixa, potaque & in ultimo dicto malo ante accessiones sumpta. In lumborum dolore data ex aqua mulsa flatum opitulatur.

Ventris lumbricos omnes pellit decocta in oleo Ruta, mox epoto decocto illo.

In Lethargicis pota & infusa per Clysteres valde commodat; sed & tritam cum rosaceo & aceto capiti ipsorum illini oportet.

Pro Antidoto valet, foliis tritis ex vino sumptis. quin & per se præsumpta ejus folia, nec minus additis juglandibus nucibus & caricis inefficacia venena reddunt: prosunt & contra serpentes similiter sumpta.

Denique, notante *Plinio*, eadem ex omnibus satis quadrupedum Morbis in maximo usu est sive difficile spirantibus, & quocunque in simili morborum genere, ut in homine temperata.

NOTÆ. Odoris est gravis, saporis amari, acris, calidi, acrimoniæ tantæ, ut pluribus experimentis comperta sit, per triplices Chirothecas ad legentis manus penetrare; & mulieres hystericæ dicuntur juvari portando sacculos, ea repletos.

Folia viridia commanducata Cepæ Alliique acrimoniam domant.

Arida, contra *Galenum*, asserit odoris & saporis expertia esse *S. Pauli*, sed *G. Lewis* eorum activitatem hærere in materia fixa.

Recensetur inter Alcalescentia, & non immerito; succus enim cum liquoribus acidis grumescit, cum alcalinis vero fluidior fit.

Semina ejusdem odoris & saporis sunt.

Vis Rutæ hæret concentrata in capsulis seminalibus; ex his enim plus Olei extrahitur quam ex foliis, quod forte Authores *Pharmacop. Londin.* haud satis adverterunt, dum Oleum essentiale è solis foliis parandum jubent.

Cæteroquin herba repleta est succo viscoso pingui, & proinde destillatione nihil fere præbet, nisi prius cum Spiritu Vini digeratur.

Vires Rutæ extrahuntur Aqua, magis perfecte autem Spiritu Vini, sed & post inspissationem Tincturæ spirituosæ, ac post destillationem restat magna ex parte vis Rutæ, quæ proinde in materie fixa sedem habere videtur, quod tamen negat *Daniel Ludovicus*, inquiens Extractum prorsus effœtum esse.

Rubefaciens est partibus sanis applicata, quinimo & masticanti visa est vesicare labia.

Contusa folia cum axungia porcina, capiti affricta, porrigines & furfures tollunt.

Externe contusa cum sale recens planta, addito vino & aceto, ad contusas & emortuas partes, tum quod putredinem cohibeat, solida extimulet, extravasatum sanguinem fluidiorem reddit, non satis laudandum cataplasma constituit.

Folia cum pipere, sale communi & aceto penetrantiori contusa, atque carpi arteriis imposita, ad febrilem impetum, si modo materiæ morbidæ aliis prius prospectum fuerit, egregie sufflaminant, & plus, sæpius minori cum periculo quam constringentia & famigeratissimus Cortex in contumaciori etiam quartana sistenda, præstant.

Ab aliis præscribitur dorso inungenda ad febrium paroxysmos arcendos. In flatibus infantum additur clysmatibus carminativis.

Succus gargarisatus, vel extrinsecus collo circumdatus, dicitur præservare, ne possint Variolæ occupare collum, ubi alias res est periculi plena.

Utilis esse perhibetur in scrophulis infantum, foliis 3, 4ve super panem comestis, vel succi ℥iij aut iv haustis per longum tempus.

Oleum

Oleum destillatum expresso succo oleoso summitatum recentium praeferendum, utpote durabilius, & prompte in Linimentum cum Oleo Olivarum redigendum.

S.

1. C. *SABINA folio Tamarisci* C. B. *Savine.*

2. *SABINA folius Cupressi* C. B. *Berried Savine.*

Hae promiscue in officinis usurpantur, nam ex singularum specierum seminibus nobis proveniunt.

Graveolens est, odoratior quam Cupressus, particeps acrimoniae, amaritiei & adstrictionis, sed amaritudinis & adstrictionis obscurioris quam Cupressus: tertii ordinis excalfacientium, & desiccantium, & ex numero eorum, quae maxime tenuium sunt partium, extenuandi & digerendi facultatis, si epota fuerint: proinde unguentis calfactoriis inditur & multis antidotis.

Gallinacei generis pituitas fumo ejus sanari tradunt (t).

Illita Ulcera purgat. Nomas seu Ulcera depascentia compescit. Ex melle illita nigredines abstergit aliasque sordes cutis. Carbunculorum crustas ex vino imposita extenit. Putrefactis maxime malignis & inveteratis convenit, nam haec citra noxam vim medicamenti perferunt.

Urinam promovet, imo cum vino pota sanguinem per urinas elicit.

Foetum viventem interficit, mortuum educit, quod efficit apposita & suffita. Uteri purgationum retentionem sanat. Cum melle & vino pota regio morbo medetur.

NOTAE. Odoris est validi, aromatici, balsamici; saporis acris, calidi, amari. Viret perpetuo, perquam oleosa, & ex omnibus Vegetabilibus, exceptis iis, quae succos resinosos fundunt, maximam dat copiam Olei essentialis, ex ℔j ad ℥ijss ascendentis, quod Oleum Urinam odore suo inficit.

Vires equidem partim extrahit Aqua, spiritus Vini integre, primaria virtute haerente in substantia resinosa, unde Tincturae spirituosae color obscure viridis, odor plantae specificus, sapor subacris, aromaticus & amaricans.

Ulce-

(t) *La Pepie*, pituita scil. in gallinis nasci solens, quae alba pellicula linguam vestit extremam.

Ulcera externa egregie deterget, callos eorum & carnem spongiosam absumit; ac speciatim in Ulceribus cancrosis & fordibus nigris scatentibus laudatur, pulvere insperso vel solo, vel melle admisto. Ichorem digerit, seu inspissat. Potenter resolvit, & decoctum in aceto applicatur strumis felici cum successu. Usus est in scabie, præcipue capitis infantum exsiccanda & curanda cum cremore lactis. Verrucas circa pudenda tollit. Folia pulverisata inspersa excrescentias venereas sub præputio tollunt & sanant.

Aquam, ad ℥j vel ij sumptam, calculos & arenulas potenter expurgare, author est *Duretus*.

Decoctum fortitèr purgare dicitur, & apud *Ætium* laudatur pulvis primo die ad ʒj, secundo ad ʒij, tertio ʒiij, quarto ℥ß, qui sanguinem egerit.

Vermes necat in equis, bobus, canibus & infantibus. Succi expressi Cochleare j, Lacti mistum & sacchato edulcoratum, maximo cum successu pueris verminantibus exhibetur, & medicamentum efficacissimum, minime periculosum esse, author est *Raius*.

Oleum, Ventri inunctum, aut frondes tusæ, & umbilico impositæ, vermes enecant.

Clavos pedum pulvis, incorporatus Emplastro Diapalmæ, aqua emollito abigit. Laudatur quoque in Asthmate.

N. *SACCHARUM.* *Sugar.* Ab Arundine saccharifera C. B.

Antiquorum saccharum, Mel Cannæ vel Mel arundinaceum, seu Ros, sursum coagulatus & *inspissatus* circa arundinem in forma Mannæ, *Archigenis* Sal Indum, & Tabaxir Arabum a saccharo nostrate prorsus diversum erat, nec usurpabatur pro Condimento, sed Mel

Veterum saccharum tamen non plane interiit, sed adhuc in India Orientali, alio tamen nomine *Mambu*, in arundine Indica arboreæ & vastæ proceritatis concrescens.

Saccharum vero nostras omnino fuit Veteribus incognitum, & omnino inusitatum. Arabes, præcipue primi, nostro utebantur in syrupis conficiendis; *Serapio* tamen non cognovit, & *Avicennam* utrumque saccharum confudisse author est *Salmasius*, qui tradit saccharum facere sitim, minorem tamen quam Mel. Ast de saccharo hodierno accipiendum, quod constet, esse *δίψωδες*. Sed Veterum saccharum, quod est Tabaxir Arabum, nullo modo sitículosum est, imo sitim sedat, namque Mel, in Calamis Indicis proveniens, sitim non facit, imo tollit. Sic sentit *Galenus*. Apparet itaque *Avicennam* saccharum veteris ac recentis seculi confudisse. Hæc *Salmasius*.

Rha-

Rhazis vero author est, saccharum guttur ventremque lenire, & modo parum calefacere. *Averrhoës* primus loco Mellis in compositione usus est Saccharo.

Est tanquam sal essentiale, Oleo temperatum, & in dimidia quantitate ponderis sui solubile in aqua, saporis cum dulcedine subvirscidi, nec sine acrimonia in gutture, ut in melle, & si cum parva quantitate aquæ solvatur, exinde fit glutinosa materies, unde medici quidam dixerunt, gluten gignere in sanguine; at alii volunt, sanguinem solvere usque adeo ut, qui eo utuntur, magna copia plerumque sint macilenti, quod qua ratione fiat forte clarius infra patebit. Est & valde inflammabile, & in Jamaicensi aliquando flamma fere æque cerulea ac sulphuris. Igne liquescit, Oleo miscibile; Oleum & aquam unit; hinc chylificationem promovet, atque coagulationem Lactis & separationem partis butyraceæ impedit, unde & in diæta phthisicorum additur Lacti: Resinis quoque additur, ut aquæ miscibiles fiant.

Novissimum est Experimentum, frustum sacchari, mixturæ Lactis & cremoris injectum, Olei separationem, adeoque Butyri confectionem, impedire; unde peti potest ratio, cur nimis adhibitum homines macilentos reddat; nam in corpore humano separatio Olei requiritur ad pinguedinis generationem; hinc contraria efficiens saccharum subjectis siccis & macilentis magis, quam succulentis & obesis, proficuum est.

Nullas Acidi aut Alcali notas præbet; succus tamen arundinis non servatur intra 24 horas, quin acescat; destillatione præbet spiritum acidum corrosivum: solutum in aqua facile fermentat & fermentando in vinum dulcissimum evadit, quod hinc in Acetum commutari potest.

Rubrum vel brunneum cum partibus æqualibus Aquæ generabant Aëris novies quantitatem molis sacchari.

Ut spuma Mellis acrior est melle, ita se habet spuma sacchari ad saccharum.

Sacchari, quatenus Errhini, acrimonia sentitur naso, & a dentibus cariosis.

Antisepticum est ut Mel, hinc *Beccherus* evehit ut Balsamum, cujus ope non tantum vegetabilia, sed & animalia perdurant incorrupta.

Solutum in aqua facile fermentat, & subministrat spiritum ardentem volatilem; promovet insuper plus quam mel fermentationem alimentorum vegetabilium cum carne.

Solvitur in Spiritu Vini rectificato ope caloris, sed non in frigore; nam Spiritus Vini rectificatus calore ebullitionis exclusit fere ¼ ponderis sui sacchari, &, si hæc stent aliquot dies in frigore, concretio fit in crystallos elegantes; hinc pendet ars extrahendi saccharum è dulcibus vegetabilibus nostris indigenis, parte sacchari separata quando in frigore locatur. Aqua quidem

solvit partes saccharinas promptius & copiosius, quam Spiritus Vini, sed retinet solutas & cum gummea materie mixtas, quas eodem tempore extraxerat, quum purus spiritus saccharum deponit, sed retinet principia resinosa & oleosa dissoluta.

Tota præparatio sacchari ex arundine consistit in ablatione Olei, quod omnino auferri vix potest. Aqua Calcis, attenuando & separando viscositates, sal exhibet purum. Albumen Ovi partibus suis glutinosis & ramosis absorbet impuritates in saccharo.

Album ad Alcali magis tendit quam brunneum, solutio enim albi clara est cum liquoribus alcalinis, & Lac non coagulat nisi in duplo majori quantitate, hinc quoque servat colorem cæruleum syrupi Violarum longe plus, quam brunneum.

Saccharum est simul acre, leniens & agglutinans: hinc Clysteribus inditur ad leniorem abstersionem: in ulceribus servit ad detergendum & consolidandum: pulverisatum fonticulis, & ulceribus inspersum, luxuriantem carnem fungosam erodendo absumit, dentes arrodit & nimio usu carioso nigrore inficit. Cuticulam tunicæ corneæ vel albugineæ, tenebras oculorum pupillis offundentem, absumit.

Turcæ solent quotidie Vulnera recentia vino abstergere, & post ablutionem sat felici successu inspergere saccharum pulverisatum.

Ulcera quoque sanat, atque in auribus & oculis purulentis bonum est remedium.

Alvum movet dulcedine sua ac lentore; sed si largius sumatur, capitis dolorem excitat, quia difficulter, & quidem melle difficilius concoquitur.

Acrimoniam temperare in faucium asperitate, tussi & siccitate notissimum, & præcipue saccharum candum crystallisatum: prodest & in intestinorum læsionibus, in renum & vesicæ calculo.

Error quidam apud *Geoffroy* notandus venit, scil. infantibus vermes ingenerare; nam Experimenta *Redi* evincunt, quod solutio sacchari vel Mellis, spatio horæ j vel ij, vermes necavit, quum in infusione Aloës vel Absinthii vivebant 24 horas.

C. *SAGAPENUM.*

Arabicæ familiæ auctores inter dejectoria medicamenta sagapenum referunt, quanquam ea sagapeni facultas, quantum exstat, a Græcis prætermissa est.

Medio inter silphium & Galbanum odore est, gustu acri, partium tenuium, & calidum; atque aliquando pro silphio sumebatur.

Ossa-

Olfactum ex aceto vulvarum strangulatu procidentes excitat. Abstersionem quandam possidet, qua oculorum cicatrices expurgat atque extenuat; quin & suffusionibus & hebetudinibus oculorum, quæ ob humorum veniunt crassitiem, non malum est medicamentum.

Menses pellit, sed fœtum exanimat cum hydromelite potum.

Prodest laterum & pectoris doloribus, tussibus vetustis, convulsis & ruptis: crassam pulmonis pituitam expurgat.

Datur comitialibus, in scapulam rigentibus, lienosis: contra nervorum resolutionem, perfrictiones & febres, per circuitum repetentes, in potu, & cum oleo perfricatum: prodest ex vino haustum serpentium ictibus.

Addunt *Avicenna* & *Mesue*, quando bibitur cum hydromelle lenit ventrem cum facilitate, & extrahit humorem viscosum crassum & aquam citrinam.

NOTÆ. Odoris est gravis, porrumque æmulantis; saporis acris, amaricantis, mitioris autem quam Asa fœtida, acrioris quam Galbanum.

Non solvitur in Aqua, utpote Gummi-Resina, & partim inflammabile: partes Gummosæ majori quantitate adsunt, quam Resinosæ, virtute tamen hisce longe inferiores deprehenduntur; solutionis enim resinosæ sapor acris, mordax & amarus est, longe plus quam aquosæ.

Triturando cum aqua redit in formam nativam lacteam, ut aliæ Gummi-Resinæ.

Externe instar aliorum gummatum acrium, pustulas, pruritum & inflammationem excitat; atque ad tumores scirrhosos adhibetur: convenit quoque extrinsecus in Pleuritide aliisque tumoribus & doloribus, mitigatione & resolutione opus habentibus.

Purgat leniter a ℈ß ad ℨj; ad ℥ß satis valide. Urinam movet.

Fumus excitat epilepticos & hordeola ciliorum sanat.

Conducit specifice in refractariis obstructionibus hepatis, lienis, mesenterii, renum, uteri, adeoque prodest in Hydrope & cæteris similibus malis: valet asthmate & tussi.

N. *SAL AMMONIACUS.* *Sals Amoniac.*

Veterum & Arabum erat species salis fossilis fibris striatis, quæ & hodie reperitur, sed raro. Optimus salium existimabatur, & à *Dioscoride* ad amussim quoque ita describitur.

Sal Ammoniacus, vulgo dictus, est factitius, & a sale Ammoniaco Veterum omnino diversus.

Saporis est acris, salsi, penetrantis, longe magis acris quam sal commune, & simul amaricantis; urinosum quid resipit una cum sensu frigoris, & quando

do solvitur in aqua maximum frigus producit, quod nullum corpus, sola glacie excepta, producere potest, unde commode inservit ad vinum, in ampullis vitreis repositum, refrigerandum.

Nec acidus, nec alcalinus est; antisepticus vero externe adhibitus ad Gangrænæ carnem putridam absumendam; & ejus usus tutus est in morbis putridis, ubi Alcalia nocent, nostris salibus amicissimus & simillimus, nisi quod hi vi ignis fiant alcalini, sed sal Ammoniacus, licet centies sublimetur, non fit alcalinus.

In aëre humido liquescit, non in sicco.

Nihil aliud est quam sal marinus, sali urinoso unitus.

Solutio ejus vel pulvis, calenti sanguini superaffusus, tenuem quandam substantiam purpuro-rubicundam excitat ut Nitrum, & similiter videtur sanguinis coagulationem per aliquod tempus impedire.

Solutio ejus saturata absumit Verrucas etiam duras.

Errhinus est. Tonsillarum tumores & inflammationes solvit ac dissipat, & utiliter additur gargarismis ad crassiorem mucum in angina notha liquandum.

In aqua Rosarum solutus ad levissimum saporem oculorum nebulas & pannos seu ungues abstergit & resolvit. Chirurgi quidam aquam suam cæruleam inde conficiunt, ad albuginem oculorum tollendam. Externe quoque adhibetur ad resolvendum scirrhum, si resolubilis sit, mixtus cum tantillo aceti, in quo mira præstare dicitur.

Sudoriferum remedium est caute sumptum, ita ut æger se probe tegat, aliter diureticum potens.

Datur feliciter in febribus ardentibus; quinimo, amaris adjunctis: curavit febres Intermittentes, ubi Cortex inefficax fuerat; & per se, ad ʒj vel ij ante paroxysmum datus, sudorem movet, & præcavet vel minuit paroxysmum.

Adhibetur quoque in ventriculi vitiis a causa frigida, concoctionem promovens & in omnibus, a pituitoso ventriculo ac mesenterio profectis, morbis prodest.

Dosis ejus moderata esse debet, v. g. ad ℈j vel ʒß, nisi medicus emeticum exhibere voluerit, nam ʒij hoc efficiunt.

1. C. *SAL FOSSILIS & SAL GEMMÆ. Fossile Salt & Sal gemma.*

2. *SAL MARINUS. Sea Salt.*

Fossili & è mari oriundo vis est adsimilis, ex duabus qualitatibus mista, abstergente & adstringente, & uterque magnopere deficcat.

Salis, ex terra effossi, substantia est magis compacta, proinde in hoc major est

est partium craſſities & adſtringendi potentia; itaque marinus, affuſa aqua, protinus liqueſcit, quod foſſili non evenit. Porro, ejuſdem ſpeciei cum marino eſt, qui in ſtagnis quibusdam, ſalſedinem habentibus, naſcitur æſtate, aquis æſtu ex iis abſumptis.

Omni ſali obſcura quædam adſtringendi vis ineſt, qua eas, quæ condiuntur, carnes conſtringat denſatque potiſſimum, ubi durus & minime fragilis extiterit. Talis eſt foſſilis fere omnis, minus autem illo marinus, tum qui in multis locis, aquis leviter ſalſis, areſcentibus provenit ac tertium locum obtinet, abſtergere magis, quam adſtringere & contrahere potens. Porro, ſal foſſilis, ut minus tenuium eſt partium, ſic minus calidus eſt, quam friabilis & laxus.

Salis plurium generum natura communis eſt calefaciens valde, & adſtringens partim, abſtergens, repurgans, mordens, diſſolvens, diſſipans, ac inſuper reprimens, extenuans & cruſtas inducens; quin & a putredine vindicat cum ob ſiccantem vim quicquid humidi eſt in corporibus depaſcitur, quod vero reliquum eſt adſtringendo compingit, quapropter condita aſſervat, quæ ob ſuperfluam humiditatem putreſcere ſolent (*l*): & hinc corpora defuncta a putredine vindicantur, ita ut durent per ſecula: quin & Oleum, adſperſo ſale, vindicatur a pinguitudinis vitio, ſeu ne ranceſcat.

Sal, propter acrimoniam, naturâ aptus eſt Ulcera irritare; atqui Ulcera putreſcentia cohibet.

Ajunt, dentes non erodi, nec putreſcere ſi quis quotidie mane ſalem contineat ſub lingua donec liqueſcat. &, ne eroſi dentes vacillent ac fœtorem faciant, ſal foſſile, melle ſubactum, in teſtula torrendum, terendum ac modica myrrha admiſta affricandum, præcipitur.

Eſt & apophlegmaticus ſal glebosus cum pulegio, præpurgato corpore, pituitam per os educens.

Laſſitudines diſcutit & hydropicorum œdemata auxiliatur ex oleo illitus: Clyſteribus utiliter infunditur, privatum in iſchiadicis.

Dolores mediocres nervorum, maxime circa humeros & renes, ſacculis inditus, fotu mitigat.

Podagricis cum Oleo adhibetur. Vide ſupra de Olei cum ſale uſu inſigni in curanda podagra.

Aurium doloribus adhibetur cum aceto, vel ex melle & oleo tritus. Ambuſtis

(*l*) Corpora ſicca, ut Leporum, ſalita coriis evadunt ſimilia, contra quæ immodica humiditate diffluunt, ſalis commercio liquantur.

bustus igni cum oleo impositus, aut commanducatus pustulis erumpere non patitur.

Colum torminaque levat potus, &, facculis indutus, impositus candens: ac fomenta ad dentium, necnon lateris dolores faciunt forinsecus ex sale tosto & milio in facculis conjectis.

Furunculos cum uva passa aut suillo adipe vel melle discutit. Sugillata ex melle delet, vel, linteolo involutus, crebroque ex aqua fervente impositus, scil. discutiens; hinc Cataplasma ex pane vim habet magis digerentem, quam quod ex tritico, nimirum cum salem & fermentum panis adjuncta habeat.

Anginas ex melle, aceto & oleo inunctione levat, & fomenta humida salis calidi efficacissima esse perhibentur; necnon in Cervicis rigoribus, opisthotono, emprosthotono & tetano.

Adversus scorpionum ictus cum quarta parte lini seminis ex Oleo vel aceto illitus auxiliatur; atque adversus crabrones vel vespas similiaque ex aceto exhibetur.

Excrescentias in oculis reprimit; pterygia consumit caeterasque carnis protuberationes, ut incipientes verrucas, perniones & clavos pedum, tollit, & ob id collyriis atque emplastris additur, & contra suffusiones oculorum cum lacte in coticulis teritur.

Pruritus sedat ex Oleo & Aceto infricatus ad ignem, dum sudor provocetur, privatim in morbo regio laborantibus in pruritibus, quos sentiunt; similiter & lichenas, psoras & lepras, ac pecorum scabiem illitus tollit.

Sale trito & melle illiniens reprimes Columellam inflammatam, aut gallâ tritâ cum sale; galla enim vehementer adstringit, sal vero discutit cum modica adstrictione in indurata ac diuturna Columellae inflammatione.

Luxatis cum farina aut melle imponitur.

Erysipelata & Ulcera, quae serpunt, illito cohibet.

Scybalorum evacuativum est, & emollit alvum in vino potus innoxie: itidem lumbricos pellit.

Ustus sal majorem discutiendi vim habet, non tamen aeque contrahit ac condensat Ulceribus oris, quae aphthae appellantur, humidis gingivarum vitiis & phagedaenis Ulcerum cum polenta inspergitur, vel cum linteolo concerpto imponitur, & tonsillis uvaeque cum melle adhibetur.

Haec de usu medicinali salis, nec minus digna recenseri videntur, quae protulere Veteres de usu ejus diaetetico, nempe,

Omnibus cibis admistus orexim facit, fastidium avertit & nauseam prohibet.

Removet viscositatem piscium, & ejus exiguum facit, ne Lac coaguletur in ventriculo.

Pecudes, armenta, jumentaque sale maxime sollicitantur ad pastum & ad potum,

potum, sitim excitante, unde pinguescunt, largius lac præbent; & multo gratior inde Caseus paratur.

Jecore aut Liene obstructis, vel scirrho affectis, noxiæ sunt Ficus communi ratione omnium dulcium ciborum ac potuum, quare nonnulli in his affectibus longe ante cibum vescantur ficubus cum sale, aceto & garo præparatis.

Apollonius, *Herophili* maximi medicorum discipulus, graciles & extenuatos dulcibus vesci nolebat, sed salsamentis, & salsuginem habentibus, pro cibo uti jubebat, ut illorum tenuitas facilius per corporis meatus traduceretur, ut author est *Plutarchus*

Porro, & fœcunditatem augere creditur, unde pecuarii admissariis equis, in venerem segnioribus, salem pabulis miscent: quibus etiam alendi canes cura est, salsis carnibus & salsamentis eos pascunt, quod ad gignendum alacriores reddantur, qua de causa non inepte poëtæ finxerunt, Venerem è sale natam; & Ægyptiorum sacerdotes, qui castimoniam profitentur, sale in totum abstinebant, adeo ut pane etiam insulso vescebantur, quoniam sal caliditate & acrimonia sua Venerem movet, ut author est *Plutarchus* in *sympofiacis*, a *Ludovico Nonnio*, *de re Cibaria* citatus.

NOTÆ. *Sal marinus*, *Sal Gemmeum & Fontium*.

Sal gryseus, *Bay Salt* dictus, qui calore solis obtinetur fortior, magisque penetrans est quam sal fontium, quoniam in hoc spicula salina calore ignis obtusiora fiunt, sal gemmæ vero omnium penetrantissimus est, indeque in Clysteribus præfertur sali communi, utpote magis stimulans.

Muria, qua Caro bovina conditur, transudat vasa lignea & terrea magis quam Aqua pura.

In aëre humido madescit, sed non adeo cito ut marinus.

Destillando parum aëris obtinetur a sale, comparatione facta Nitri & Salis Tartari, unde patet ratio cur nihil fiat explosionis, ut in statim dictis.

Nec acidus est, nec alcalinus. Videtur, sanguini calenti superaffusus, per aliquod breve tempus ejus coagulationem impedire. Non obtinetur coagulum a ʒj ad ℔j Lactis, ut a sale Aquarum purgantium, nec serum fit clarum a sale marino, nisi quadrupla quantitate, scil. ʒiv ad ℔j Lactis.

Non mutatur in corporibus animalium.

Vis adstringens, ei tributa, confirmatur hinc; Inspergitur vulneribus parvis in canibus, & gingivis post extirpationem dentium, & Emeticorum operationem sistit, purgationem inducens.

Ejus ℥j purgat fere æque fortiter ac sal Epsomense.

Guttæ aliquot solutionis saturatæ auri instillantur cum optato eventu ad dissolvendam Ceram. similiter Sal dicitur usu interno fundere coagula pituitosa bilemque viscidam, & inde in Scorbuto, Cachexia & Hydrope valere.

Extemporaneus, seu sal marinus *regeneratus* dictus, fit ex Oleo Tartari per deliquium spiritui salis marini affuso, & tunc evaporatione facta; verum, notante *Neumanno*, basis salis marini non est Alcali vegetabile, sed sui tale; nam sal marinus regeneratus acrior est, quam sal communis, & aliter ab eo differt, nam Oleum Vitrioli, sali communi affusum, salem neutrum format in aqua facile solubilem, & in igne fusilem, sal *Glauberi* dictum, sed cum Alcali vegetabili sal difficillime solubile format & in igne non fusile.

Decrepitatus fortior fit, phlegmate orbatus, & in discussione ac resolutione flatuum & humorum serosorum crebrius usurpatur, atque in sacculis calefacientibus fomentisque ad sopiendum dolorem colicum similesque affectus.

Sal apophlegmatizans est in ore detentus in apoplecticis, & in paralysi linguæ, folio Salviæ inspersus, ori inditus, laudatur.

Aquæ marinæ Crystalli ad singulos angulos præcisæ sunt, fontium vero salsorum angulis integris sunt, notante *Listero*.

Est Balsamum ciborum, quo deficiente facile putredines morbique cassi oriuntur, quemadmodum sæpe in castris & locis obsessis contingit.

Aqua marina. Moderate calfactoria est & acris, discutit & desiccat: hinc, si aquam marinam Erysipelati admoveas, partem adures, sed si livor jam occuparit, incisa cute, cataplasma superponendum est, perfundendusque locus aqua calida, aqua marina, & muria. Nec balneum ex aqua marina fieri debet febrienti.

Si calida ad fotus adhibeatur, attrahit simul atque discutit, proinde nervorum vitiis & perniocnibus nondum exulceratis prodest, & in parotidibus inveteratis fotus aqua marina vel muria cocta commoda est, nec testium tumori fovendo aliquid præfertur fotui ex aqua marina.

Muria & aqua marina carnes siccantur & incorruptæ servantur. Faba nec Pisum aqua marina aliave salsa percoquuntur.

Lendes & tetra capitis animalia ejus lotione curantur: quin &, authore *Plinio*, aqua marina instaurabantur Vina, cujus rei gratia ex alto peti jubebant servarique ab æquinoctio verno, aut certe nocte solstitio, & aquilone flante hauriri, vel, si circa vindemiam hauriretur, decoqui.

Liventia fotu fervido discutit & ad colorem reducit.

Tepefacta psoræ, pruritus, lichenes & mammæ sororiantes foventur; & pecorum scabiem sanare [illegible] mare; porro maciem corrigunt, balneum

enim

enim ex aqua marina utile est malo habitu confectis jamdiu corporibus nervisque.

Ejusdem ferventis vapor hydropicos, capitis dolores auditumque difficilem levat.

Salutaris quoque est aqua marina ad venenatorum morsus ictusve, quæ quidem tremores perfrictionesque inferunt, maxime vero scorpionum, phalangiorum, aspidumque, ac, si quis etiam in ipsius calidæ solium descendent, auxiliatur.

Ad movendas dejectiones tepefacta clysteribus infunditur: ad tormina vero & choleram calens.

Stomacho adversatur. Alvum conturbat, unde in navigio, cum deficeret aqua dulcis, qui aquam marinam biberunt, fluxa erant alvo, nec sine morsu vehementi.

Attamen ad purganda corpora, bilemque atram aut sanguinem concretum reddendum vomitu vel per alvum, dabatur per se, aut è posca, vino, vel melle; veruntamen post dejectionem insuper exhibebatur gallinæ pisciumve jusculum ad temparandam infringendamque rosionis acrimoniam.

C. *SALIX* vulg. alba arborescens. Salix alba *Theophrasto* & *Plinio* C. B. *Common Willow*.

Dioscorides unius tantum speciei meminit tanquam vulgo cognitæ, sed apud *Theophrastum* & *Plinium* plures sunt species, quæ, si fides *Brasavolo*, viribus parum differunt.

Folia, Cortex, Succus & Fructus adstringendi vim habent, sicca sine morsu secundum *Galenum*. Recentiores medici salicem in primo ordine frigidam & siccam esse volunt, sed accuratius *Brasavolus* in 2do. ordine siccam statuit.

Foliis ad cruenti vulneris glutinationem uti possis, qualem & Cortex facultatem obtinet, nisi quod temperaturæ sit siccioris, velut omnes Cortices.

Folia contrita sumpta per se, aut pota cum aqua intemperaturam libidinis coercent, & præstat Mulieribus ne concipiant.

Cortice & foliis, in vino decoctis, foveri nervos utilissimum, quod & de decocto eorundem in podagra affirmat *Dioscorides*.

Flos, tritus cum foliis, furfures purgat in facie. Succus è foliis tempore floris in cortice mali punici cum rosaceo calefactus aurium doloribus auxiliatur.

Cortex in potu sanguinem expuentibus prodest.

 Exci-

Excipitur succus, qui manat ex ea cum floret, inciso Cortice; in plaga enim concretus humor invenitur, cui vis inest exterendi quæcunque claritati oculorum officiunt, utpote extergentis simulque tenuium partium medicamini.

NOTÆ. Vim adstringendi in salice præcipue contemplati sunt Veteres; verum dignotio accuratior variarum ejus specierum docuit, ei quoque adesse vim abstergendi, nec tenuium partium expertem esse omnem ejus speciem.

Officinalis equidem, in textu recensitæ, Corticis (præter ejus usum ad coria tenuiora vitulina depsenda) decoctum cum Vitriolo Martis nigrescebat, & amarum erat: folia quoque austera & amaricantia, eorumque decoctum cum Vitriolo Martis viridescebat.

Frondes ejus, in spiras contortæ, aliquando suspenduntur in Cubiculis calore febrili æstuantium ad aërem refrigerandum & somnum conciliandum.

Jula quoque sistunt hæmorrhagiam quamcunque & Cortex similem facultatem habet.

Inveni plerasque, sed non omnes, salices amaritudinis æque ac adstrictionis participes esse, & una, (seu. *Salix folio laureo*, seu lato glabro odorato, *Bay-leaved sweet Willow* N°. 12. p. 449 *Raii Synops*.) præter saporem amarum & adstringentem, quodque decoctum ejus viride fiat cum Vitriolo Martis, est quoque folio grate odorata, instar Lauri.

In *Actis Philos. Anglic.* Vol 53 Cortex salicis albæ vulgaris ad ℥j quarta quaque hora in apyrexia febrium Intermittentium dicitur experientia quinque annorum efficaciter febrem curasse per se, & in casibus difficilioribus Cortici Peruviano adjunctus.

1. C. *SALVIA HORTENSIS MAJOR.* Salvia major, an Sphacelus *Theophrasti?* C. B. *Common Sage.*

2. *SALVIA HORTENSIS MINOR*, offic. Salvia minor aurita C. B. *Sage of Virtue.*

Dioscorides salviæ unius meminit, quæ salviæ majori hortensi convenit.

Folia vehementer odorata, sed virosa. Evidenter excalfaciunt & leviter subadstringunt. Vulnerum sanguinem cohibet per se imposita herba: Capillos denigrat. Inter antiparalytica locum habet.

In oleo cocta, post exsurrectionem mane a somnis, moderate affricta expurgat colorationes in ictero, & sudores movet.

Tetra Ulcera, quæ ab asperitate ferina vocantur, purgat. Apposita vermes aurium ulcerumque extrahit.

Menses ciet decoctum foliorum ramorumque potu: partus extrahit pota apposi-

positave; & succus decoctumve urinam provocat, ac Pastinacæ marinæ ictibus auxiliatur.

Adstringendi repellendique vi quoque aliquatenus præditam esse patet hinc:

Orpheus inquit, sanguinis expuitionem succi salviæ cyathos duos, cum mellis uncia datos, jejunis in potu statim sistere; dicitur quoque ad dysentericos prodesse: cum vino commorantes menses trahit, abundantesque sistere fertur decoctum ejus potum. Testium pruritus sedant rami foliaque, si eorum decocto cum vino foveantur.

NOTÆ. Odoris est, ut Rorismarini, Camphoræ similis, & in summitatibus balsamum aromaticum sentitur, sapor calidus, aromaticus, diu masticanti acris, amaricans, subadstringens; & decoctum, secundum plures authores, cum Vitriolo Martis atramentum facit, ipse vero infusum cum eodem Vitriolo atro-viride fieri expertus sum.

Tinctura spirituosa viridescens saporem acrem obtinet, & longe majori, quam infusum aquosum, activitate instructa deprehenditur, proinde virtus medica præcipue parti spirituoso-oleoso-resinosæ ingenita est.

Errhina est in pulvere, & ad fumandum instar Tabaci pro apophlegmatismo usurpatur.

In porrigine efficaciter usurpatur decocta in aqua, ut abluatur caput.

Usurpatur quoque in fotibus in vino cocta ad tumores discutiendos, speciatim ad tumores vulnerum; & ad œdemata, præcipue vero in stomacace & dentium casu, partes læsas purgans & roborans: aphthas quoque oris abstergit.

Usu est, præcipue minoris, instar Theæ, contra vertiginem, tremorem & affectus comatosos; necnon in concoctionis defectu & flatibus.

Porro, authore *S. Pauli*, si tremula manus officium suum facere nequit, auspicatissime quotidie mane & vesperi vino lavantur, in quo cocta vel maceranda injecta est salvia. Usurpatur in epilepsia & catarrhis (*n*).

In morbis calidis nocet.

Qua roborans Mictum sanguinis curavit, & ad sudores nocturnos post morbos, ex solidorum laxitate ortos, nihil præstantius esse dicitur, quam infusum summitatum in spiritu Vini adusto, ad ℥ß hora somni.

Menses ciet ob crassitiem remoratos, dum nimios compescit.

Succus & folia recentia dicuntur puncturas vesparum & aranearum curare.

N. *SAL-*

(*n*) Illota subinde periculosa fuit, non per se, sed ob insecta in foliis nidulantia.

N *SALVIA AGRESTIS*, five fcordium alterum C. B *Wood Sage*.

Græci unius fcordii meminere, proinde non conftat, hanc plantam Græcis notam fuiffe: nec aliquid apud *Plinium* proftat in hoc loco notatu dignum.

NOTÆ. Odoris eft validi inftar Lupuli falictarii, (fecundum alios inftar Anii) & hujus loco commode additur Cerevifiæ. Si Liquori Cerevifiæ incocto, *Wort* dicto, addatur Cerevifia citius clara fit, quam a Lupulo.

Odor Ancillæ meæ, diutius tractanti falviam hanc ad deftillandum, vertiginem adduxit: faporis eft amari, aliquantum calidi & adftringentis, atque infufum ejus atro-viride, imo fere nigrum fiebat addito Vitriolo Martis: Extractum valde amarum eft, fuccus quoque maxime amarus: cum liquoribus alcalinis coagulatur, contra fluiditatem retinet cum acidis.

Vulneraria eft e præcipuis, five interius fumpta in potionibus, five exterius applicata.

Decoctum Urinam & Menfes ciet.

Gangrænas præcavere dicitur, fcordioque affinis effe, eamque in Ulceribus gangrænofis claudendis celebravit *Hildanus*.

C. *SAMBUCUS* fructu in umbella nigro. C. B. Sambucus in arborem affurgens *Diofcoridis*. *Common Elder*.

De Sambuco humili videatur *Ebulus*.

Apud antiquos nulla eft pro re medica Florum fambuci recordatio, & vix aliqua Corticis.

Folia graveolentia funt, & eorum decocto fi locus fpargatur, Mufcæ necantur: cauliculi in aqua macerantur, ut ea fparfa pulices necentur.

Facultates fambuci non funt calidæ, ut aliorum purgantium, fed frigidiores: porro & vim habet deficcandi, conglutinandi, modiceque digerendi. Aquas alvo detrahit, at ftomachum offendit. Hæc ex facultatibus ejus clarius patebunt, fcil.

Folia recentia molliaque, illita ex polenta, inflammationes oculorum mitigant: ambuftis & canum morfibus profunt, ulcera vero finuofa glutinant; & in ulcerationibus uteri fotus è fambuci foliis, in aqua decoctis, (o) præcipitur: atque iis, qui podagra tentantur, cum fevo taurino aut hircino illita profunt. Ufu

(o) Ad membra, igne ambufta, optime paratur Unguentum digeftione potius quam coctura.

Usu interno, si inflammati fuerint uteri, folia tenerrima in tritici recentis crassiore farina coquenda, leviterque tepida sorbenda præcipit *Hippocrates*; & ad puerperii purgamenta promovenda, coquenda folia, oleoque affuso bibenda. Resistunt folia serpentium morsibus, in vino cocta.

Porro, Folia inter evacuantia, quæ sanis conveniunt, recensentur: in aqua & sale elixa, in cibo sumpta, vel olerum modo cocta, ex oleo & sale eduntur, pituitam bilemque purgant; quod & caules teneri, in patinis cocti, præstant.

In libris spuriis, *Galeno* adscriptis, succus corticum radicis ad ℥ij bibitus, dicitur aquosum humorem educere.

Acinorum succus vinosus est, ipsique aqua decocti manduntur: inuncti denigrandis capillis inserviunt & in uteri incubitu in coxam laudantur apud *Hippocratem*.

NOTÆ. Si quis sub umbra Sambuci decumbat, statim suavi, dulci, somno sopitur; quinimo perhibetur, Umbram sæpe causare ephemeram vel synochum, unde inter arbores sacras locatur, sub quibus secundum rusticos dormire non licitum, author est *Linnæus*: & in *Miscell. Curiosis* prostat exemplum Febris, ex umbra sambuci obortæ.

Folia & Aqua destillata Odoris sunt gravis, & gustanti primo saporis herbacei, salsi, vel subacris, subadstringentis, mucilaginosi, nauseosi. Decoctum diu protractum & Extractum valde amarum.

Infusum mecum amaricans & adstringens, sed a Vitriolo Martis non mutabatur, verum decoctum cum eodem Vitriolo viride fiebat, & in experimento *C. Alston* Infusum foliorum in Aqua post biduam macerationem syrupo Violarum induxit colorem viridem, Tincturæ Heliotropii subviridem, ast cum Vitriolo Martis atro-viride, deinde nigrum fiebat. Porro, mecum Foliorum succus cum Aceto destillato spissescebat, sed a liquoribus alcalinis non mutabatur, proinde ad naturam alcalinam tendere videtur.

Contusa & frigide admota hæmorrhoidum dolorem tertia applicatione sedare author est *Riverius*.

Unguentum summitatum cum qualibet pinguedine animali optimum est remedium in combustionibus: & folia sola in Erysipelate utilia reperta sunt.

Contusa in Cataplasmate dicuntur tumores œdematosos certo curare.

Foliorum ℥ß purgat. Turiones seu Cymæ movent & aliquando vomitum, sed minus quam Cortex interior, & Manip. j foliorum juniorum seu gemmarum in acetario vel in jusculo leniter purgat.

Gemmæ virides, forma cataplasmatis & fotus, ex iisdem cum ¼ parte Spi-

 ritûs

ritûs Vini, magnæ efficaciæ deprehensæ sunt in Ulceribus phagedænicis in Nosocomio Dublinensi.

Flores Odoris sunt mitis, graviusculi, effluvia soporifera longe lateque per aërem spargentes, saporis subacris & siccorum amaricantis; inter mucilaginosa recensentur, mucilagine teneriore quam radicis Althææ.

Aquæ destillatæ vis frigefaciens illustratur Experimentis sequentibus *D. Hale.*

A ℨiij Olei Vitrioli, Aquæ pluviali admisti, augebatur Calor Aquæ	a 48 ad 92
A ℨiij Olei Vitrioli eadem proportione Aquæ Cochleariæ admisti augebatur Calor	a 48 ad 98
A ℨiij Olei Vitrioli eadem proportione Aquæ florum sambuci admisti augebatur Calor	a 48 ad 70

Et experientia comperta esse dicitur Aqua, è recentibus floribus destillata, (scil. illitu) calorem, a sole profectum, restinguere, ardentesque capitis dolores & quascunque inflammationes sedare.

Succus colorem fuscum & fluiditatem retinebat cum spirit. C. C., contra spissior fiebat ab Aceto destillato. Confer Experimentum simile de Foliis supra.

Manip. j Florum coctorum purgat; notandum vero, recentes non siccos adhibendos esse ut cum *Ovis frixis* in hunc usum, sicci enim purgandi potentiam amittunt.

Emolliunt, discutiunt, resolvunt, antiphlogistici universales, vi egregia anodyna commendatissimi in doloribus & tumoribus, speciatim forma Cataplasmatis in doloribus scorbuticis vagis & arthriticis, diaphoretici, diuretici, & alvum leniter laxantes, atque in Clysmatibus ad dolores colicos adhiberi solent.

Infusum, in seri lactis haustulo mane & vesperi sumptum, juvat eos qui Erysipelati aliisque malis cutaneis obnoxii sunt, dum simul facies Aqua florum p. ij & Spiritus Vini p. j foveatur.

Acetum, in quo flores macerati sunt, in cibis ventriculo gratum, appetentiam excitat, crassosque crudos humores incidit & attenuat.

Authore *Etmullero*, Lac mire auget nutricibus, mediante quo infantibus, purpura laborantibus, mire conducit, si Manip j in Lactis ℔j coquatur, addito parum facchari, sed non nimis diu coquatur, aliter utrique diarrhœam levem ciet.

Cortex, scilicet *Interior*, medianus, & præcipue Radicis, seligendus, saporis primo masticanti subdulcis, aliquantum mucilaginosus, succedente acrimonia miti, & mecum calore in gutture, nauseosus & simul adstringens. Decoctum

coctum quoque subadstringens, sed in uno experimento non mutabatur à Vitriolo Martis, verum in altero Infusum nubem viridem exhibuit in fundo, ast Cortex *Exterior*, colore inducto ab eodem Vitriolo, prodebat majorem copiam partium adstringentium, quam interior. Confer Experimentum *de Foliis*.

Usu externo similes vires iis Corticibus, quæ Foliis & Floribus supra, tribuuntur. Contra Ambustiones optimus est Oleo Lini incoctus, addendo succum ejusdem Corticis expressum, & si tumoribus œdematosis, item Erysipelaceis, imponatur recens, dolorem & tumorem abigit; & in podagra calida laudatur.

Succus, è radicis cortice expressus, vomitum valentissime commovet, & aquam intercutem pellit: Viridis, Vino infusus, & bene maceratus, fortiter purgat aquas hydropicorum.

ʒß purgat, vel ℥j in ℥vj Aquæ infusa.

Si coquatur in cerevisia vel aqua, aut vino, urinam, sudorem & menses fortissime pellit, unde cachecticorum optima est medicina.

Baccæ, earumque succus saporis sunt dulcis, acidi, vinosi, subadstringentis, mucilaginosi. Chartam cæruleam colore tingunt magis rubro, quam albam.

Succus cærulescit cum liquoribus alcalinis, contra rubor retinetur & augetur acidis. Albumen Ovi & salivam leniter coagulat.

In Experimentis *D. Lobb* frustulum Calculi, 34 dies infusum in succo, solvebatur.

Purgant, sed minus quam Cortex, alvum potius leniter laxantes, sudorem quoque urinam & menses cient.

Rob remedium est insigne. 1. Alvum blande subducit. 2. Febris omnis æstum temperat. 3. Sudores movet & est fere Theriaca rusticorum.

Porro & extrinsecus imponitur ad refrigerandum.

C. *SANDARACHA*. Vid. *Gummi Juniperi*.

C. *SANGUIS* Draconis. *Dragon's blood*. Vide *Cinnabaris*.

Optimus videtur esse Cinnabaris *Dioscoridis*: *Serapionis* sanguis Draconis dicitur esse quarta species Sideritidis *Dioscoridis* & *Galeni*.

Cinnabaris *Dioscoridis* eandem habet vim quam Hæmatites lapis, ad oculorum medicamenta, imo etiam efficaciorem, magis enim adstringit & sanguinem cohibet.

Apud *Galenum* vis acris ei tribuitur, & adstrictionis quippiam; ingreditur Collyrium ophthalmicum ad corrosos angulos, lippitudines ad malum habitum perductas, & intensos pruritus, atque locum habet inter medicamenta ad achores conferentia.

Actuarius inter potiones febricitantium recenset medicamentum e Santalis paratum, quod adversus jecinoris calorem valet & sitim sedat.

NOTÆ. 1. *Santalum rubrum* Inodorum est, saporis dulcescentis leviterque adstringentis: diu masticando aliquid balsamici sentitur: ipse acrimoniæ aliquid sensi in ore & gutture in substantia & decocto.

Sal Martis, additus infuso, spumam cærulescentem exhibuit. Ponderosius est & solidius ligno Bresilio, unde aquæ injectum statim fundum petit.

Spiritui Vini rectificato dat Tincturam pulchram rubram, Aquæ subflavam, unde distinguitur à ligno Bresilio, quod tincturam rubram dat Aquæ: porro, nec ex eo, ut ex plerisque resinosis, extrahitur tinctura ab Oleis expressis nec a plerisque destillatis, nisi Lavendulæ.

Proinde, Infusi aquosi Odor & sapor nullus est, Tincturæ vero spirituosæ color ruber est ac lenissimam adstrictionem sub degustatione excitat.

Dicitur sudoris eruptionem prohibere & hæmorrhagias compescere.

In fluxibus alvi, catarrhis, iisque morbis, in quibus lignorum decocta, quibus addi potest, præscribitur.

2. *Santalum flavum* Odoris est fragrantis, mitis, aromatici, grati, quasi medii inter odorem Moschi & Rosæ: destillatum cum aqua in alembico Oleum exhibet fragrantissimum instar Ligni Rhodii: saporis est amaricantis, aromatici, subacris, quas qualitates mutuatur a Resina, qua constat, teneriore, quæ Spiritu Vini rectificatissimo prompte extrahitur, unde Tinctura elicitur admodum flava, quæ leniori igne inspissata, Balsamum liquidum coloris bruni & odoris grati constituit.

D *SANTONICUM.* Semen. *Worm Seed.*

Non levis est controversia inter Botanicos de Lumbricorum seminibus officinarum, aliis Zedoariæ semina esse affirmantibus, aliis Absinthii, aliis Abrotoni, aliis tandem nuper Artemisiæ,

Odoris est aromatici, gravis, saporis amari, subacris.

Præter usum ejus in lumbricis enecandis & expellendis, stomachum roborat, antihystericum est & emmenagogum.

C. *SAPO.* Soap.

In Materia Medica *Pharmacop.* Londin. prostat duplex.

1. *SAPO DURUS*, ab Hispania.

2. *SAPO MOLLIS* communis nostrorum Saponariorum.

Saponis usum valde antiquum fuisse patet ex *Sacra Scriptura*, *Jer.* 2 vs. 22.

 Ejus

Ejus tamen non meminit *Dioscorides*, sed *Galenus* & *Plinius*. In libro spurio, *Galeno* adscriptus, dicitur, confici ex sevo bubulo vel caprino aut vervecino & lixivio cum calce, apud Plinium ex sebo & cinere.

Galeno, *Plinio* & *Græcis* recentioribus solummodo usus ejus externus notus fuisse videtur, utpote vim acrem, extersoriam & discutientem habentis, v. g. Omnem sordem de corpore abstergit, vel de pannis. Mittebatur & in caustica, quemadmodum apud nos Causticum mitius fit ex sapone molli & calce viva.

Ano immittitur Sapo Gallicus, lana involutus, ad alvum purgandam, & inter apophlegmatismos recensetur sapo, betæ succo dilutus, juxta palatum illinendus, atque iisdem juxta oris columellam. Idem etiam naribus infundi potest.

Vari sunt tumores exigui, durique in faciei cute. pro his abstergendis ℞ Saponis Gallici ℥iv, Ammoniaci thymiamatis ℨj, Thuris ℨj. Aqua dissolvito & cerati spissitudinem facito, eoque illinito, ac post horæ interstitium tepida abluere jubeto.

Prodest strumis. Emplastrum è sapone discussorium, præcipue ad Furunculos sic paratur: Adipis porcini, picis, Ceræ, saponis nigri æquales portiones liquatas excolato ac utitor. discutit etiam hydropes.

NOTÆ. *Sapo Communis & Castiliensis*. In liquoribus aquosis imperfecte solvitur, solutione semper turbida, verum spiritus Vini rectificatus solutionem exhibet limpidam; spiritus autem, *Proof Spirit* dictus, solvit saponem in majore quantitate, scil. ½ ponderis sui, quam spiritus Vini rectificatus non nisi 1/14 ponderis sui solvit.

Cum Resinis vegetabilibus vel Balsamis spissis contritus compositum exhibet, in aqua solubile instar saponis, unde utilissime additur Pilulis resinosis, quæ hinc in ventriculo solubiles fiunt.

Externe remedium præbet quatenus resolvens in contusionibus infantum & inflationibus œdematosis, in hunc usum in Spiritu Vini solutus, vel in Emplastro vel in Cataplasmate parti affectæ applicatus.

Calculos duros in ejus decocto in aqua digestos corrodit & comminuit; notandum vero hoc fieri a Calce viva, Oleo adjuncta, in lixivio Saponariorum.

Usu interno emollit, deterget, alvum laxat, & est ex optimis incisivis in obstructionibus hepatis aliorumque viscerum, ictero, cachexia & œdemate generali, & in calculis renum aut vesicæ, sed in scopum hunc satius erit eum sumere tali tantummodo dosi, quæ alvum liberam servet, quare ℥ss plerumque sufficit.

1. N. *SAPONARIA MAJOR LÆVIS* C. B. *Sope wort.*

2. *SAPONARIA CONCAVA ANGLICA* C. B.

Radicem deprehendi non amaram, sed dulcem, dein calidam & acrem in guttare.

Folia saporis amari, subausteri, mucilaginosi, subacris, & diu masticanti acris: decoctum quoque amarum & austerum, sed non mutabatur a Vitriolo Martis.

Dicta est a detergendi facultate, qua, saponis ritu, cum aqua agitata, bullas copiosas & spumam dat lubricam, pannos eluentem: & maculas unctuosas tollit, unde & herba Fullonum audit. Solvitur hæc materies in spiritu Vini æque ac in Aqua, unde patet ejus natura diversa a mucilagine. Inspissatis solutionibus manet in Extractis, & in spirituoso Extracto fortior quam in aquoso, unde credibile est, hanc plantam possidere virtutes medicinales, notatu dignas. Vix rubefacit Chartam cæruleam.

Extrinsecus ptarmica est, & folia fonticulis imposita, ad humores copiosius eliciendos hederaceis præstant; & foras usurpata fecundos partus & mortuos trahit, ac pro usu cosmetico in balneis & lotionibus usurpatur cutim purificans & nitidam reddens. Tumores, præcipue panos discutit.

Interne Decoctum totius herbæ est sudoriferum, & menses ciet, ac a *Septalio*, citato ab *Etmullero*, usurpata fuit in cura Luis venereæ.

Planta purgans est, si in decocto paulo saturatiori assumatur, authore *Mangeto*.

Folia & Radices usurpantur in asthmate: Radix, ʒß pondere cum melle sumpta, crassa & glutinosa è thorace educit.

C. *SARCOCOLLA* C. B. *Sarcocol.*

Gummosa est, amariuscula, subdulcis, & proinde mistam habens vim, scil. emplasticam quandam cum paucula amara, citra morsum desiccat, & vulnera glutinare valet: porro, Ulceribus malignis commode inspergitur, utpote mitis & mordacitatis expers. Hoc nomine Oculorum fluxiones inhibet, & concoctoria ac discussoria in morbis oculorum desiccat & consolidat sine nocumento oculi; ast, quatenus maturativa, convenit apostematibus oculorum & doloribus propter humores clausos in interioribus corneæ.

His consentiunt Arabes, speciatim *Avicenna* & *Mesue*, qui porro vim solvendi, Græcis ignotam, detexere, habent autem hæc:

„ Ophthalmiam, lippitudinem, aliosque oculorum morbos mire juvat, „ nutrita in vase vitreo dies quinque in lacte asinæ, novo quotidie af- „ fuso. ".

„ Vis-

„ Vulnera vetera putrida terget & carne implet. Aurium Ulceri putrido
„ & fanioso utiliter imponitur linamentum mella mersum, & pulvere hujus
„ inspersum."

„ Purgat pituitam crudam alioque humores crassos ℨj ad ℨij data."

NOTÆ. Est Gummi-Resina, inodora per se, sed candelæ admota primum bullit, postmodum in flammam claram exardet cum odore quodam ingrato glutinosa est, saporis amari, dulcedinem glycyrrhizæ æmulam post se relinquens, & nauseam cum deglutitur provocans.

Solvitur partim Aqua, & in saliva, inde albescens.

A Vulneribus extergendis & consolidandis nomen est adepta, a quibusdam in dysenteriis usitata, & in sputo sanguinis.

Adhibetur in Oculorum albuginibus, ad maculas illorum abstergendas, in lacte macerata, & postea cum Aqua, addito, si libet, tantillo sacchari.

Ad purgandum tardissimæ est operationis, nec nisi cum aliis purgantibus stimulantibus dari debet.

N. *SARSAPARILLÆ* Radix. *Sarsaparilla.*

Smilax aspera Peruviana sive salsaparilla C. B.

Primum importabatur in Europam ab Hispanis A. D. 1563.

Inodora est, farinacea, utpote ex mucilagine sicca constans, proinde diu masticanti glutinosa, &, secundum quosdam, amaricans, dum alii describunt tanquam subsalsi, alii subdulcis saporis & quasi lenissime stimulantis. coctione diuturnâ spumam emittit mucilaginosam aquæ innatantem.

Virtus in cortice hæret authoribus *Monardo* & *Cæsalpino*, ac proinde Cortex solus usurpandus, nervis exemptis.

Decoctum acescit citius, quam pleræque aliæ radices siccæ.

Infusum & Extractum aquosum sapore notabili destituitur, sed Extractum ab inspissatione Tincturæ rubellæ spirituosæ odore pruni cocti æmulatur, & amaricantem, balsamicum, nauseosum atque subacrem saporem linguæ imprimit; proinde Spiritus Vini extrahit inde Balsamum, vel Resinam mitem: Aqua bulliens tamen vires integras extrahit.

Antacris, diaphoretica & diuretica reputatur, atque insigni utilitate adhibetur in affectibus catarrhalibus, scabiosis, ulcerosis, leprosis, &, præcipue venereis: commendatur in occulto Cancro incipiente.

Authore *Fallopio*, imbecillior est ligno Guiaci, habet tamen ipsa nobiles vires, quibus superat Guaiacum, &, si post superatum morbum Gallicum restent ulcera rhagades, duplo citius sanat sarsa, quam Guaiacum.

In Thoracis affectibus conducit, humores crassos attenuans, & farinaceis viscosis partibus referta.

Porro,

Porro, authore *Fallopio*, non sudorem solum promovet, sed Alvum quoque ciet, quod & a *Valentino* in *Hist. simplic. reform.* confirmatur

N. *SASSAFRAS.* Radix, ejusque Cortex, Arboris ex Florida ficulneo folio C. B. *The Sassafras tree.*

In Hispaniam invehebatur centuria decima sexta.

Cortex præcipue eligendus, sed maxime radicis, qui Ligno acrior, odoris fragrantissimi, unde & Lignum radentibus dolor capitis inferri solet, quin & infusum, mane sumptum, capitis dolorem & somnolentiam non assuetis infert. Odor ejus similis fœniculi vel anisi, & sapor aliquantulum acris, subdulcis, aromaticus. Ardet tanquam resinosus, flammam aliquantulum nutriens, & Resinam dat Spiritui Vini, ac Tincturam rubram plus quam Aquæ: destillando multum Olei præbet, in aqua subsidentis atque virium earundem ac Lignum: Guaiaco temperatius & pluribus subjectis conveniens.

Ne diu coquatur, una Ebullitio sufficit.

Post macerationem duarum septimanarum in aqua, infusum valde mucilaginosum & lentescens fiebat, quo convenit Chinæ & sarsaparillæ.

Fragmentum Calculi duri solidi, per quatuor menses in decocto infusum, comminuebatur, etsi minus quam a decocto Guaiaci.

Extus roborat, discutit, & ad partuum laxitatem, ac tumores frigidos, convenit: halitum oris emendat.

Radix pulverisata, & cum capillis convoluta, pediculos necat.

Diaphoretica est, diuretica & carminativa ut Fœniculum, ac convenit frigidis primarum viarum affectibus.

Usus est decocti in affectibus catarrhalibus & pectoralibus pro vitiis lymphæ acrioris corrigendis, in quibus tanquam panacæa habetur, in morbis chronicis cutis, in doloribus venereis & rheumaticis, in obstructionibus viscerum & glandularum; in scrophulosis aliisque tumoribus & ulceribus. Curavit *Hoffmannus* quendam, fluxione ad genu dextrum laborantem, decocto bene gravido, quæ aliis remediis cedere nollet, & in *Actis Germanicis* notatur vis ejus diaphoretica in desperato hydrope.

Apud *Valentinum* sic paratur Decoctum: ℞ ligni cum cortice ℥ß, Aquæ ℔iij. Infunde per noctem, dein coque ad tertiæ partis consumptionem, vase cooperto. Hoc in macientis corporibus Guaiaco præferendum, ipsis conferens & carnem augens.

C. *SATUREIA* hortensis, seu Cunila sativa C. B. *Summer Savory.*

Genus herbæ est Cunila, saturea Cunilæ species, quæ & Thymbra; *Columella* tamen distinguit Thymbram a saturea.

Tertio ordine calefacit, acerior Thymo, viridis pro condimento in alimentis manditur, exsiccata enim non amplius cibus est, sed medicamentum. Eadem præstat, quæ Thymum, si modo continenter sumptitetur, sanitatem usui apta. Sativa, propter mitiorem acrimoniam, commodius in cibos reperitur.

Est in genere alimentorum tenuantium proximo loco post allium & cepam.

Ventriculum justo frigidiorem calefacit atque ad temperamenti caliditatem revocat, calidum vero inflammat læditque.

In Phacoptisana, seu in ptisana, quam ingreditur Lens, adjicitur Satureia, aut Pulegium, quo suavior & concoctu facilior fit.

Jecore aut liene obstructis, ficus per se nocent, sed longe ante cibum sumptæ cum Satureia juvabunt: ad duritiem jecoris molliendam, & quemlibet veterem dolorem sedandam bene facit satureæ aridæ, in pulverem redactæ, denarius unus ex mulsi cyathis duobus, si non febricitet, vel totidem calidæ aquæ, si febricitet, assidue datæ.

NOTÆ. Odoris est suavis, valdi, aromatici; saporis acris, calidi, amaricantis, calidior & magis grata, quam Hyssopus. Decoctum montanæ C. B. subadstringens erat & viridescebat cum Vitriolo Martis.

Activitas ejus principio oleoso-resinoso deberi videtur; nam spiritus Vini rectificatus extrahit tincturam atro-viridem cum sapore plantæ, Aqua subrubro fuscam, sed parum saporis.

Extrinsecus discutit, resolvit, &, cum vino decocta, laudatur in atonia, motuum defectu & tumoribus frigidis. Adhibetur quoque in gargarismis ad paralysin linguæ; & Vapor decocti, in aurem receptus, contra tinnitus aurium.

Diaphoretica est egregia, diuretica & carminativa, unde cum pisis & fabis comeditur, & pauperes in Germania Brassicas capitatas hac herba condiunt, unde illæ jucundissimum odorem & gratissimum saporem acquirunt.

Imo omnibus edulis tam carnium quam piscium incoquitur, appetentiam ciborum inducens, stomacho conferens, venerem stimulans.

Vires similes Thymo possidet, copioso sale volatili scatens, in phlegmate crasso & viscoso pulmonum & ventriculi utilis ad attenuandum & tussim sedandam. Menses ciet.

C SATYRION.

1. *Satyrion mas.* Orchis morio mas foliis maculatis C. B. *The Male Fool-stones.*

2 *Satyrion fœmina.* Orchis morio fœmina C. B. *The Female Fool stones.*

Hæc convenit Testiculo alteri *Dioscoridis*, & vi analeptica ei, ac satyrio *Ejusdem* videtur convenire, vel ad minimum pro substituto alterutrius admitti potest.

Orchis, [illegible] *Hippocrati*, non est satyrium *Dioscoridis*, satyrium enim ejus unicam habet radicem, Orchis vero duas. *Plinius* utraque confundit.

Apud Arabes satyrium omnibus Orchios generibus commune est.

Qualitates sensiles & vires medicinales radici Orcheos, seu Testiculi sui a Veteribus tributæ præcipue sunt sequentes.

Vis ei inest humida & calida, ac gustantibus dulciuscula est. Illitu partes inflammatas demulcet, & succus inunctus lippitudines optime curat.

Editur, bulborum modo tosta vel cocta, & mollis in lacte caprino bibitur ad stimulandos coitus (*p*).

Dioscorides equidem quoque Testiculo suo alteri vires tribuit œdemata discutiendi & Ulcera depascentia purgandi; sed has vires potius competere alteri Orcheos speciei (quam quidam Triorchin, alii Serapiada nuncupant) sicciorem facultatem obtinenti, volunt *Galenus* & *Paulus Ægineta.*

NOTÆ. *Radix Satyrii utriusque*, supra recensiti, farinacea est, mucilaginosa, subdulcis vel dulcis, saltem *Fœminæ*, quæ aliquando saccharinæ dulcedinis, & gratum quid resipit.

Juniores Bulbi eligendi solidi & succi-pleni, antiquiores rugosi rejiciendi.

Pulvis, injectus in Ulcera depascentia, horum progressum impedit. Forma Cataplasmatis tumores duros discutiunt.

Usu interno in debilitate & statu convalescentiæ conveniunt, & ad dysenteriam: succum nutritium auget Radix, confert phthisicis, hecticis & emaciatis.

D. Ludovicus, Castigator ille severus usus simplicium superfluorum, commendat Radices recentes, ardenti spiritu in Essentiam saccharinam melliformem,

(*p*) Radix satyrii maris decorticata & exsiccata pellucida fit, cui pulverisatæ affusa aqua calida fit liquor mucilaginosus, *Salep* nostro similis, quod ex aliqua specie Orchios parari dicitur.

mem, superflua mucilagine sequestrata, redactas (q): Verum, pace Manium ejus, dixerim mihi videri, hanc Essentiam minus valere ad succum nutritium augendum, quam infusum aquosum mucilaginosum.

Nonne pleraque analeptica viscosa sunt?

D. *SAXIFRAGA.*

1 *Saxifraga rotundifolia alba* C. B. *White Saxifrage.*

2. *Saxifraga vulg.* offic. Seseli pratense: Silaus forte *Plinio.* C. B. *Meadow Saxifrage.*

Dioscoridis descriptio saxifragæ adeo brevis est ut multas inter authores controversias excitaverit, multæque stirpium diversæ speciei pro ea habentur, vel eo nomine appellantur.

D. *SCABIOSA* Offic. Scabiosa pratensis hirsuta, quæ officinarum C. B. *Scabious.*

Folia subinde describuntur tanquam inodora & insipida, verum examine accuratiori deprehenduntur amaruscula & subacria, aliquando subadstringentia. Succus viscidus est, saporis subsalsi cum acrimonia, & Extractum succi satis acre erat.

His haud incongrua videntur Experimenta sequentia.

Decoctum amaricans erat, subadstringens, & cum Vitriolo Anglicano obscure viride, quod confirmatur experimento *C. Alstoni*, infusum nempe a solutione ejusdem Vitrioli fieri semiopacæ viriditatis. *Fleyerus* notavit aliquid aciduli in floribus. Aliquantum rubefecit Chartam cæruleam, atque infusum solutionem Heliotropii apud *Alstonum* colore quodammodo rubro tinxit. Porro, succus coagulabatur liquoribus alcalinis, sed plerumque fluiditatem retinebat cum acidis, ac propterea majorem affinitatem habet his, quam illis.

Usus est extrinsecus in balneis in scabie omnis generis, (unde nomen.) pruritu, lepra, impetigine & tinea, in furfuribus ac lendibus capitis, in sugillatis & maculis faciei.

Sudorifera est, & authore *Boerhaavio*, succum præbet saponaceum, dissolventem sine ulla acrimonia inflammante; hinc decoctum ejus cum sero lactis vel aqua calida in omni morbo calido, cum melle paratum, juvat, ut in febribus ardentibus, variolis, morbillis, angina, phrenitide, pleuritide, peripneumonia, in asthmate & tussi, expectorans & egregie purgans pulmones, a materie inflammatoria obsessos.

Hinc

(q) Vide *saccharum.*

Hinc haud recte rejicitur ex decocto pectorali in *Pharmac. Lond.*

D. Willebrochius, medicus celebris apud *Raium* commendat pulverem radicis, per 40 dies assumptum, tanquam certissimum remedium ad Rhagades seu scissuras & serpigines, ex Lue venerea oriundas, etiam in iis quibus decoctum Ligni Guaiaci parum profuit. Ad ʒj ex sero lactis ab alio præscribitur, quotidie sumendum, decoctum.

C. *SCAMMONIUM*, vel Scammonia. *Scammony.* Scammonea Syriaca flore majore Convolvuli J. B.

Dioscoridis descriptio plantæ, ex cujus radice extrahebatur scammonium, nostræ non ad amussim convenit, quæ diversa videtur fuisse species ejusdem generis.

Porro, Veteres scammonium longe majore dosi exhibebant; & *Dioscorides* scammonium laudat pellucidum; at hoc hodie non reperitur, eam haud dubie ob causam, quod non ad mentem *Dioscoridis* amplius colligatur, verum ope torcularis exprimatur, atque eo ipso impuritates, pelluciditatem auferentes, habeat commixtas. Attamen *Tournefortius* affirmat, scammonium insulæ Samos descriptioni *Dioscoridis* optime convenire.

Quoniam itaque scammonium Veterum non prorsus periit, vel nostrum ad minimum genere ei conveniat, vires, ei a Veteribus tributas, hic recensebo.

Radix gravis est odoris, nauseosa. Ex ea, decocta in aceto, contritaque cum hordeacea farina, cataplasma fit ischiadicis utile. Panos sanat decoctum ejus cum melle. Purgat radix, & nonnulli decoctum ejus ebibunt.

Succus exsiccatus virus redolet simulac saliva tangitur humorem lacteum & amarum ostendit: in primo caliditatis gradu ponitur, non vehementer linguam excalfaciens, urensve ut Tithymalus, calidæ tamen & discussoriæ facultatis, panos discutiens cum melle oleove perunctus. Vulvæ appositus, in lana, partus enecat; emortua pellit potum vel appositum. Ejus decocto in aceto illitæ lepræ auferuntur.

Magis, quam omnia purgatoria, stomacho nocet, dolorem inferens, sitim faciens; hinc non convenit ei, qui ventrem ardentem habet, nec febricitanti (r), aut ei qui stomacho imbecillo est, stomachum enim evertit.

Drachmæ unius, aut quatuor obolorum (ϿIJ) pondere haustum, ex aqua pura

(r) *Hippocrates* tamen, in ratione victus in morbis acutis, præcipit mediocrem alvi solutionem ex scammonio, ubi venter murmuraverit, & excrementa fuerint biliosa.

pura vel mulsa per inferna bilem pituitamque extrahit; & solvendæ Alvi grana ℈j cum sesamo aliove semine sumpsisse sat est. (*x*)

Utilissime cum Aloë datur, & Hieræ picræ admiscetur iis, quibus ob biliosum humorem caput dolet; & in malo cydonio assatum ac comestum absque stomachi subversione alvum subducit. stomacho bene affectis datur pondere ℈j cum sale, pipere, zinzibere, thymicoma, aut pulegio.

NOTÆ. Succus exsiccatus in Officinis nostris odoris est instar Casei putridi, saporis amaricantis & subacris, radicem linguæ plus quam apicem ejus afficiens: si linguam vehementer adurat, suspicionem suggerit Tithymali admixti. Flammam concipit, utpote concretum resinoso-gummeum, & plus Resinæ continens quam Gummi, nempe, secundum quosdam, ¾ partes Resinæ; sed *Cartheuser* ex ℥j obtinuit circiter ℥ß principii resinosi, ʒiij vero gummosi. Quantitas Resinæ, quam præbet, demonstrat succum proprium esse plantæ. Hæc Resina mitior est & tutior quam Resina Jalapii.

Triturando cum aqua fit Emulsio purgans sine torminibus, relicta magna parte Resinæ specie fæcum, secundum *Dan. Ludovicum*.

Olea & Vitellus Ovi reddunt in Aqua solubile, & Spiritus Vini, *Proof spirit* dictus, dissolvit totum.

Corrigitur acidis, v. g. succo Cydoniorum vel pauxillo Sp. Vitrioli aut Olei sulphuris per campanam, affusis aliquot guttis Olei Anisi: sic lenius purgat, necnon cum saccharo contritum: vel cum sale Tartari comminuitur & mitius fit.

Pulvis solutionem Heliotropii rubefacit, sed minus quam pulpa Colocynthidis, si vero sale Tartari combinetur, quod ejus est optimum corrigens, color ille ruber penitus disparet.

Cum lana, ut pessarium, menses movet & secundinas expellit.

C. *SCHOENANTHUS.* Juncus odoratus. *Camel's Hay.*

Noster folia habet, non vero Veterum σχοῖνος, qui proinde noster non est, nec solum natale convenit.

Σχοῖνος vel σχοίνου ἄνθος, temporibus *Galeni* & anterioribus usitatus, in medicina longe diversus erat ab eo σχοίνῳ, quam vetus Græcia novit circa ætatem *Hippocratis*, ac *Theophrasti*, qui, hunc verum esse Juncum, a communi nihil differentem,

(*x*) Forte Græcorum scammonium mitius erat, nec, ut hoc tempore, tithymalo adulteratum.

tem, & in certa convalle Syriæ loco palustri nasci autem, dicit. Hic Juncus sine foliis & floribus quorum nec meminere Veteres.

Sequens ætas Fœni genus Arabici, odoratum gracilem, ex Arabia afferri solitum, hoc eodem nomine donavit, & quod florem haberet, *σχοίνου ἄνθος* herbam ipsam appellavit. Inde authores descriptiones utriusque, quod in aliis plus quam solenne, miscellas dederunt, confusis hujus novitii & illius antiqui notis, quas ex libris hauserant.

Cameli jucundissime hoc junco pascuntur.

Odor ipsius celeriter exspirat. Modice calfacit, & adstringit, nec plane a tenuitatis natura alienus est. In omnibus suis partibus, gustantibus apparet adstrictio, sed flos calidior est, radix magis adstringit, ac pro inde medicamentis, quæ hæmoptoicis exhibentur, commiscetur. Porro, quatenus tenuium partium sit, urinam movet, mensesque ciet, sive in potionem adhibitum, sive in fomentationem, & locum habet inter antidota, ingrediturque Theriacam Andromachi.

Prodest & jecoris, stomachi ac ventris phlegmonis. Eædem vires tribuuntur Junco suo odorato a *Dioscoride*, & privatim decoctum vulvæ inflammationibus ad desidentium fotus utile esse.

NOTÆ. Odoris est fragrantis, aromatici quasi mixti Rosæ & Pulegii, saporis acris, amaricantis & balsamicum quid resipit, subadstringens. Corrigit fœtorem oris.

Carminativus est, & usus est in ventriculi inflatione ac Colica flatulenta, vomitu ac singultu: dicitur convenire in omnibus frigidis cerebri & nervorum affectibus.

C. *SCILLÆ.* *Squill or Sea Onion.*

1. *Scilla radice alba* C. B. Scilla mascula *Plinio*.

2. *Scilla vulg. radice rubra* C. B. Pancratium, & Scilla *Dioscoridis*. Ornithogalum marinum *Tournefortii*.

Scillam, quam nunc vocant, non esse scillam, qualis tradita est ab antiquis, author est *Salmasius*, quinimo nec effectus correspondentes satis prodere. Verum, pace viri doctissimi, liceat mihi affirmare tum qualitates sensiles, tum vires experientia compertas, usque adeo convenire, ut nostra pro succedaneo Scillæ Veterum sine injuria admitti possit, quod ex sequenti enumeratione, a Veteribus deprompta, clarius patebit scil. Amara est & acris, Vires habet acerrimas & excalfacientes, etsi in 2do ordine excalfacientium ponat *Galenus*, & quo albidior eo minus calida, admodum incidentem tamen habens facultatem. Assatione & elixatione virium ejus vehementia solvitur.

Quæ

Attenuat & incidit Mucilaginem viscidam & crassam; proinde laudatur in cachexia, œdemate, glandulis induratis & aliis affectibus chronicis, a muco viscido dependentibus. Menses ciet.

Inter remedia, Hydropi debellando commoda, nullum facile reperitur radici scillæ comparandum, sero per alvum, per urinam, quin & per œsophagum & asperam arteriam evacuando accommodatum. In *Actis Academiæ Cæsareæ* prostat Historia efficaciæ ejus in Nephritide calculosa, scil. Aceto scillitico ad Cochlearia duo mane & vesperi per aliquot menses sumpto, unde calculos innumeros excrevit æger, & duobus annis salvus ab hoc malo restabat.

C. *SCINCUS* Offic. *Schroderi.* Crocodilus terrestris *Dioscoridis* & *Raii Synops. Animalium.* *The Scinck.*

Olim afferebatur sale conditus, addito nasturtio. Authore *Galeno*, medicamentum est multi seminis, & aiunt, inquit *Dioscorides*, partem eam, quæ renes amplectitur, drachmæ pondere in vino potam, venerem accendendi vim habere. *Plinius*, forte non minus recte, easdem vires tribuit rostro ejus & pedibus in vino albo potis (t). Antidotis quoque additur, & Mithridatium ingreditur.

C. *SCORDIUM* C. B. *Water Germander.*

Variis tum saporibus, tum facultatibus constat; nam & amarum quid obtinet, acerbum & acre, allium aliquantum redolens, & adsimilis ei acrimoniæ, unde nomenclaturam sortitum fuisse videtur, vim habens excalfactoriam.

Subditum menses movet.

Viride illitum magna vulnera conglutinat, aridum inspersum, vel cum melle illitum, sordida Ulcera & contumacia ad cicatricem perducit. Siccum quoque excrescentias cohibet.

Inflammata modice præcordia cerato exceptum lenit; quin & laterum dolores, ab obstructione & frigore natos, sanat epotum.

Valet ad podagram ex aceto acri oblitum, aut ex aqua impositum; testium dolores sedat; quin & succus ad omnes corporis dolores datur potandus: prodest ruptis convulsisque ex alto dejectis. Urinam Mensesque ciet.

Ex hydromelite pus crassius ex pectore expellit, & ad veterem tussim facit aridæ farina, si cum nasturtio, resina & melle in eclegmate misceatur.

Ad

(t) In Ægypto carnem, in frustula concisam, coquunt ad spissitudinem jusculi vel gelatinæ & vires ei similes iis carnis viperinæ, vel & superiores tribuunt. *Hist. Mat. Med.*

Ad stomachi rosionem, dysenteriam & Urinæ difficultatem binis drachmis ex hydromelite propinatur.

Literarum monumentis traditum est, cum in prælio interemptorum cadavera multos dies insepulta jacuissent, quæcunque supra scordium forte fortuna ceciderant, multo minus aliis computruisse, ea præsertim ex parte, qua scordium attigerant: ob quam rem sane persuasum est, omnibus tam reptilium venenis, quam medicaminibus, quæ corpus putrescere faciant, scordium adversari. Recens tritum itemque aridum decoctum in vino adversus serpentium morsus venenaque propinatur, & ingreditur Theriacam Andromachi.

NOTÆ. Odor gravis est instar Allii, præsertim in recenti, sapor amarus, aliquantum acris & calidus, adstringens, & infusum ejus atro-viride fit cum Vitriolo Martis, &, authore *Konigio*, decoctum nigrescit instar atramenti ab eodem. Odor & sapor extrahitur ab Aqua, & a Spiritu Vini rectificato, tinctura cum priore subfusca, cum posteriore saturate viridi. Chartam cæruleam leviter rubefacit.

Extrinsecus mundificat vulnera & ulcera, ac, si loco inflammato scordium cum aceto applicetur, omnem transitum in gangrænam & putredinem prohibet.

Vermifugum est insigne in equis & pueris comprobatum.

Sudoriferum est, Alexipharmacum, Diureticum, in febribus malignis, contagiosis & pestilentialibus utile, tam præservando quam curando.

Phthisicis prodest, expectorationi favens, & progressum suppurationis præcavens.

Apud *Raium*, in *Hist. Plant*, *Gasparus Guitmannus*, Medicus Augustanus plurimos Bubones pestilentes ruptos & Ulcera maligna curavit feliciter solo pulvere scordii, ac nondum ruptos aperuit.

N. SCORZONERA latifolia sinuata C. B. *Viper's Grass.* Radix, primum usurpari cœpit A. D. 1554., tanquam Antidotum, contra serpentis morsum.

NOTÆ; Herba tota edulis est, & radix cruda, cocta, & frixata pro deliciis mensis apponitur, saporis subdulcis fere quasi in nuce Pontica; mensis Magnatum affertur, & Pastinacæ ac siſaro præfertur.

Optime nutrit, nihil fere distans a Tragopogone, abundans succo lacteo, saporis subdulcis in recenti, amaricantis in sicca: quin & aliquando deprehenditur amara & acris, inde sudores movens.

Succus lacteus, oculis inditus, visum exacuit,

Extract-

Extractum ejus cum Aqua satis dulce erat & mucilaginosum; sed cum spiritu Vini rectificato minus dulce, secus quam in plerisque aliis vegetabilibus dulcibus, quorum *Extracta spirituosa* plerumque magis dulcia sunt, quam aquosa.

Decoctum ex hordeo cum scorzoneræ radice adhibetur in morbis ubi impetus nimius ab acri volatili pendet, in febribus acutis malignis, variolis & morbillis.

In *Miscell. Curiosis* deprædicatur, tanquam Alexipharmacum, montana quædam amara, utpote insignis efficaciæ in morbis malignis & febribus catarrhalibus.

D. SCROPHULARIA

1. *Scrophularia Aquatica major* C. B. Betonica aquatica offic. *Water Betony.*

Folia recentia odoris sunt fœtidi instar sambuci, saporis amari, aliquantum nauseosi & subacris in gutture. Infusum eorum amaricans est, & nucleos Cerasorum nigrorum resipit, ac cum solutione Vitrioli Anglicani opaco-viride fuit. Succus fere insipidus, acris autem in gutture fere per horam. Cum liquoribus alcalinis volatilibus, necnon cum acidis, fluiditatem retinebat.

Folia sicca parum odoris habent, saporis sunt subamari, nauseosi, adstringentis & subacris in gutture. Infusum eorum non rubefecit Chartam cæruleam, vel leviter, nec nisi leviter solutionem Heliotropii. Decoctum amarum erat & subadstringens, sed non mutabatur solutione Vitrioli Anglicani.

Foliorum ℥ij cum p. æ. sennæ tollunt hujus odorem & saporem; & in *Pharm. Edinb.* A. D. *1735* ℥ij foliorum adduntur ℥iij sennæ.

Iisdem viribus pollet, quibus nodosa fœtida, quemadmodum plantæ pleræque, quarum odor est instar sambuci vel stramonii, iisdem fere viribus pollent in inflammationibus & tumoribus, nec aptiora illis remedia suppetunt in vulneribus partium tendinosarum.

Inservit succus ad mundificanda Ulcera sordidissima, ea quoque, quæ in carcinomatis labem prona sunt.

Ex succo herbæ & radicis, cum oleo & cera coctis, fit Unguentum præstantissimum ad scabiem omnis generis, authore *Trago.*

Oleum fœtidum, quo abundant, emollit fibras, harum tensionem minuit, dum sal, in quo residet amaror, materiem obstruentem attenuat. Hinc utriusque usus est insignis in strumis & scrophulis (unde nomen.) mariscis ani & hæmorrhoidum dolore, resolvens tumores, non ad suppurationem tendentes.

Radix plus rubefacit Chartam cæruleam quam Folium. Alvum reddere lubricam dicitur dosi ad ℥j vel ij, in decocto.

 2. *Scro-*

2. *Scrophularia nodosa fœtida* C. B. *Figwort.* A. 1700 primum invehebatur in Europam, tanquam Specificum contra varios morbos & correctior sennæ.

Folia valde fœtida sunt, etiam plus quam sambuci, cui Odor similis, & valde amara. Succus subacris in gutture, nil mutationis subiit ab admistis liquoribus alcalinis, nec acidis. Non nisi levissime rubefaciunt Chartam cœruleam, sed Radix plus.

Radix minus fœtet, & amara est quam Folia, subacris, imo recens acris erat in guttere per aliquot horas; atque infusum ejus amarum erat & adstringens.

Succus Radicis subdulcis, amarus & acris in gutture. Decoctum quoque odoris erat fœtidi, saporis amarissimi & adstringentis, non autem mutabatur a solutione Vitrioli Martis.

Idem succus mihi indicia evidentia indolis alcalescentis exhibuit, colorem enim & fluiditatem retinebat cum liquoribus alcalinis, sed ab acidorum admistione albescebat & spissitudinem aliquam acquirebat.

Confer Experimentum simile supra de *succo foliorum sambuci.*

Folia & Radix, cum aceto contusa & bis vel ter in die applicata, dissolvunt tumores duros.

Radicum pulvis ad ʒj lumbricos pellere dicitur, & Unguentum ex iis adhibetur ad resolvendos tumores scrophulosos ac mitigandam inflammationem hæmorrhoidum.

C. *SEBESTEN.* Myxa & Myxaria *Actuario.* Prunus sebestena *Matthiolo* C. B. Sebesten domestica C. B. *The Sebesten.*

Nusquam apud *Dioscoridem* reperitur, sed apud posteriores Græcos, *Paulum*, *Aëtium* & *Actuarium* sub vocabulo Myxa, non sub vocabulo sebesten reperitur, Græci enim Myxam appellant mucilaginem.

Arabibus debemus hos fructus; proinde audiendus est *Avicenna*, qui hæc de iis habet: „ Fructus sunt quasi temperati, lenitivi, leniunt guttur, pectus & „ ventrem; ac sitim sedant."

Et *Averroës* author est, hos fructus conferre stricturæ anhelitûs, &, quando coquuntur donec fiat inspissatio, & ex decocto paretur embrocatio, super lepram & alopeciam facere nasci pilos.

NOTÆ. Pulpa dulcis est, mucilaginosa, viscosa; imo optimum Viscum paratur ex pulpa recenti cum aqua contrita.

Differunt hi Fructus a prunis, ficubus, dactylis & jujubis, quod magis viscosi sint, magis antacres & incrassantes.

Acrimoniam humorum obtundunt, usus præcipui in catarrhis acribus, tussi-

cedi-

aedine, tussi, urina acri & stranguria, febribus biliosis & obstructione alvi, quam laxant.

Per se vel in decocto infantibus adversus ventris tineas utilis his, qui alia medicamenta respuunt.

Pulpa, ad ℥x vel ad summum ℥xij devorata, eosdem fere praestat effectus, quos Cassiae Pulpa.

N. *SECALE* hybernum vel majus C. B. *Rie.*

Veteribus incognitum nisi *Plinio*, apud quem secale est. Galli veteris nomenclaturae vestigia retinent, *le segle* appellantes.

In *Sacra Scriptura, Exod.* IX, 32, male legitur *Rie*, secale enim in iis regionibus parum notum, sed debet legi *Rue*, quae & adhuc, notante *D. Shaw*, seritur in Ægypto, verum Oryza erat Olyra Ægyptiorum veterum, & Olyram vocem Hebraicam reddunt septuaginta in hoc loco pro *Rie.*

Furfures insignem habent vim abstersoriam, & incoquuntur clysmatibus, ubi opus est abstersione intestinorum, & ad removendas sordes capitis egregie prosunt.

Dulce est ut alia frumenta, & magis mucilaginosum quam Triticum, magisque humectans in cataplasmatibus, sed difficilioris concoctionis.

Septentrionales regiones perbelle panibus secalinis nutriuntur, modo probe subacti, cocti & fermentati fuerint: quin & panis hinc videtur salubrior triticeo, utpote minus obstruens, quod forte una ex praecipuis causis, cur magnates assidue podagrae & calculi doloribus vivant obnoxii.

Panis, vel Fermentum inde, plus digerit, attrahit & maturat in furunculis & abscessibus, quam Fermentum ex triticeo.

Panis aliquantulum ciet alvum, & in Gallia paratur potus ex eo tosto ac pulverisato instar Coffee.

Quidam panem recentem ut è furno extrahitur in patinam ponunt, sic ut fundum non attingat & panno laneo, ne spiret aut frigescat, involvunt, unde destillat Aqua cujus ad surditatem est usus, cum detergat, & discutiat.

Farina farinis quatuor resolventibus annumeratur, easdem fere vires possidens ac Hordeum, ac discutiendis & resolvendis tumoribus, praesertim erysipelaceis, convenit, hinc in Erysipelate a vulgo farina sicca, indica seu trita mundo, loco affecto applicatur cum successu felici: utiliter quoque adhibetur, in Cataplasmatis formam redacta, locis inflammatis, ubi degeneratio in putredinem metuenda; emollit enim, discutit, & potentissime putredini resistit, quum longe citius quam farina tritici aut hordei acescat. Obinde quoque ex granis secalis vel pane secalino decocta parantur in febribus putridis, addito succo

 succo

succo Citri & vini momento si res exigat, gratissima & simul etiam convenientissima.

C. SEDUM.

1. *Sedum majus vulg.* C. B. *House leek.*

2. *Sedum minus luteum folio acuto* C. B. *Most ordinary yellow Prick-madam or Stone crop.*

3. *Sedum minus vermiculatum acre* C. B. Illecebra Romanorum *Dioscorid.* Telephium *Hippocratis*, ex *Galeni* verbis. *Wall pepper or Stone crop.*

Hæ tres species, sigillatim exploratæ, usque adeo conveniunt tum facie externa, tum viribus sempervivi tribus speciebus *Dioscoridis*, ut ad minimum pro eorundem succedaneis admitti possint, & proinde eorum vires ex eo aliisque Veteribus hic apponam.

1. *Sedi majoris vulgaris* vis est perfrigerare & adstringere; ex mente *Galeni* enim ex tertio ordine frigefacit; siccat autem & adstringit moderate. Jungitur uvæ acerbæ aut portulacæ succo utpote condensans, humidum & frigidum.

Hinc folia, tum per se, tum cum polenta imposita, valent ad Erysipelata, præmissa catharsi, & in emplastro apponenda in principio inflammationis, ad nomas, oculorum inflammationes, ambusta, podagras, & ad Ulcera, quas à serpendo Herpetas vocant, sed Herpetibus exedentibus apponere non licet sempervivum, utpote refrigerans simulque humectans, sed sola refrigerantia, quæ etiam maxime, exsiccare possunt, v. g. Capreolos vitis, folia rubi, &c. Nec convenit in Athoribus.

Succus ad capitis dolores cum polenta aut rosaceo adhibetur: morsis a phalangio potui datur, itemque profluvio Alvi laborantibus ac dysentericis; sed & teretes lumbricos pellit ex vino potus, ac fluorem muliebrem sistit in vellere subditus.

2. *Sedum minus luteum* iisdem cum priore viribus pollet.

3. *Sedum minus acre* vi prædita est excalfactoria, acri & exulcerante, impositumque cum axungia strumas discutit.

NOTÆ. 1. *Sedum majus.*

Folia hujus saporis sunt subacidi & austeri, & sic Infusum, quod tamen vix mutabatur a Vitriolo Martis, ut in luteo minore sequente. *Tachenius* tamen huic alcali volatile tribuit, quoniam, ipso authore, absorbet acidum in solutione Vitrioli Anglicani, Colcothar nigrum præcipitans; sed an hoc huic an luteo sequenti competat, ulteriorem indaginem postulat. Succus utcunque, ad dimidium exhalatus, dicitur emittere odorem urinosum: Acidum tamen præ-

prævalere videtur; ſuccus enim cum liquoribus alcalinis (necnon cum ſpiritu Vini) coagulum ſubit, ſed cum acidis retinet pelluciditatem.

Extrinſecus in affectibus faucium inflammatoriis uſurpatur, & ſuccus inſtilatus oculorum inflammationibus conducit, atque in ore detentus ſiccitatem & fiſſuram linguæ in febribus ardentibus corrigit; & herba puſtulis ardentibus ac manantibus applicatur.

Succus, recenter expreſſus, in mortario plumbeo cum pauca Pompholygis portione ſubactus, & in forma linimenti mammis applicatus, in carcinomate non vituperandus.

Succus clavos pedum & verrucas tollit ſi eo abluantur & cuticula plantæ mane & veſpera applicetur; ſic enim emolliuntur, ut ſenſim exſcindi queant; quod quoque faciunt in ganglia & nodis partium tendinoſarum & nervoſarum.

Intrinſecus modice uſurpatum quadrat ad internum æſtum volaticum, ex nimia & acri humorum ſubtilitate exſurgentem; & apud *Bateum* proſtat *Serum de ſedo*, ex ℔j ſucci ad ℔iij lactis ſimul coctis, cujus uſus præcipue in febribus bilioſis, ſedans ſitum & compeſcens ardorem.

Plebs noſtra, inquit *Schröderus*, expreſſum ſuccum cum ſaccharo in febribus morbiſque calidis propinare ſolet, & ſuccum, in Zythogalacte infuſum, cum ſucceſſu propinatum fuiſſe in febribus eryſipelatodeis & hecticis author eſt, *Tancred Robinſon* apud *Raium*.

2. *Sedum minus luteum.*

Simile eſt majori, ſaporis ſubacidi, ſubadſtringentis, aciditate vero minore quam in majore, unde Infuſum ejus cum ſolutione Vitrioli Martis coloris ſubfuſci, & in altero experimento fuſco-ſubnigri ſiebat.

Cum lacte coctum coagulum tenue exhibuit, & cum liquoribus acidis & alcalinis eadem phænomena ac ſupra recenſita de ſedo majore.

Novi decocto ejus in lacte curatam fuiſſe diarrhœam pertinacem & inveteratam.

3. *Sedum acre.*

Tum recens, tum ſiccum ſaporis eſt acerrimi, inodorum, longe acrius quam Perſicaria & Raphanus, ſimulque nauſeoſum, fere inſtar Tabaci, acrimonia in faucibus hærente per tres quatuorve horas.

Acrimonia ejus extrahitur ab Aqua & liquoribus fermentatis infuſione, nec cito diſſipatur coquendo.

Veſicatorium eſt & tandem exulcerans. Succus Mucilago eſt viridis, quæ nil mutationis ſubit à liquoribus acidis nec alcalinis, niſi quod cum alcalinis flaveſcat.

Emeticum eſt validum, & in *Miſcell. Curioſ.* dicitur eſſe Antiſcorbuticum inſig-

insigne, experientia medica Sueci, qui decocto tepido in vaj in Cerevisiæ veteris libris vase tecto ad consumptionem dimidii, sumpto, jejuno ventriculo haustu tepido ℥ij vel iij, plures mortes restituit, quorum qui facilius & copiosius vomebant citius sanitatem recuperarunt.

C. *SENA* Alexandrina foliis acutis C. B. *Alexandrian Sena.*

Veteribus Græcis incognita, Arabibus primum usurpata; & inter Græcos recentiores solus *Actuarius* meminit: proinde audiendus est *Mesue*, apud quem hæc de sena prostant:

„ Folia sunt calida in primo gradu.

„ Est solutionis debilis ac tardæ, & debilitat stomachum: verum confortatur ejus Operatio si ei addatur Zinziber, sal gemmæ vel sal Indum. Medicinæ cordiales & stomachicæ facilitant actionem ejus: & fit solutivum bonum propinando decoctionem ejus, prunorum & spicæ.

„ Solutione educit cum facilitate melancholiam choleramque adustam; mundificat cor, hepar, splenem & membra sensuum, confert ægritudinibus eorum, aperit oppilationes viscerum, & juvat mentem ea in juventute, gaudium generans & causam tristitiæ amputans ".

Rhazes addit scabiei & pruritui conferre.

Authore *Actuario*, drachmæ pondo sumpta, citra noxam purgat, pituitam ac bilem educit.

NOTÆ. Foliorum Odor languidus est, haud ingratus, sapor subacris, amaricans, nauseosus: masticata vel decocta, inter digitos fricata, mucilaginosa sentiuntur: decoctum & extractum glutinosum & amaricans.

Vires extrahit tum Aqua, tum Spiritus Vini. Cerevisia & Mulsum tincturam claram extrahunt.

Scrophularia aquatica, vel *Thea Bohea* ejus infuso addita, tollunt saporem nauseosum & Glycyrrhizæ p. æ. additæ tormina fieri a sena prohibent.

Acida minuunt vim menstrui, sed haud injuria, quum sic leviores tantum & minus nauseosæ partes extrahuntur; hinc quidam senam macerant per noctem in aqua frigida, quippe sic minus materiæ nauseosæ extrahitur.

Senæ Folia triplici principio activo donata sunt, scil. gummoso, resinoso & oleoso, Oleo hoc partim crassiore unguinoso, partim subtiliore æthereo: folia enim a stipitibus liberata &, post aliquam macerationem, levemque cum aqua simplici digestionem, è cucurbita destillata, aquam transmittunt odoris & saporis nauseosi, liquidum autem ex viridi brunneum, in cucurbita relictum & percolatum, sub evaporatione in vase aperto aliquamdiu protracta, non tantum spumidam ac pinguem materiem ad superficiem extrudit, sed hinc inde pariter

riter cuticulam format, quæ aspectu & contactu pinguis, oleosa & resinosa est.

Præcipua virtus in laudata substantia oleoso - unguinoso - ætherea latet; hinc aquosum foliorum decoctum, cujus odor nauseam, & in sensibilioribus subjectis vomendi conatum excitat, diuturna ebullitione viribus catharticis maximam partem spoliatur.

Minor quantitas senæ, ut ʒij ad certam quantitatem aquæ, v. g. ad ℥iv, dicitur æque purgare ac ʒiv ad eandem quantitatem, quasi aqua non posset nisi definitam quantitatem senæ recipere. *Bates* Ptisana cathartica habet tantummodo foliorum senæ a stipitibus liberatorum, sem. Coriandri & rad. Glycyrrhizæ, ana ℈j ad ℥vj aquæ, tres horas maceratorum, quæ dicitur delicatule operari, & quinquies vel sexies movere, raro fallere. *Alstonus* ʒj ad ℥viij satis esse vult.

Evacuat sena quoque partim per vesicam, urinam colore inficiens.

Quia segnius purgat tantillum acidi Tartari addere convenit ejus decocto, cum tantillo zinziberis, anisi, vel salis Alcali ejus infuso.

C. *SEPIÆ* Os seu Testa. *The Shell of the Cuttle fish.*

Ostrei testæ vim habet, sed tenuium partium est, & magis extergit.

Cruda, in mortario lævigata, dentrificium est optimum, dentibus splendorem afferens.

Pulvis diligenter tritæ maculas oculorum tollit in oculos missus, &, si insuffletur, emendat præclare jumentorum albugines: oculorum tumorem ruboremque trita cum lacte muliebri & illita sedat. Prodest strumis parotidibusque cum axungia vetere contusa & illita.

Affricta oculorum cicatrices detergit, & illitione ulcera desiccat, privatim oculorum ulcera, ac ingreditur emplastra contra Ulcera dysepulotica.

Hoc nomine, quod mediocrem obtinet asperitatem, adhibemus eam ad ingentes oculorum asperitates, quas sycoses appellant: nam exculpantes ex ea quiddam, ipsa figura simile collyrio, eo illas confricamus donec sanguinem reddere incipiant, quo facto collyria cathæretica præstantius effectum suum in illas exerunt.

Exusta ad vitiligines, lentiginem & psoras usum utilem præstat, carnes excrescentes tollit & humida ulcera exsiccat; cum sale fossili pterygia oculorum attenuat.

NOTÆ Sapor aliquantum salinus est. Egregium est simplex absorptivum quorumlibet Acidorum, promptius tamen imbibit acida, eaque in salsa transmutat, quam Ostreorum testæ concharumque & Mater perlarum.

Solvitur in spiritu Vitrioli, Nitri & Salis marini, & cum ultimo

timo intense amara est solutio, magisque amara quam cum testis Ovorum aliisque animalibus vel terrestribus Absorbentibus cum eodem acido.

Reponitur & inter adstringentia in Alvi fluxu: in fluore albo usurpatur, gingivisque tumidis subvenit.

N. *SERPENTARIA* Virginiana Offic. *Virginian Snakeroot or Snake weed.*

Odoris est aromatici, balsamici, grati, saporis amari & acris.

Vires ejus extrahuntur, tum Aqua, tum spiritu Vini, sed Tinctura spirituosa acrior est.

Antiseptica est insignis, carnem bovinam a putredine præservans longe diutius, quam sal marinus.

Diuretica est, diaphoretica, & efficax deprehensa est in expellendis variolis & morbillis, carminativa: & Ventriculum, podagra anomala affectum, levare notata fuit.

Contra morsum, aliter lethalem, serpentis *Boiciningu* Antidotus præcipua est apud Indos radix, partim masticata & deglutita, partim vulneri applicata.

Inter Febrifuga efficacissima locum meretur (v): sæpe curavit Quartanam, ubi Cortex Peruvianus frustra adhibitus fuerit.

Ad corrigendam diathesin putridam, unde generantur Vermes intestinorum, valet.

D. *SERPYLLUM* vulg. minus C. B. *Mother of Thyme.*

Serpyllo *Dioscoridis* non convenit, sed potius saxifragæ ejus.

NOTÆ. Odoris est grati, validi, instar Thymi: viride usus est in condiendis carnibus & piscibus, sed mitius, quam Thymus, saporis amarescentis, subacris & subadstringentis.

Decoctum & infusum viride fiebat addito Vitriolo Martis: succus dulcis erat, austerus, & coloris fusci, magis fusci autem, addito Vitriolo dicto.

Penetrabilissimum est ejus aroma, & viribus corporis indomitum esse dicitur, etiam sanguinem & carnes inficiens & suaviores reddens.

Usus est in balneis, menses, urinam & sudorem movens, speciatim in fluore albo. Torminibus auxiliatur.

Pulvis

(v) Rad. Serpent. pulv. cum justa Camphoræ quantitate sæpe febres intermittentes, aliter incurabiles, juxta *Lysons* aliosque, fugavit.

Pulvis ad ℥j dicitur esse diureticus; & in dissipando sero per sudorem & urinas in catarrhis, apoplexia, epilepsia, vertigine, spasmo, aliisque morbis usurpatur.

Infusum ejus dicitur curasse plures morbos, genus nervosum afficientes, aliis remediis non cedentes.

Aquam destillatam in partu instante difficiliore sæpe cum fructu usurpatam fuisse meminit *Junkerus*; & cum Spiritu Vini destillata dicitur fuisse *Paracelsi* remedium palmarium in catarrhis.

In exputione sanguinis dicitur profuisse: An a vi adstringente?

D. *SESAMUM* Offic. & C. B. *Oily purging Grain.*

Etsi hoc semen oleosum sit, quale erat Veterum, & pro ejus substituto forte sine damno admitti possit, non tamen convenit descriptioni sesami *Theophrasti*, nec *Plinii*. *Dioscorides* vires tradit, nulla addita descriptione.

NOTÆ. Semen Inodorum est, saporis fere ut Amygdalarum dulcium, viscosum, sed describit *Valentinus* tanquam allium redolens. Oleum ex eo copiose exprimitur: vetus saporis est subrancidi, & in faucibus subacre

Ubi nativum, esculentum est ut Milii semen. Neapoli pro lacte mulierum augendo præbent; in Græcia & Ægypto frequentissimum; nec ullum aliud Oleum norunt Ægyptii quam sesaminum in cibis. Ad comburendum quoque inservit.

Præscribitur in Cataplasmatibus cum semine Fænugræci, ubi opus est emollitione, nec ullas singulares vires præ semine Fænugræci seu Lini nactum est. Ejus decoctum in clysteribus usurpatur ad colicos dolores & alvum molliendam.

Veterum sesami semen usurpabatur ad maculas solares delendas.

C. *SESELI* Ligusticum, quod seseli Offic. C. B. seseli vulg. & siler montanum offic. *Dale Mat. Medic.* Libysticum quoque Latinorum, *Common Hartwort.*

Siler, authore *Salmasio*, Latinitas infimæ ætatis vocavit antiquorum seseli, corruptum ex antiquo *Sile*, vel *Sili*; ita enim *Plinio* vocatur seseli, ut antiquioribus Græcis, & inter eos *Hippocrati* σίλι, apud quem additur Veratro nigro & Peplio.

Hoc Ligusticum, seseli Offic. C. B., quibusdam videtur esse seseli Massiliense *Dioscoridis*; ego vero consentire velim potius *Matthiolo* & *Dodonæo*, Ligusticum esse *Dioscoridis*, teste enim priore, adhuc in Liguria frequentissimum provenit, & est tam vulgaris notitiæ, ut ejus semine passim utantur incolæ in condimentis.

Profecto, semen & radix Seseleos Veterum, ac semen & radix Ligustici eorundem, tum qualitatibus sensilibus, tum viribus similibus præditæ sunt; proinde, sine damno gravi utrumvis alteri pro succedaneo admitti potest, quare vires seminis & radicis Ligustici Veterum hic referam.

Semen gustanti acre est & aroma redolet, stomacho perquam utile, quare pro pipere utuntur eo indigenæ ad obsonia & pulmentaria; anisi vicem præstat in condimentis, flatus extinguens; tenuante diæta utentibus convenit, & quidam pro deliciis acetum cum eo commiscent.

Confert ad intestinos dolores, item ad inflationes ventriculi, & ad juvandam concoctionem, ac contra venenatarum bestiarum ictus: porro Urinas & Menses potu trahit.

Oleo incoctum per clysterem injicitur tumore flatuoso ventris, utpote calefaciens cum subtili substantia, & in antidotis, quæ Colicis prosunt, admiscetur.

NOTÆ. Semen Odoris est aromatici, validi, fragrantis; saporis acris, semine Cumini acrius, amari, aromatici, quasi ex corticibus Aurantiorum & Cumini mixti. Combustum, Oleum sudat. Pulverisatum acrimoniam diutius retinet, quam plura alia Aromata.

Carminativum est, confert ad digestionem in ventriculo frigido debili; in omnibus morbis a cerebri uterive temperie frigida ortis, & in morbis pectoris dicitur esse perutile.

C. *SEVUM* Ovillum. *Sheep's Suet.* Vid. *Axungia* & *Adeps.*

In mordentibus alvi dejectionibus injectum illico mordicationem mitigat: sevum ex omento pecudum, naribus inditum, sistit sanguinem.

Furunculis mederi dicitur sevum ovium vetus cum cinere è capillis mulierum; vel sevum arietis cum cinere pumicis & salis pari pondere.

Articulis luxatis præsentaneum remedium est sevum pecudis cum cinere è capillis mulierum.

NOTÆ. Hoc Sevum differt ab Adipe: 1. Quod cum refrixit, concrescat, Adeps vero liquidus est & minime aptus indurari. 2. Loco differunt, quod Adeps inter cutem carnemque soleat consistere, Sevum præcipue in omento & circa renes.

Differt quoque ab Oleo, ad Ceram propius accedens, & simul aliquid subtile possidet, ut pleræque Pinguedines animales; notandum tamen, quod hæ, igne resolutæ, nec fœtorem nec salem volatilem alcalinum exhalent, æque ac substantiæ perfectius naturam animalem adeptæ, sevum tamen putrescens est potius

tius quam acescens, unde præservat ferrum a rubigine plus quam pleraque Olea vegetabilia.

Sevi quantitas minor quam Uncia cubica in experimentis *D. Hale* destillando exhibuit Aëris Uncias cubicas 18.

Bovinum laudatur ad tenesmum, & ad ulcera rimasque labiorum; Cervinum ad fissuras manuum.

Oleum clarissimum, authore *D. Ludovico*, in contracturas Membrorum utile obtinebitur destillando, si super sevi q. s. Cineres usque ad ipsum Retortæ collum ingerantur.

C. *SILIQUA* edulis C. B. *The Carob tree.*

Ceratia vocantur siliquæ arboris poma. Romani Græcas & dulces siliquas appellant (*x*): alterum nomen habet a corniculi similitudine.

Fructus exsiccantis est & adstringentis facultatis, nonnihil etiam dulcedinis continens, ingreditur Pharmacum ad cœliacos & dysentericos. Recens Fructus, stomacho inutilis, alvum solvit, siccatus sistit, stomachoque utilior, ac urinæ ciendæ vi præditus.

NOTÆ. Pulpa valde dulcis est instar sacchari, & viscosa.

Ægyptii Mel faciunt ex siliquis, cujus usus frequentissimus in clysteribus, quin & per os ad subducendam alvum, quod præstat non minus quam pulpa Cassiæ, & ad tussientes, asthmaticos, quos valde juvat.

Cum Cassia convenit, & usurpatur in Clysteribus.

Convenit masticata in ardore stomachi, in Urinæ ardore, in acrimonia lymphæ & asperitate faucium.

Cum sebesten comparari potest, & æque ad demulcendum, incrassandum & expectorandum adhiberi potest.

Licet *Dioscorides* & *Galenus*, aliique siliquas recentes alvum solvere, siccatas vero sistere dicant, nobis, inquit *Raius*, contrarium evenit, siquidem quotquot Venetiis de iis comedimus, non tantum nauseam movebant, sed & alvum subduxerunt, non secus ac pulpa Cassiæ.

C. *SILPHIUM.* Vide *Asa fœtida.*

N. *SIMAROUBA* *Pharm. Edinb.*

Cortex incognitus a Guiana importatus & primum usurpatus A. D. 1719. Inodo-

(*x*) Hæ sunt siliquæ, quibus prodigus adolescens repleri cupiebat, Luc. XV. 16. authore *Harduino.*

Inodorus est, saporis subamari. Decoctum in aqua lactescens, spumescens; & deponit sedimentum resinosum. Non est evidenter adstringens, nam nil nigredinis exhibet cum Vitriolo Martis.

Vires in dysenteria & diarrhœa specificæ perhibentur, in quem finem decoctum debet propinari debile, scil. ex ℥ij in ℔ij Aquæ coctus ad tertiæ partis consumptionem, ejus ½ pars danda tertia quaque hora.

Optimus ejus effectus notatur esse in fluxibus cruentis, etiam Ipecacoanhæ non obtemperantibus.

Si Decoctum validum sit, vomitum excitare dicitur, sudores & sanguinis egestionem copiosiorem; sed debilius, ut supra, feliciter succedit.

Cortici huic quoque tribuitur vis anodyna & somnifera. De hoc Vid. *Degnerus.*

C. *SINAPI* Rapi folio C. B. *Common Mustard.*

Caulis cum aceto, oleo & garo manditur et cibus attenuans.

Aliquando aggregatur in stomacho pituita viscosa adhærens & auferens appetitum: in hoc casu confert sinapi in cibo, eam incisam largiter per alvum aliquando excernens, ut narrat *Galenus* de quodam: excreationes faciles facit, daturque suspiriosis. Pro condimento inservit in comestu ciborum crassiorum.

Semen quarto gradu calefacit: fervore suo sternutamenta ciet tritum & naribus admotum, quin & lachrymas concitat, principatum habens in his, quorum vis in sublime fertur, quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetret, ad attenuandum attrahendumque efficax, quod ex operibus ejus clarius patebit. Ubi sinapi in frigido aëre cum aqua tritum frigidissimo hyemis tempore repente corpori raro ac imbecillo applices, horrescit non minus, quam si nive ipsum contigisses; sed si id ipsum sinapi longiore temporis spatio corpori nostro admotum fuerit, principio exigui caloris sensum præbebit, dein majoris, postea tam evidentis, ut igne uri videamur: & quidem sinapismus vehementissimum medicamentum est, dolorem velut cauterium excitans, qui diutius durat. Hinc in sinapismo conficiendo & adhibendo sinapi humidum ex aqua cum dupla panis portione in linteolo veteri illinitur, quumque horæ spatio ibi permissum fuerit, spongiis calidis fovere oportet.

Si vehementem sinapismum facere velimus partes ij sinapios ad j infusi Caricarum in aqua miscemus, si debilem vice versa, si moderatum, partes æquales: & si, antea quam sinapi teratur, aceto maceretur, debilius evadit.

Quibus sinapismus adhibetur Oleo perfundimus, quod quoque facimus in iis, qui carnibus sunt mirum in modum delicatioribus: & qui autem sinapis-

mo

mo obliniunt, panno debent contrectare, aut duplicatis linteis excipere, malleolos vero oleo prius ungere, tum duplicatis linteis excipere.

Vitandus est Sinapismus in iis, qui febre continua laborant, aut qui Ulcus habent, itemque in cartilaginosis & excarnibus partibus; comburuntur enim & denigrantur aliquando partes excarnes, dum sinapismo integuntur.

Tritum, naribus admotum, sternutamenta ciendo fœminas, vulvæ strangulatu oppressas, excitat, & comitialibus auxiliatur. Porro, notante *Galeno*, Pueri, cujus Morbus Comitialis a tibia oriri consueverat, vacuato universo corpore, medicamentum ex thapsia aut sinapi parti adhibuerunt medici, ligato medio membro supra eam partem, quæ primaria dispositione erat affecta, atque hoc pacto accessionem reverti prohibuerunt, quamvis antea quotidie puerum infestare consuevisset.

Ad eliciendam capitis pituitam manditur, ad dentium dolores, & cum parte æquali mellis, vel cum oxymelite diutius ore continetur & gargarizatur, succorum abundantiam, quæ ad oculos vel aures fertur, ad os derivatione traducens.

Manditur quoque in Lethargo, ac, si quis sponte ipsum devoraverit, quæ in Ventriculo sunt dejicere potest, & alvum madefacere flatusque excernere: &, si vehementior somnus lethargicos premat, cruribus aut etiam capiti deraso illinitur cum fico ex aceto.

Contra præduros Tonsillarum tumores ac veterem callosamque arteriæ scabritiem succus ex aqua & melle convenienter gargarizatur; & ad Uvam cum aceto aut melle.

Tritum gravitati aurium & sonitui cum fico, naribus inditum, prodest. Succus ad hebetudines oculorum & palbebrarum asperitates magna utilitate cum melle illinitur.

Cum ficis admistum, donec rubescat locus vel oriantur pustulæ, ad coxendicum dolores, ad lienes, & ad quemvis diutinum dolorem imponitur.

Ad tumores ex plaga, circum oculos obortos, convenit sinapi contusum ex aqua tritum, assidue appositum & oblatum.

In Alopeciis convenit, quatenus vitiosos humores discutiens & bonum sanguinem attrahens.

Faciem purgat. Feræ, Impetigines & Lepræ eo cum aceto perunguntur: usurpatur & ad Phthiriases.

Hydropicis imponitur, cum fico & cumino tostum ternis partibus, donec cutem erodat.

Sinapismus commodat maxime cephaleæ, comitiali morbo, vertiginibus, insaniæ, capiti adhibitus; & in orthopnœa, tussi veteri, thoraci: & stomachum ventremque in diuturnis ipsorum affectionibus sinapismo integimus.

Usu

Usu interno contra febrium circuitus aridum bibitur, aut polentæ modo potui inspersum: stomacho utilissimum pulmonibusque.

Alvum movet, Urinam ciet & menses in potu. Vomitum facit cum mulsa. Caput purgat, ei dolorem inferens, unde in documento de puero Epileptico prohibuit Galenus.

Oleum sinapinum apud Veteres fiebat terendo semen ad lævorem, & calida aqua macerando, adjecto postea Oleo, simul exprimendo. Id ad diuturnos dolores efficax est, & ad nervorum dolores, lumborum & coxendicum perfrictionis ope, transfert humores, qui in aliqua parte concreverunt.

NOTÆ. Odor inter digitos fricti quasi oleosus est, & contusi pungens. Sapor calidus, minus calidus quam Piper, acris, amarescens: vetus amarum.

Folia æque acria ac semen.

Acrimonia vix extrahitur a Spiritu Vini rectificato, sed Aqua & Vino: porro pulveris Cochlearia iij ad ℔j Lactis, hoc coagulant, & dant serum acre.

Album minus acre quam vulgare, & minus amarum.

Principium activum, non ut credidit *Boerhaave*, alcalino urinosum est, sed subtile acidulum, unde pulverisatum sinapi vappescentiam Aceti corrigit, & nonnihil prædem corruptio pristinam integritatem reddit.

Destillatum cum aqua dat Oleum limpidum acerrimum, in aqua subsidens, relicto Extracto mucilaginoso & subdulci. Expressione vero ordinarâ dat Olei magnam quantitatem insipidi, tandem vero apud nos (*Dublini*) detecta est ars, obtinendi Oleum sinapinum acre, tum e semine communi, tum ex albo, semine linteolo incluso inter laminas duas ferreas in molendina, ubi vi pressionis validioris cunctis exprimitur Oleum tum commune, tum essentiale, acre; commixta valde acre, & acrimoniam per duos annos retinens.

Si velis legumina vel carnes brevi percoqui, parum sinapios in ollam injice, & statim, quæ coquentur dissolvantur.

Putrefactionem retardare dicitur, & cum Cochleariâ conspirare in curandis affectibus scorbuticis, imo & in scorbuto putrido.

Destillatum Aëris plus quam ¼ ponderis sui exhibet.

In crucibulo ignito per quinque horas detentum cineres dat vix acres, & salem tantummodo subacrem, nec cum acidis effervescentem.

Seminis, leviter contusi, ʒj, linteo incluso masticati, in apoplexia vel paralysi salivam copiose elicit & levat.

Diaphoreticum est, diureticum, & integrum ad ʒvj bis die purgat: in rheumatismo chronico valet, & Raucedo sic curata fuit.

Est & Emeticum ad Cochl. j vel ij ex aqua salsa.

Semini

Semini Erucæ simile, humores viscidos attenuans, nec minorem stimulum urinariis & spermaticis viis admovens, utilissimum in cibo iis, qui continuis ventris torminibus laborant.

Tumores duros discutit, maturos aperit.

Expectorationem juvat, & in Catarrhis utile usu externo & interno.

Mollioribus, ut Unguento ex Althæa, vel pulpæ Ceparum, admistum & intritum tineam & intertriginem sanat.

In affectibus soporosis, apoplexia & vertigine tam præcavendis, quam curandis, egregium est remedium, pugillo uno mane jejuno stomacho sumpto.

In febre quotidiana dosi ℨj datur ante paroxysmum, &, cum vino crudo magna dosi potum, dicitur Quartanam curare duabus horis ante paroxysmum exhibitum.

In mortario tritum, & cum vino albo mixtum, multas centurias scorbuticorum & languentium hominum in obsidione Rupellensi sanitati restituit medicus quidam, in *Actis Germanicis* celebratus.

Si nimia copia usurpetur hæmorrhagias inducit maximas & terribiles, authore *Boerhaave*.

D. *SISARUM* Germanorum C. B. *Skirret.*

Dulcis est hujus plantæ radix absque ullo amarore, omnium consensu; sed *Galenus* & *Plinius* volunt, siser amarore non carere; proinde an sisarum nostrum sit siser Veterum merito dubitatur.

NOTÆ. Radicis odor & sapor similis est Pastinacæ; sapor enim saccharinus est gratus, aromaticus, facilis concoctu.

Concretum saccharinum exhibet, elicita tinctura cum spiritu Vini rectificato, quæ stando in frigore deponit saccharum, quemadmodum Beta, Battata, Celeri & Brassicæ rubræ caulis.

Urinam movet. Si coquatur cum jure carnis aut sero lactis, decoctum dat demulcentissimum, copiose potatum acrimoniam humorum corrigens, phthisicis, tabidis, atrabilariis, mingentibus spuentibusve sanguinem, & contra tussim anhelosam ab acri utile.

C. *SODA* vel Souda. Vid. *Kali.*

C. *SOLANUM.* *Nightshade.*

Hortense, olim sativum & edule, forte erat solanum hortense Offic. C. B. reliqua solana apud *Dioscoridem*, scil. somnificum & manicum, quibus ex solanis hodiernis conveniant, neutiquam satis liquet, hoc tamen experientia

compertum, solanum lethale nostrum, Bella donna dictum, & Manicum seu Furiale *Dioscoridis*, similes præstare effectus.

C. *SORBUS* sativa C. B. *The service tree.*

Græce ὂα scil. arbor, fructus autem in plurali numero dicuntur ὂα, Latinis sorba: Proinde *Dioscorides* pyroformium seu vulgarium tantum meminit. Turbinata sæpenumero acida, sed odore & suavitate rotunda præcellunt.

Sorborum succus austerus est sine acerbitate, longe minus adstringens, quam Mespilorum, & esui suavior est sorbus.

Sorba, priusquam maturescant, dissecta & sole siccata, manduntur ut alvum sistant. Eadem est functio molitorum farinæ, si polentæ loco sumatur, quod & decoctum eorum præstat.

In parvis inflammationibus Columellæ adhibetur decoctum sorborum pro gargarismo, & præfertur acerbis.

Commanducata succorum abundantiam, quæ in oculos vel aures ex capite fertur, ad os traducit.

Alimenti vice sanguinem exhibet minime commendandum, &, adstricta plus æquo alvo, nocumentum capiti reliquoque corpori infert.

NOTÆ. Baccæ virides acidæ sunt, valde adstringentes; rubræ & maturæ dulces, esculentæ, subadstringentes, succo vinoso turgidulæ, & ex maturis, torculari commissis & expressis, Vinum paratur, Pyraceo vicinum, quo plebs in multis regionibus utitur.

Colliguntur autumno & in palea siccantur, ut Mespili fructus.

Immaturæ ventrem adstringunt, & in vomitu nimio utiles sunt; usurpantur quoque ad prohibendum abortum & fluxus mensium nimios: Maturæ laxant.

D. *SPATULA* fœtida. Iris quam Xyrin vocant. Gladiolus fœtidus C. B. *Stinking Gladwyn.*

Descriptio Xyridis *Dioscoridis* non convenit cum spatula fœtida: proinde viribus, huic attributis, quousque ex *Dioscoride* desumptæ sunt, apud *Raium* non fidendum.

Radicis hujus sapor acris est ut Iridis, primo dulcis, mox fit sensus ardoris in gutture per plures horas. viscosa est, & decocti odor nauseosus, sapor amaro-subdulcis, nauseosus.

Pulvis sternutationem excitat.

In dissipandis tumoribus, privatim scrophulosis, laudatur, externe applicata

cata & intus sumpta ad ʒß in Bolo cum Syrupo Violarum per mensem.

Succus herbæ expressus manantem humidam & serpentem scabiem ulta sanat.

Decoctum aut infusum purgationes molitur, ut Iridis radix.

N. *SPERMA* Ceti, seu Pinguedo Ceti dentati.

Hoc primo album est, coloris & consistentiæ feri Lactis, sed in vasis repositum exhibet, in superficie natans, Oleum pellucidum, verum subsidet in fundo pars gravior, consistentiæ solidioris, quæ, a sordibus repurgata & dealbata, Sperma Ceti vocatur.

In Norvegia concutiunt cum lixivio saponariorum, & postea pinguedinem a lixivio separant, explicant in linteis, exponunt tepori leni solis, & sic concrescit in hanc formam.

Odoris est similis quasi adipis vel sevi, saporis pinguis, mitis; vetus flavescit, rancidum fit & acre; verum, bene repurgatum, servari potest per duodecim annos odoris & saporis expers. Inflammabile est & in igne prorsus evanescit: minimo calore ignis diffluit & facessit in Oleum, sed statim ac ab igne amovetur, concrescit.

Saccharo non perfecte solvitur, cito separatum, sed cum Vitello Ovi fit perfecte aquæ miscibile, Oleo quoque facile solubile, & liquefaciendo commiscetur Ceræ ac Resinis, & sic externe applicatur.

Ad usum internum fit Emulsio triturando cum Amygdalis dulcibus, Vitello vel Albumine Ovi, & elegantius cum Mucilaginibus.

Differt ab aliis Pinguedinibus animalibus, utpote non solubile per alcalia & cum iis in saponem coëuns, & fere totum assurgendo in destillatione, non specie Olei fluidi, sed materiæ butyraceæ, Butyro Ceræ colore & consistentia similis.

Qualitas leniens, involvens & resolvens ei tribuitur, utpote Oleo animali, adeoque magis discutiens, quam Oleum vulgare, unde & Emplastrum mammillare ingreditur contra duritiem mammarum. Usurpatur in Clysteribus, in dysenteria & tenesmo, & Injectionibus uterinis. Datur post casum & contusiones ad sanguinem coagulatum resolvendum & dolorem leniendum.

Usu interno anodynum est, tussim demulcens, expectorans, in doloribus colicis & torminibus infantum sedandis & in tenesmo, doloribus nephriticis & stranguria, in asthmate & catarrho suffocativo doloribusque post partum.

N. *SPINA* alba. Mespilus Apii folio sylvestris spinosa, sive Oxyacantha C. B. *The White Thorn or Hawthorn.*

Oxyacantha, vel acuta spina *Dioscoridis* est Oxyacanthus *Galeni.*

Dioscorides Pyrastro, & *Galenus* Pyro sylvestri similem dicit: ejus baccæ acidi erant saporis: proinde spina alba non est Oxyacantha *Dioscoridis*, nec Oxyacanthus *Galeni*.

Flores odoris & saporis grati sunt, amaricantis. Nucleum fructus Mali Persicæ redolet. Aqua destillata grati quoque odoris est, Aquæ Cerasorum nigrorum similis, diuretica. Aquam Nephriticam celebris *D. Radcliffe* ingrediebatur, quam & in pleuritide laudatur.

Decoctum residui a destillatione saporis est grati, subdulcis, subadstringentis, & cum Vitriolo Martis coloris subfusci fit: diutius exhalatum valde dulce & subacidum fit, quale est & Extractum.

Fructus gustus est aliquantum glutinosi & dulcis: hunc, vel siccati ejusdem pulverem, Vino infusum, adversus arenulas & calculum conferre consentiunt Botanici.

N. *SPINA* Cervina. Rhamnus catharticus C. B. *Buckthorn, or common purging Thorn.*

Non convenit Rhamno *Dioscoridis*, nec apud ipsum mentio fit usus baccarum in medicina.

Baccæ maturæ (é quibus optime fit syrupus, minus tormina adducens) primo dulces sunt, mucilaginosæ, amaræ, nauseosæ & adstringentes. Siccæ quoque subdulces, subamaræ & acres in guttare, earumque decoctum amarum est, subdulce, & sentitur acrimonia in gutture; subadstringens, addito Vitriolo Martis fit magis fuscum. sic & succus leviter coagulat Albumen Ovi, magis salivam jejuni, & a purpureo colore mutatur ad fuscum, addito Vitriolo Martis. Extractum subdulce est.

Succus non, ut plerique alii, fermentat, nec acidus fit servatus per annum, authore *Henrico Bartono*, Pharmacopœo expertissimo: Quidam hunc tuto Rob syrupo substituunt.

Syrupus præprimis convenit infantibus tenellis, eos perquam commode laxans, teste *Etmullero*.

Baccarum aridatum pulvis datur ad ℨj vel ℨjſs vel N°. xv in jusculo costarum cum ℨſs Cremor. Tartari.

N. *SPIRITUS VINOSUS* seu Aqua Vitæ.

Arnoldus de Villanova, qui vixit centuria decima quarta, fere primus est, qui Aquam Vitæ memorat.

Rectificatus constat ex Oleo vel Phlogisto Aquæ miscibili reddito per Acidum.

Ardet & exhalat sine fuligine.

Resi-

Resinas puras solvit, sed non attingit Pinguedines animales, nec Olea expressa Vegetabilium.

Retardat Vegetabilium fermentationem cum carne.

Usus ejus externus plurimus est Chirurgis ad stillicidia, lymphatica vasa, humoribus perpluentia, corruganda & hæmorrhagias sistendas, præsertim in partibus tendinosis sensibilioribus. Omnes humores animales, exceptis *Bile* & Urinâ, coagulat, solida crispat, a putrefactione præservat.

Aceto admiscetur in Embrocationibus.

Spiritus tenuior eadem præstat, sed debilius: Porro, tenuior, *French Brandy* dictus, nigrescit cum Aquis Chalybeatis & cum Tinctura Martis *Mynsichti*, unde hic distinguitur ab altero, *Melasses Spirit* dicto. Vino aliisque liquoribus fermentabilibus tantillum instillatum fermentationem sistit.

Utilis est in ophthalmia recenti, in sanguine extravasato, sequela contusionum, & contra ecchymoses ac fluxiones erysipelatosas.

Vulnera recentia cito callosa reddit: Absorptus pulsum accelerat.

Pterygion in cane & postea in fœmina curabatur, fovendo cum Spiritu *Malt Spirit* dicto.

Usu interno in deliquio animi, cardialgia & doloribus colicis valet; & in diarrhœa colliquativa *D. Lobb* dat Cochl. ij in ℔j Aquæ pro potu: contra, sanguineis & cholericis nocet; & in Experimentis *ejusdem* de Lithontripticis nihil præstitit in solvendis Calculis, eorum vires potius minuens.

C. *SPODIUM* Græcorum. Nihil gryseum offic. *Putty*. *Dale, Pharm.*

Spodium Græcorum antiquorum est fumi, ex fornacibus fusi, pars ponderosior & nigrior, quæ favillas habet admistas, a spodio Arabum, scil. Ebore usto, prorsus diversum, quod ut Cardiacum exhibebatur, quum spodium Veterum metallicum prorsus usui interno ineptum erat.

Pompholyx, authore *Dioscoride*, specie sola, non genere, a spodio distat, cum quo viribus convenit: Pompholyx enim est perfectissima pars spodii. Vid. *Pompholyx*.

C. *SPONGIA*. *Sponge* Spongia globosa C. B. Spongia marina usualis. *Park.*

Apud antiquos tria vel quatuor tantum genera inveniuntur; nos autem varias ejus distinctiones habemus, quas antiqui aut ignoravêre, aut data opera neglexere.

Spongia recens non tantum materia est, quæ humores excipiat, ut lana aut linamentum, sed etiam manifeste deficcat, hanc facultatem habens, dum odo-

rem maris retinet; nam, temporis spatio, etiamsi usui nunquam accommodata sit, tamen & odorem maris amittit, nec aquae desiccare potest.

In vulnerum & ulcerum curatione lanae succidae vicem implet, nunc ex vino & oleo, nunc ex eadem; differentia hac, quod lanae emolliant, spongiae vero coërceant, dum & attrahant pravos humores. spongia enim, aqua frigida humens, particulae cuipiam corporis imposita, rugosum contractumque totum locum facit, repellens quod influit, &, quod in eo continetur, ad vicina elidens.

Hinc spongiae recentes ac minime pingues vulnerariae sunt, tumores reprimunt, & recentia vulnera ex aqua, posca, vinove conglutinant, at ex melle cocto veteres sinus jungunt, & fluxione laborantia cuniculosa senilia que ulcera humoris expertes, recentes impositae siccant, sanguinis eruptiones sistunt, & vulnera recentia, seu recenter factas chirurgorum incisiones, non patiuntur tumescere.

Porro, Phlegmone ab acribus irritata, fomento ex spongia & aqua dulci mitiganda est. Vulnerum inflammationibus imponuntur, nunc siccae, nunc aceto, vino, aquave frigida aspersae; in oedemate propter pituitam, parti inflatam, spongia nova in aqua, quae parum aceti habuerit, acredinis tam, ut gustari possit, infusa passionem aliquando sedat: &, quum Oculi non ferant calefactiones per sacculos, cataplasmata, fomenta per mollem spongiam sunt admovenda: sic oculorum tumores levant cum mello impositae, & imponuntur epiphoris cum posca.

Ad muliebre profluvium naturalibus imponatur spongia, fervente aceto madida & mediocriter expressa. Ad eruptiones sanguinis e naribus spongiam immittito, aut spongiam in acetum acre & fervidum conjectam imponito, sanguine manantem narem specillo forinsecus, donec impellatur, apprimito; praestat autem spongiae principium filo per acum trajicere, quo facile extrahi possit, ubi opus suum perfecerit.

Splenetis è posca, ignibus sacris ex aceto spongiae efficaciores sunt quam aliud, & imponi oportet sic, ut sanas quoque partes spatiose operiant. & ad canum morsus utiliter concisae imponuntur, ex aceto, aut frigida, aut melle, subinde humectandae.

Porro, in auditus gravitate & aurium dolore spongia, tenuissime contrita, in orbem convoluta, melle imbuta, & auriculae indita auxiliatur; idem remedium commodum est & ad carnem in auditorio meatu enascentem. Denique spongia, in aqua calente madefacta, & expressa, vapore suo anum adjuvat in alvi profluvio.

Spongia usta acrem & discussoriam vim acquirit, ac, ubi quid abstergere & adstringere opus est, adhibetur, cremata enim & lota plurimum proficit

contra

contra ſcabritiem palpebrarum; & ex aceto lippitudini aridæ auxiliatur. Bitumine vel pice imbuta & cremata, linamento torto excepta & naribus indita, ſanguinem profluentem ſiſtit.

Porro, apud *Galenum* proſtat Potio ad profluvium muliebre, ſi largius effluat, & ad tuſſim, ſpiritus difficultatem a ſtomacho, & ſanguinea ſputa; ad quem ſcopum novæ & candidæ ſpongiæ uſtæ tritæque cinerem cum melle & piperis q. ſ. commiſceto, eamque in formam redigito, ut deglutiri poſſit, [illegible]que a cœna, quantum tribus digitis capere poſſis, accipito.

NOTÆ. *Spongiam* Animalis eſſe originis, & quidem plus quam Corallium & Corallina, patet ex fœtore prunis ardentibus injectæ, qualis eſt oſſium, carnium & plumarum, & ex ſalis volatilis concreti alcalini quantitate magna, quam præbet deſtillando, quæ major eſt quam exhibent corpora dicta, & cum Serico convenit, quod ex omnibus ſubſtantiis animalibus maximam dat quantitatem ſalis volatilis.

Porro, ſpongiæ incineratæ caput mortuum exhibet magnam copiam ſalis fixi, verum non alcalini, qualis Vegetabilium, ſed generis marini; &, authore *G. Lewis*, ſal ſimilis obtinetur coquendo ſpongiam in aqua ſine uſtione.

Quouſque vires ſpongiæ uſtæ a *Galeno*, ut & ſequentes a modernis adſcriptæ hinc explicari poſſint, ſtatuat æquus harum rerum æſtimator, ſcil. ſpongiæ uſtæ non ineptæ ſunt, quæ ingrediantur pulveres dentrificios, quin & in vino propinantur vel aliis admiſtæ forma pulveris ad Bronchocelem ſeu ſtrumam curandam.

In morbo epidemico & peſtilentiali nihil excellentius quam ſpongia aceto aſperſo circa nares & os poſita.

C. *STANNUM* Tin.

Eſt Plumbum album Veterum, a ſtanno noſtro prorſus diverſum. Vide *Plumbum*. Suſpicatur *Wormius* in *Muſæo*, ſtannum Veterum eſſe Biſmuthum; *Jungius* mixturam Plumbi nigri (h. e. Plumbi noſtri) & Argenti.

De viribus vix aliquid invenio apud Veteres, & an Plumbum album fuerit ſtannum verum Arabum non liquet.

NOTÆ. Stannum vel Ferrum, Nitro admiſtum, deflagrat in igne cum detonatione, ob Phlogiſton in iis contentum.

Allegantur Experimenta aliquot, ſuſpicionem ingerentia miſturæ Arſenicalis; ſed notat *Cl. Aſſonus*, laboratores in ſtanno Anglicano ſanos & vegetos eſſe, ac ſtannum non ſolvi a ſuccis noſtris, nec cedere ulli acido niſi metallico, nec

inte-

integre, nisi Aquæ regiæ; porro & tuto ac feliciter sumi interne magna dosi, scil. a ʒj ad ℥j ex theriaca, *Melasses* dicta, in Lumbrico lato. Pulvis Anthelminticus *D. Mead* constat e stanni rasi & Coralli rubri pp. singulor. p. æ. in pulverem subtilissimum tritis, è cujus ℈j cum Conserva Absinthii Romani fit Bolus, bis in die sumendus.

Notat *Mangetus*, ex Plumbo & stanno Mercurium currentem elici posse; imo nuda coctione Mercurium vivum ex stanno prolicitum fuisse: huic quadrat testimonium *B. Valentini* in *Hist. simpl. reform.*, scil. stannum, instar Mercurii, Vermes aliaque insecta enecare, ac pelles a tineis blattisque defendere.

C. STAPHYSAGRIA. Staverácre Semen. Staphysagria C. B. & Offic. Herba pedicularis Romanorum. Nomen staphys ab uva habet.

Semen, gustu acerrimum & amarum, fortiter pituitam de capite trahit & exterget: proinde, ad diuturnos capitis dolores sine febri pro apophlegmatismo usurpatur, admixto melle.

Semen non sordem ulceribus aufert modo, sed & ipsam quoque carnem colliquare potest.

Ejus grana x aut xv, si trita in aqua mulsa dentur, crassos humores vomitu purgant, sed, qui hauserint, deambulare debent, & frequenter aquam mulsam bibere, alioquin in strangulationis periculum deducuntur, faucesque aduruntur.

Herba malagmatis urendi vi præditis immiscetur: plurimam pituitam commanducata trahit. Trita illita phthiriasi prodest, itemque pruritui & psoræ: in aceto decocta dentium doloribus, ore colluto, subvenit; gingivarum fluxiones & fervida oris ulcuscula cum melle sanat.

NOTÆ. Hoc semen Odoris est ingrati & nauseosi, saporis primo amari, dein acris, fere urentis, acrimonia diu hærente. Acrimonia extrahitur partim Aqua, partim Spiritu Vini rectificato, nec elevatur destillando ab utroque.

In cataplasmate ad Vesicatoria & Phœnigmos adhibetur, & pro masticatorio in paralysi linguæ; necnon ad malas scabies & papulas, serpigines, aliaque id genus vitia hominum & jumentorum, quæ nullo alio remedio curari potuerunt.

Oleo admistum psoram curat, & pediculos abigit, aut cum lixivio concoctum, quo lavatur caput, vel cum butyro forma linimenti, seu pulvere inspersum.

Gr. xv vel ℈j, trita cum aqua mulsa purgant per vomitum.

C. STER-

C. STERCUS.

Omne vim habet maxime discussoriam, duritiem ventris remollit, dolores podagricos in accessionibus mitigat.

1. *Bovinum*, si recens admoveatur, vulnerum inflammationes mitigat: foliis autem involvitur, & calefactum cinere ferventi superponitur, qua methodo applicitum coxendicis quoque cruciatus fotu compescit.

Notandum, ad Phlegmonas accommodatum esse quod ex pascuo herbaceo provenit, utpote viribus longe moderatioribus, quam quod ex paleis aut ervo.

Apum vesparumque plagis sanat.

Illitum ex aceto duritias, panos & strumas discutit.

Aridum, vino coctum, imponitur in stomachi inflatione ab atra bile.

Ejus suffitus araneas, papiliones & teredines necat.

2. *Caninum*, ut candidum, minime foetens ac durum proveniat, sola ossa cani edenda exhibentur continuis diebus. Tale Album canis ad oris putredines & crustas, cum melle illitum, commodum est, magnopere auxilians, nec ullam insuavitatem habens utenti. Hoc pharmaco fortius nullum novimus, inquit *Galenus*, in angina, neque in magna tonsillarum inflammatione, aut iis, ex quibus è glandulis suffocationis periculum imminet. Usurpabatur quoque ad Ulcera maligna & inveterata.

Quod per caniculae ardores exceptum fuerit aridum, cum vino aut aqua potum, alvum cohibet, & ad Dysenteriam tritum lacti, in quo candentes erant calculi marini, aut ferrum candens, dum injiciebatur & in potu dabatur. *Archigenes* stercoris canini sextantem [℥ij] cum mellis quadrante ad triduum bibendum in Ictero praecipit.

3. *Caprinum* siccum, tritum, & cum thure in vellere appositum, fluxum muliebrem cohibet, aliasque sanguinis eruptiones ex aceto compescit.

In aceto aut vino decoctum serpentium morsibus, ulceribus, quae serpunt, Erysipelatis & parotidibus imponitur. Porro, parotidas comprimit, vel per se, vel cum farina hordeacea, aut avenacea, & miscetur digerentibus cataplasmatis, qualia sunt quae accommodantur ad Parotidas & Bubones diuturniores, est enim vis ejus tum usti, tum non usti absterforia & digerens.

Omnium creberrime, inquit *Galenus*, hoc stercore utimur digerentis & acris facultatis, adeo ut induratos, scirrhorum in modum, tumoribus comprimat, & lienis aliarumque partium: ipse ego autem ad genu tumorem inveteratum & aegre solubilem, usus sum cataplasmate ex hordeacea farina & posca, indito hoc stercore, & mirum est quantopere juvarit.

Ustum tenuioris est essentiae, quamobrem ad Alopecias congruit, adeoque ad

ad omnia, quæ extergentia medicamenta desiderant, ut lepras, psoras, lichenas & hoc genus alia.

Baccæ (scil. stercus figuræ baccarum) præsertim in montibus degentium, ex vino bibitæ regium morbum emendant, cum aromatibus vero potæ menses cient & fœtus ex utero pellunt.

4. *Columbinum*, præsertim columbarum sylvestrium acre est, & multo acrius, quam bovinum, caprinum & ovinum, domesticarum imbecillius. Fœtidum non est, maxime arefactum, quo circa & in urbibus eo varie utimur, ac diversis miscentur medicamentis.

Quoniam vehementius excalfacit & urit, malagmatis ex hydrelæo & cum hordeacea farina utiliter admiscetur; & ex aceto strumas discutit: carbunculos emarginat tritum cum melle, lini semine & oleo, necnon ambustis igne medetur.

Cum semine nasturtii contusum cribratumque siccum, vice sinapios, ad ea, quæ rubrificari debent, adhibetur in inveteratis affectibus curandis, hemicrania, scotomia, vertigine, cephalæa, doloribusque inveteratis in lateribus, scapulis, cervice, lumbis. Et ad hunc scopum in nephritide, affectibus cœliacis & podagra, quando in articulis non dum constituerunt topha, applicatur.

Anserinum, accipitrinum, & aquilinum, ob nimiam acrimoniam, inutilia sunt.

5. *Ovillum*, sub testo calefactum & subactum, tumores vulnerum sedat, fistulas purgat sanatque

Siccum, cum melle subactum & gutturi impositum, anginosis opitulatur.

Ex aceto impositum sanat pustulas, quas epinyctidas vocant, furunculos, clavos, thymos, & pensiles verrucas, ulceraque ambustorum igne sanata, hoc cerato rosaceo commixtum, ad cicatricem ducit.

6. *Humanum* plures habet differentias quam alia, ob diversitatem ciborum.

Recens impositum vulnera ab inflammatione vindicat & intumescere non patitur, sed ea statim glutinat.

Quidam recenti usi sunt, alii exsiccato & trito cum nardo vel myrrha ad putrescentes ad fœtorem cohibendum: & pueri stercus siccum, cum melle Attico ad lævorem tritum & illitum, phlegmonas ad guttur, suffocationem minantes, sine venæ sectione curasse dicitur.

7. *Equinum & Asininum* sive crudum, sive crematum sanguinis eruptiones cohibet.

NOTÆ.

NOTÆ. Stercora in genere sunt excrementa, ob alimentis residua, bile permista. Ob bilem mundificant, ob fœtorem discutiunt (y).

1. *Caninum*. In *Miscellaneis Curiosis* prostant exempla Quartanæ curatæ a Cochl. j stercoris canis masculini, vino aut *spiritu* ejus diluti ante paroxysmum sumpti, ægro ad somnum & sudorem se componente.

2. *Avium* stercora ut plurimum calidissima sunt & vim habent abstergendi maculas cutis.

3. *Columbinum* externe usurpatur propter vim leviter vesicatoriam, & in cataplasmatibus ac emplastris rubrificantibus. Discutit & resolvit tumores œdematosos. Urinam pellit.

4. *Equinum*, quod ut Vaccinum celebratur extus admotum in podagra, in angina non cedit stercori canis, externe conferens in discutienda inflammatione faucium, & in hæmorrhagiis pulveré asperso sanguini effluenti. Forma cataplasmatis pluribus solatio fuisse in pleuritide in confesso est, necnon succus expressus, cum hydromelite mixtus, ad ℥iiss epotus.

Interne propinatur in fœtu mortuo & secundinis expellendis.

5. *Hominum* emollit, maturat, anodynum est. Felicis ejus usus in Dysenteria sole exsiccati & ad ʒij in jusculo sumpti, prostant exempla in *Miscellaneis Curiosis*.

6. *Jumentorum* seu *Bovinum* vim obtinet anodynam, refrigerantem, discutientem.

Dolores insigniter mitigat & inflammationes, præsertim vere collectum cum boves herbas depascuntur. Cum lacte efficax fuisse expertum est in maturandis tumoribus, alias suppuratu difficilibus.

7. *Porcinum* agricolis existimatur frigidum, comparatione habita ad stercus Equi & Columbæ.

In vulneribus recentibus stypticum est insigne, & usu interno, in cerevisia, vel in hydrogalacte, coctu liquor expressus in dysenteria sistit sanguinem, aliis frustra adhibitis.

Emollit, discutit; diureticum est.

C. *STOECHAS* Arabica. Stœchas purpurea C. B. *French Lavender*.

Perperam vocatur Arabica, quum & in insulis Galliæ, *Stœchades* dictis, crescit & raro in Gallia, Italia & Hispania.

Odore

(y) Vires Ovilli, in expellendis Variolis, Equini, in curanda Pleuritide, verum [illegible] non liquet.

Odore suavis est, gustu amara & subadstringens.

Decoctum ad pectoris vitia efficax; Antidotis quoque utiliter immiscetur, v. g. Theriacæ. Viscera omnia & universum animalis habitum calefacit, confirmat, & ab obstructionibus liberat.

Menses ciet potu. Ischiadicos dolores levat, ex aqua mulsa pota.

Prostat apud *Dioscoridem* Vinum & Acetum ex Stœchade ad humores crassos dissolvendos, & inflationes, lateris, ac nervorum dolores, perfrictiones quoque discutiens.

NOTÆ. Folia & Flores odoris sunt grati, balsamici, Camphoræ haud absimilis, saporis subacris, amaricantis, subadstringentis. Infusum in aqua fit coloris cærulescentis nigri, addita solutione Vitrioli Martis; porro, dilute tantum syrupum Violarum, sed aliquantulum rubefacit solutionem Heliotropii.

Authore *Emanuele Konig*, principia ejus cum Betonicæ principiis, oleo præprimis & sale volatili, non parum urinoso, concordat.

Usu externo utiles sunt in fomentis ad tremorem, paralysin, atoniam, luxationem, tumores serosos & catarrhos frigidos. Infusum summitatum instar Theæ potu valet in iisdem malis, lethargo, ac vertigine: & olim vix ullum Cephalicum ægris imperabatur a medicis, quod stœchade careret.

Urinam ciet & menses.

Authore *Bodæo a Stapel*, in *Not.* ad *Theophrastum*, præferenda est Lavendulæ in capitis affectibus, utpote caput minus implens; & notat *Boerhaavius*, in Lavendula spiritum Rectorem adeo volatilem esse, ut vix possit contineri in oleo suo proprio tenaci, ac operationem suam totam, quam primum sumitur, quasi instar explosionis sclopeti absolvere; verum stœchados odorem non tam facile expediri, sed diutius hærere in sanguine.

In morbis pectoris idem præstare dicitur, quod Hyssopus.

C. *STRAMONIUM* Offic. *Dale.* Solanum fœtidum pomo spinoso oblongo C. B. *Thorn Apple of Peru.*

Addidi hanc Plantam ob usum insignem Unguenti ex ejus foliis cum Axungia in curandis ambustis, & quoniam doctissimi Botanici *Columna* & *Cæsalpinus* volunt esse speciem *solani maniaci Dioscoridis*. Apud Americanos equidem semen similes præstat effectus, quos radix *solani maniaci Dioscoridis*, quæ scil. drachmæ pondere varias species & imagines haud injucundas menti repræsentat, quod & efficit seminis hujus plantæ semidrachma, hoc notis experimentis apud Americanos, & similem effectum præstitisse herbam nobiscum, casu loco spinachiæ comestam, novi. De hac re vide plura apud *Raium* in *Hist. Plant.*

NOTÆ

NOTÆ. Folia fœtent fere instar sambuci, & Aqua destillata abominandum quid redolebat: folia subacria, amaricantia, decoctum & succus amara cum nausea, & succi fluiditas non mutabatur a liquoribus acidis nec alcalinis.

Extractum acre erat, & sub dentibus quasi sabulosum sentiebatur, vel fere instar sacchari candi.

Succus, cum axungia coctus, ad formam unguenti, omnes inflammationes curat, & ambusta ab igne, aqua, pulvere pyrio vel fulgure, & ad mammas cancrosas valet. Folia contusa & in oleo cocta, donec crispa fiant, dein colata & rursus cocta cum cera, resina & terebinthina, optimum exhibent unguentum, efficax in curandis vulneribus recentibus, ulceribus penis & inveteratis curatuque difficilibus.

Errore sumptum decoctum delirium induxit.

Suffumigium e *seminibus* valet ad compescendos dolores pernionum.

C. *STYRAX* calamita. Resina styracis folio mali Cotoneæ C. B.

Calamita dicta, quoniam optima in calamis ex Pamphylia deferebatur.

Quæ hodie Officinis in usu est aliqua ex parte *Dioscoridis* descriptioni convenit, eoque utendum donec melior proponatur.

Odor ejus, authore *Galeno*, suavis est & quasi melleus, optimi, secundum alios, vehemens & acris, ab ejus suffitu dolor oritur capitis, & serpentes fugantur. Inter aromata numeratur, & anodyna. Sic apud *Dioscoridem* mentio fit Olei styracini, quod caput dolore afficit aggravatque & soporem adfert:

Paucus potatus tristitiam vultus discutit, multus vero somnos turbulentos inducit.

Ingreditur Theriacam, & adversatur Venenis, quæ frigore fiunt.

Calfacit, emollit, concoquit. Malagmatis discutientibus & acopis admiscetur. Strumas emendat illita, nervorumque nodos.

Qui humentior est (magis quam siccus) in scirrhosis affectibus aptior, utpote molliendo digerens. Sonitus aurium emendat infusa.

Oculorum ulcera expurgat & implet, habens abstersorium quiddam.

Alvum mollit, unde ad ℥j & ʒij cum pondere æquali terebinthinæ præcipitur in pilulas coacta, utpote pituitam multam sine molestia ducens.

Ciet menses pota appositaque. Vulvæ præclusæ & duritie laboranti convenit. Medetur tussi, destillationibus, gravedinibus, raucitatibus & voci amissæ.

NOTÆ. Substantiæ est resinosæ; in igne liquescit & tota deflagrat, odo-

 ris

ris suavissime fragrantis, & multis, præsertim è sequiore sexu, offendentis ac caput turbantis; saporis subacris: in ore non solvitur, sed spirituosis, non valde pungens, qualitatibus pharmaceuticis fere similis Benzoino & Balsamo Tolutano: porro & destillata materiem salinam vel flores exhibuit similes floribus Benzoino; quin & *G. Lewis* similem substantiam ex ea extraxit coquendo in aqua.

Est Gummi-Resina è partibus resinosis, gummeis ac spirituoso-oleosis constans: portio gummea circiter quartam massæ partem explet, quod superest resinosæ indolis reprehenditur.

Infusi aquosi sapor amarus est, balsamicus, nauseosus; Tincturæ spirituosæ sapor acris, amaricans, aromaticus.

E compositione dicta deducendæ vires ejus resolventes, discussoriæ & lenientes.

Externe in suffitu caput roborat, stupori, vertigini, catarrhis, paralysi & rheumatismo succurrit.

Apud recentes prostat Oleum è styrace sequens, utpote conferens dolentibus a frigore renibus, vesica, utero, nervis, musculis, tendinibus, juncturis:

℞ styracis ℥iij, Olei communis ℔j, Vini q. s. Coque in duplici vase ad vini consumptionem.

C. *SUCCINUM. Amber.*

Album & flavum, Græcis veteribus ἤλεκτρον, Latinis succinum.

Juxta *Dioscoridem* est lachryma Populi nigræ, quæ & Charabe Arabum: *Plinius* vult succinum sudare ex arboribus pinei generis; nunc vero abunde constat esse Bitumen fossile.

Attritu jucundum odorem spirat, & vi caloris trahit ad se paleas & folia arida, quæ levia sunt. Candidum odoris præstantissimi.

Infantibus adalligari vice amuleti prodest.

Tritum potumque stomachi vitiis & alvi fluxionibus medetur, ac dysenteriam sanat, sanguinem sistens.

Callistratus urinæ difficultati prodesse tradit potum adalligatumque.

NOTÆ. Est species Bituminis, cujus generatio tanquam ex Acido vitriolico & Petroleo illustratur exinde, quod, si Affundatur Oleum Vitrioli Oleo Anisi, coagulum simile fiat.

Odoris est grati, præsertim a frictione & in suffitibus, in quibus Chinenses magnam ejus quantitatem consumunt; saporis subacris, resinosi.

In Alcohole Vini solvitur, sed difficilime, & affusa aqua præcipitatur, ut forte fit a succis nostris in Tinctura sumpta, unde innuit *Allenus*, Forte hoc boni

boni accedere, addendo Oleum Tartari per deliquium in hujus præparatione, ſcil. præcipitationem impediri.

Alcalia fixa & volatilia, Acida vegetabilia, nitroſa & marina vix attingunt, ſed Acidum vitriolicum ſolvit, liquorem purpureum exhibens, unde ſuccinum præcipitatur, addendo acidum aliud quodvis, vel aquam vel Spiritum Vini.

Solvitur & Spiritu Vini, & Oleis eſſentialibus, & in Oleis expreſſis, ut Lini, ſed minus facile; Oleum quippe prius in crucibulo liquari debet, & marmori ſuperaffundi; dein pulveriſatum facile reſolvitur in Oleo Lini, & tunc optimam vernicem ſuccineam facit.

Porro, dicitur melius ſolvi in ſpiritu vini, ſi pauxillum Acidi vitriolici addatur, quam a ſpiritu vini puro: hinc Collegium Edinburgenſe in hujus Tincturæ præparanda digeſtionem fieri præcipit calore arenæ leni, per quatuor dies, in ſpiritu Vitrioli dulci.

Reſolvitur deſtillatione chemica primo in Olea ſubtiliora, ſenſim craſſiora (& ſalem acidum ſolidum) quæ cum Naphtha & Petroleo conveniunt. Caput mortuum a deſtillatione reſiduum non abſimile eſt Bitumini Judaico, ſub quo nomine etiam venditur.

Uſu externo pulvis, rhagadibus inſperſus, dolorem & pruritum præſenti auxilio mitigare dicitur & præcellens eſſe in læſionibus partium cutanearum, vel tendinibus & membranis magis inſtructarum, ubi non ſolum humorum affluentium pravitatem corrigit, ſed & vi ſua tonica partes ſolutas conglutinat.

Vapor tumores duros reſolvere dicitur, & ſpeciatim in affectibus catarrhoſis capitis, parte affecta crebrius exceptus egregius eſt, v. g. in prolapſu uvulæ, coryza, in principio inflammationis tonſillarum; congeſtiones ſeroſas reſolvit, partesque teneriores roborat, & ad diſſipandos dolores in rheumatiſmo & ſciatica valet.

Tinctura totam ſuccini compagem diſſolutam gerit, ſapore aromatico, amareſcente & reficiente cum ſenſu quaſi adſtrictionis & fragrantia prorſus inſinuante, & magni uſus eſt in languoribus, in morbis nervorum & omnibus morbis, ubi nimia mobilitas ſyſtematis nervoſi, v. g. in hypochondriacis, hyſtericis, nec non cachexia, fluore albo, profluvio feminis, diabete, diarrhœa, hæmoptoë, doloribus rheumaticis & relaxationibus, etiam ubi cortex Peruvianus prius fruſtra adhibitus fuerat, & in frigidis, leucophlegmaticis & catarrhoſis, doſi ad gtt. 100 ter vel quater in die.

N. SUC-

N. *SUCCISA* Scabiosa radice succisa, flore globoso. *Devil's bit. Raii Synops.* Folia, Summitates & Radix.

Saporis amari sunt & subadstringentis, eorumque decoctum cum Vitriolo Martis viridescit

Folia rubefaciunt Chartam caeruleam, radix plus eam rubefacit, & in gutture aliquid acrimoniae prodit

Foliorum & summitatum succus amarus est & in gutture subacris, ac fluiditatem suam servat cum liquoribus alcalinis, coagulatur vero cum Acidis.

Folia forma Cataplasmatis tollunt livores a contusionibus.

Folia & Radices gargarismos ingrediuntur in inflammationibus faucium & ad earundem ac tonsillarum tumores diuturniores, qui ad suppurationem aegre proveniunt, mucum tenacem digerentes, & simul vi aliquantulum repellente donata: adhibetur quoque herba in gargarismis, in ulceribus venereis aliisque.

C. *SULPHUR.*

1. *Vivum*, seu nativum. *Sulphur vive.*

2. *Factitium* seu ignem expertum. *Brimstone.*

Solo vivo, inquit *Plinius*, utuntur medici.

Odore ejus necantur formicae Lethargicos suffitu excitat & partus extrahit. Gravitati auditus, per fistulam subeunte vapore ejus, medetur.

In dolore nervorum ipsa pars nitro ex aqua perungenda, deinde involvenda, & subjicienda pruna levis ac sulphur ita suffumigandum, idque aliquandiu faciendum.

Sulphur est è discussoriis maxime parabile: hinc in flatuoso tumore splenis, si prius absinthio persuderis, oportet medicamentum emplasticum, mistas vires continens, superponere, quale est quod ex sulphure & alumine constat. In malagmate ad strumas a *Criso* adhibetur.

Renibus & lumbis in dolore cum adipe mire prodest impositum.

Inter aromata sudorem moventia locum habet, conspersum vero sudores inhibet; & sanguinem, undecunque erumpentem, sistit.

Podagricis cum aqua & nitro illitis condecit.

Scabiosa mirifice sanat, lepras, lichenas & scabros ungues cum terebinthina resina auferens. Pruritus totius corporis sedat nitro mistum & affrictum; exterget enim omne id genus affectus, atque in profundum non repellat, cum alia multa medicamenta, quae illos curant, mistam habent potentiam, nempe ut digerant pariter ac repercutiant.

Quin & ex aceto illitum ad lepras efficax est & vitiligines tollit, Draconis marini & scorpionum ictus sanat. *Galenus* testatur, se adversus torturem mari-

marinum & draconem sæpenumero usum esse, siccum inspergendo, vel salivæ miscendo, quod & piscatoribus expertum.

In uteri strangulatione bibendum præcipit *Hippocrates*.

NOTÆ. Flores omnem characterem retinent sulphuris nativi, cujus color plerumque flavus vel flavo-virescens, colore viridi magis vitriolicum esse & acido magis repletum indicante, quoties vero aurantio aut rubro colore tinctum est, notatur Arsenici præsentia.

A frictione fœtet, & in Unguentis: accensum vaporem suffocantem emittit. Aërem valde absorbet, ejus elasticitatem destruens, &, prope dolia detentum, fermentationem liquorum nimiam cohibet, unde lignum penetrare liquet ut Fulgur, quod liquores fermentatos vappidos efficit destruendo aëris elasticitatem.

In parvo igne liquescit, inflammabile cum flamma cærulea, & totum consumitur. Flammam emittit calore minore, quam quodvis Oleum aut spiritus Vini in aëre aperto: sed in vasis clausis comburi non potest, nec principia ejus separari.

Aquam frigefacit, si bacillum ejus Aquæ indatur, ad Vinum refrigerandum loco Glaciei inserviens.

In eo adest Acidum copiosum, pars phlogistica autem seu inflammabilis, licet sulphur flammam concipiat & totum ea consumatur, exigua admodum quantitate mixtionem ingreditur, scil. in libra integra, teste *Neumanno*, nondum ℈ij reperiuntur, & tota pars reliqua, ℥xv & ʒvj pondere adscendens, sal acidum ponderosissimum est.

Ex acido sulphuris, vel Vitrioli, vel Aluminis (quod simile est;) cum additione combustibilis materiæ fit sulphur verum minerale.

E sulphure Aqua & spiritus Vini nihil eripere valent, nisi tenerrimas quasdam moleculas inflammabiles, quæ in conspicuam molem colligi & condensari nequeunt; nec solvitur in Acidis, sed per Alcalia fixa & volatilia, ac Calcem vivam, unde Aquæ fit miscibile, quare si Alcali vagum abundet in corpore, illud absorbetur a sulphure & simul sulphur dissolvitur; sed, ubi Acidum prædominium habet, iners est: porro in Oleo solubile est, sed in Oleis crassis facilius quam in stillatitiis.

Sulphure assumpto perspiratio fœtida fit, sulphur solutum olens: sæpe argentum & aurum gestantium nigro colore inficit.

Suffumigium, è sulphure solo paratum, & per tubulum exceptum, hæmorrhoidas cæcas & latentes potenter siccat, authore *Riverio*; vis quoque discutiens tumores frigidos sulphuri tribuitur.

Summatim, vis sulphuri est diaphoretica, expectorans, eccoprotica, de-

mulcens, acrimoniam etiam venenorum, ut Arsenici, Mercurii & Reguli Antimonii corrigens; & in catarrhis egregium est, quoniam lympham temperat. In asthmate humido pituitam movere atque eodem tempore podagram expellere, author est *Musgrave*; &, inter alios morbos cutaneos, in Herpete valet, & in morbis rheumaticis, atque arthriticis.

Antisepticum est, præcavens motum intestinum succorum animalium & fermentationem Vegetabilium.

In Phthiriasi excipiantur sulphuris vel succini fumi (a naribus quadantenus remoti;) & dentur ter in die Balsami sulphuris grana xij aut xv in quolibet vehiculo.

T.

N. *TACAMAHACA.* Ex nova Hispania.

Forte duplicis est generis: describitur enim quibusdam odoris esse gravis instar Galbani, &, prunis injecta naribusque admota, mulieres, uteri suffocatione laborantes, illico levare dicitur; aliis odoris esse admodum fragrantis, saporis amaricantis, aromatici. Inflammabilis est & tota igne consumitur, utpote Resina pura: in spiritu Vini rectificato solvitur, ac destillatione spiritus acidos & Oleum exhibet.

Tumores non inflammatos emollit, Vulneribus imposita suppurationem promovet & spasmum prohibet.

Magnæ est efficaciæ in doloribus articulorum, juncturarum & nervorum, loco emplastri imposita, & in affectibus stomachi atque intestinorum flatulentis extus admota, necnon ad quoscunque partium externarum dolores compescendos, præsertim ab humoribus frigidis & flatulentis oriundos.

Cerati modo temporibus adhibita defluxiones in oculos aut alias faciei partes revellit. Dolores dentium sedat, dentibus corruptis indita.

C. *TAMARINDI.* *Tamarindi.* Siliqua Arabica, quæ Tamarindus C. B.

Hos debemus Arabibus, veteribus Græcis incognitos, Græcis recentioribus ab acido sapore ὀξυφοῖνιξ dictos.

De his hæc *Avicenna* & *Mesue*:

„ Recentes meliores sunt, quorum acetositas est vera: frigidi & sicci
„ sunt in secundo. Subtiliores sunt Prunis & minoris humiditatis. Sunt so-
„ lutivi, educentes choleram. Imbecilliter purgant, quare ab ℥ij ad v pro-
„ pinantur.

„ Bilis

„ Bilis & sanguinis fervorem compescunt. Conferunt siti & vomitui in fe-
„ bribus, stringentes stomachum mollificatum ex multitudine vomitûs. Con-
„ ferunt & in febribus habentibus syncopen & conturbationem.
„ Icterum sanant, sitim ac omnem ventriculi hepatisque ardorem ex-
„ tinguunt.

NOTÆ. Pulpa est admodum acida, & cum Oleo Tartari per deliquium ebulliebat, simul dulcis, subtiliter mucilaginosa, vinosa, subadstringens. Decoctum repositum sal essentiale exhibet specie crystallorum, similium Cremori Tartari. Urinam movent.

Antiseptici sunt, & stomacho, ad cruditatem nidorosam proclivi, bene admodum conducunt, necnon in diarrhœa biliosa & malis nephriticis, in decocto vel sero lactis, eorum ope facto, in febribus ardentibus, ac putridis. Laudatur quoque hic fructus in Gonorrhœa.

C. *TAMARISCUS* Offic. *Dale.* Tamarix. Myrica. Tamarix altera folio tenuiore, sive Gallica C. B. *Tamarisk.*

Foliorum decoctum, ore collutum, ad dentium dolores salutare est, & insessu mulieribus, vulvæ fluxioni opportunis, auxiliatur; & apud *Hippocratem* datur Myrica tosta & trita in fluxu rubro & dolore.

Iis quoque, qui pediculos lendesque gignunt affusum prodest.

Authore *Galeno*, abstergentis & incidentis facultatis est absque perspicua desiccatione, sed & habet adstrictionem nonnullam, hinc admodum prodesset in splene indurato, sive radice, sive foliis, sive extremis ramulis decoctis cum aceto aut vino, quando decoctum, XL diebus bibitum, mirifice juvat. Succus expressus bibitur splenicis.

Sunt, qui ex ligno calices parant, quibus poculorum vice splenetici utuntur, ceu datus in ejusmodi vasis potus lieni conferat.

NOTÆ. Folia subadstringentia sunt, & gratum quid redolent, ut & decoctum, quod cum Vitriolo Martis viridescit.

Flores multo magis adstringunt quam Folia.

Cortex adstringens est cum odore grato & subamarus. Quidam acrimoniam ei tribuit. Decoctum cum Vitriolo Martis nigrescit.

Extrinsecus Favo conducit.

Diureticus est, & in Ulceribus oris & odontalgia utilis, necnon in diarrhœa, hæmorrhagiis, sanguinis excreationibus, & in rachitide in potu: omnium frequentissime cortices ramulorum in Liene indurato usurpantur. Quia cortex penetrat cum adstrictione, Ictero medetur.

Fructus adſtringens eſt ac tinctoribus ad eundem uſum inſervit, ad quem Galla, ſed ſimul abſtergit, ſecus quam Galla, ob partium tenuitatem quandam, authore *Matthiolo.*

De ligno multi decoctum, ut ex Guaiaco, ad curandam luem Veneream facere ſolent, quod in Ægypto fieri cum felici ſucceſſu teſtatur *Alpinus*. Hoc decoctum utcunque exhibent leproſis, ſcabioſis, & Ulceribus affectis feliciori cum ſucceſſu.

D. *TANACETUM* vulg. luteum C. B. *Tanſy.*

Matricariæ & Abrotono affine eſt, odoris validi, aromatici, gratioris quam Abſinthii; ſaporis amari, acris, calidi & ſubadſtringentis. Infuſum virideſcebat cum Vitriolo Martis, & quidem colore longe magis fuſco-viride, quam infuſum in mera aqua. Aqua deſtillata quoque aromatica, amara.

Chartam cæruleam non rubefacit, & ſuccus pleruraque fluiditatem retinebat cum liquoribus alcalinis, ſed coagulabatur ab acidis. Confer *Centaurium* & *Succiſam.*

Vires extrahit Aqua & Spiritus Vini, ſed Spiritus Vini magis perfecte, Tinctura enim ſpirituoſa præter amarorem, ſaporem quoque aromaticum ſatis fortem poſſidet.

Extractum retinet amarorem & acrimoniam ſecus quam Abſinthium, cujus acrimonia volatilis eſt, & proinde Tanaceti Extractum præferendum.

Probatus eſt ejus effectus externus in tumoribus frigidis & œdemate pedum, quinetiam in paralyſi & andura artuum mirabilis. Decoctum in militum tumoribus abdominis tenſivis poſt febres ſumme proficuum fuit.

Si corpus lavetur ſucco in febre intermittente paroxyſmum præcavere dicitur.

Cataplaſma ex hoc & butyro recenti utile eſt in ſemiluxationibus, *Sprains* dictis.

Succus in fiſſuris pedum, manuum & Ulceribus antiquis utilis eſſe dicitur. In herpete & tinea laudatur. Omnem putredinem & inſecta arcet.

Carminativum eſt, & flatibus ventris diſcutiendis aptiſſimum. In colica mucida & frigidis flatulentis uteri morbis apprime convenit. In Vino albo coctum vel ſuccus cum Vini hauſtulo laudatur, ut præſens remedium ad podagram e ventriculo expellendam.

Urinam movet, proinde in cachexia & hydrope utile. Vino infuſum menſes ciet.

Miles Monſpelienſis, Hydrope pertinaci laborans, ſolo decocto Tanaceti curatus fuit, authoribus *Miſcell. Curioſ.* teſtantibus.

Semen

Semen egregium eſt anthelminticum, non tantum vermes inteſtinorum, ſed & præcordiorum necans & expellens; & in hunc finem corymbi uſurpantur cum ſemine.

N. *TARTARUM* album & rubrum. *Red & white Tartar.*

Eſt pars terreſtris & ſalina Vini, è Vino rubro rubrum, e Vino albo album. Rubrum minus purum & minus ſalis habet. Eſt ſal eſſentiale Vini, ſaporis acidi, ſubacris, quibuſdam nauſeoſi, inflammabilis, & deſtillatione dat Oleum, ex Acidis, vinoſis, oleoſis & terreis partibus conſtans.

Album magis acidum quam rubrum, ſed non mutabatur a ſyrupo Violarum, & Rubrum tantummodo obſcure ebulliit cum ſpiritu ſalis Ammoniaci.

Ex Retorta vitrea primo exſtillat Phlegma, dein ſpiritus in forma nebulæ, tertio Oleum pingue; accuratior autem analyſis datur ſic. Tartari optimi ℥xxxij conſtant ex *Aëris* ℥x ʒv ℈j, *Phlegmatis* & ſpiritus ℥viij, Olei ℥v, Acidi ℥viij, *Fæculentiæ* terreſtris ʒij vel ʒiij. Itaque deſtillatione dat circa ⅓ partem aëris.

Non ſolvitur integre niſi in vigecupla quantitate Aquæ, quin &, ut ſolvatur, gradum caloris ebullitionis requirit.

Acidum Tartari diverſum eſt ab omnibus aliis Acidis vegetabilibus; ſi enim Tartarum cum ſalibus alcalinis vel terris vel metallis combinetur & ſolvatur in aqua, quodcunque aliud acidum, v. g. Acetum, ſuccus Limonum vel Tamarindi, additum præcipitat Tartarum æque acidum & æque difficilis ſolutionis ac prius: hinc Tartaro ſolubili & ſali Rupellenſi nullum aliud Acidum admiſceri debet, quoniam Tartarum ſepararet a ſale alcalino.

Datur in Juſculo a ʒj ad ℥ß vel ℥j ad alvum ſolvendam, & quidem crudum Tartarum medicina optima eſt, cremorem & cryſtallos ſuperans ad abſterſionem primarum viarum, unde multa mala ex vitio pituitæ & inertia primorum viſcerum egregie tollit ex juſculo ſumptum. Conſentiunt *Boerhaave* & *Albinus*, præcipuum eſſe è purgantibus, quibus primæ viæ, reliquo corpore inturbato, depurgari poſſint; calor enim corporis noſtri non ſufficit ad ſolvendum Tartarum, hinc hoc ſingulare præſtat quod alvum liberam relinquat, ſecus quam alia purgantia.

Summatim, antiſepticum eſt, diureticum, catharticum, attenuans, abſtergens, ſtimulans, fervorem ſanguinis reſtinguit, cum acri putrido amiſſa acedine, in materiem facile ſolubilem abit, tumque pulcherrimum exhibet remedium aperiens. Bilis acrimoniam corrigit, & in omnibus morbis bilioſis, ubi calor & ſitis infeſtant, utile.

N. *TEA BOHEA & VIRIDIS.* *Kæmpfer, Amœnitates Exotic. & Hist. Japon.*

In usum universalem diæteticum recepta centuria hac 18ma.

Hæc notatu digna apud *D. Lettsom*, in sua *Historia naturali & medica Tea*, Londini impressa A. D. 1772.

"Unius tantum speciei Viridis Odor est lenis fragrans, & unius speciei, Boheæ nempe, odor fragrans, violaceus; aliter, dum planta viridis est, parum odoris possidet, nisi quem exsiccando acquirit, quemadmodum Gramina apud nos.

Vim adstringendi prodit evidenter infusione ejus cum Vitriolo Martis purpurascente, & liquor, a destillatione residuus, amarus est & adstringens.

Experimenta sequentia vim ejus Antisepticam & simul sedativam indicant. 1. Caro bovina ab infusione ejus diutius præservatur a putredine, quam ab Aqua simplici. 2. Aqua odorata, ab optima Viridi destillata, in cavitatem abdominis Ranæ injecta, necnon nervo ischiadico denudato ejusdem admota, stuporem adducit, aliquot horas durantem, dum liquor, a destillatione residuus, nullum præstitit effectum.

Hanc vim sedans & relaxans pendere videtur a principio volatili odorato; quod confirmatur a prax. Sinensium, qui hac planta non utuntur antequam duodecim menses asservata fuerit, utpote recenti vi soporifera prædita; porro & Mercatores, diu eam tractando & odorem ejus admittendo, vertigine aliisque malis capitis correpti fuerunt.

In usum fit præparatio cum sollicitudine maxima, scil. exsiccando super sartaginem ferream calefactam repetita exsiccatione, donec auferatur omnis humiditas, quia & rursus tollitur e vasis, in quibus reposita fuerit per aliquot menses, ut iterum igne lenissimo exsiccetur ad integram omnis humiditatis absumptionem.

Porro, præter infusionem, sumitur apud Japonenses & Sinenses, *Pulvis* ex aquâ calidâ haustus, & apud Sinenses paratur ejus *Extractum* in magna quantitate aquæ solvendum pro sudorifero in febribus, aliisque morbis.

Fatigatos ab itinerando insigniter reficit,

Vigilias parere sumptam infusione vespere bene notum.

Usus ejus frequens robustis & exercitatis haud nocet, potius juvat; debilibus vero & quorum systema nervosum facile mobile, nocius, affectus spasmodicos cum dolore ventriculi adducens."

C. *TEREBINTHINA.* *Turpentine.* Vide *Resina.*

1. *Terebinthina Argentoratensis.* *Strasburgh Turpentine.*

Est Resina Abietina Veterum.

2. *Terebinthina è Chio & Cypro.*

Est

Est Resina Terebinthina veterum, ex arbore Terebinthi, in insula Chio & Cypro nascente.

3. *Terebinthina Veneta nostra*, est Resina Laricea Veterum. Olim Terebinthina Cypria & Chia appellabatur Terebinthina Veneta.

4. *Terebinthina communis*, est Resina Pini Veterum.

Omnis Resina habet quiddam mordax, congelatur a frigore: resolvitur Oleo.

Cum corporibus nostris admovetur, manifestissime calefacit, & membrum in tumorem attollitur, quoniam caliditas natura apta est fluxiones attrahere.

In frigidis regionibus Uvæ maturari exquisite nequeunt: hinc Resinam vinis immittunt ne celeriter acescant.

Vinum, Resinâ conditum, in resolutione stomachi prodest, & stomachis frigidis utile, sed non expedit vomitionibus. Porro Vinum novitium resinatum nulli conducit, capitis dolorem & vertiginem faciens.

Resinæ inter concoquentia & pus moventia reponuntur oleo quodam aut rosaceo subactæ: ad ferventes phlegmonas ex rosaceo liquare oportet, ad frigidiores vero excalfacientium quopiam, puta cicino vel raphanino. Sola Cera minus calida est quam ut pus movere possit.

Porro, Resinæ pus movent quatenus poros obstruentes, calore inde interius adunato.

In Ulceribus vitandæ Resinæ, nisi leviter refrigerantibus admistæ. Attamen in corporibus admodum duris, quæ vulnus habent aut sinum, glutinatoriæ sunt, alia vero omnia contendunt & irritant.

Urinam movent, ventrem emolliunt.

In summâ, vim habent molliendi, calfaciendi, discutiendi & expurgandi.

Ad aures, sanie manantes, cum melle & oleo, necnon ad genitalium pruritum sunt utiles.

Vulvæ onera extrahunt suffitæ.

Emplastris quoque malagmatis & acopis admiscentur; quin & per se illitæ aut impositæ laterum doloribus auxilio sunt. Palpebras commodissime replicant.

Tussi ac tabi conveniunt per se, aut ex melle, quæque ex pectore educi oportet, expurgant.

I. *Resina Terebinthina Veterum. Chio Turpentine.*

Præfertur omnibus Resinis.

Odoratissima est, odore suavissimo subito implens totum conclave, minime omnium mordax, modice amara, ob quam amaritudinem levem magis quam Mastiche digerit, & ob eandem qualitatem ei inest tanta absterfio, ut Psoras sanet, quinetiam quæ in profundo hærent cæteris resinis magis attrahit,

bit, majorem partem tenuitatem & emolliens quiddam habens; hinc aliquando ingreditur Emplastra contra Ulcera maligniora, dum aliae Resinae in curatione ulcerum plerumque prohibeantur.

Illinitur calida membrorum doloribus spasticisque in sole, & totis corporibus illinitur mangonum maxima cura ad gracilitatem emendandam, in quem usum & hoc picationis genus laudatur inprimis a *Galeno*.

II. *Resina Laricea. Venice Turpentine.*

Haec Terebinthinae proxima, mitior reliquis, duplex tamen secundum *Galenum*, scil. una similis in omnibus Terebinthinae, & proinde, ut Terebinthina, ingrediens Emplastra contra Ulcera maligniora, altera hac acrior, calidior, magis liquida, odoratu gravior & gustu amarior, calidiorque

Medici utuntur contra tusses inveteratas & ulcera viscerum.

III. *Resina Abietina Veterum. Strasburg Turpentine.*

Odorata est & thus (h. e. Olibanum) odore imitatur, acrior quam Terebinthina, minus acris quam Pinea.

IV. *Resina Pinea. Common Turpentine.*

Omnium maxime acris. Capitis vulneribus optime medetur.

In linctu & per se ad veterem tussim praeclare facit.

NOTAE. *Resinae Veterum seu Terebinthinae nostrae in genere* fiunt Aquae miscibiles ope Vitelli vel Albuminis Ovi, & elegantius ope Mucilaginum: fere totae solvuntur in spiritu Vini, notandum vero, Oleum destillatum plus phlegmatis una cum Acido dare, quam Olea alia essentialia, unde non perfecte solvitur in spiritu Vini, sed lactea fit mixtura, ast quando totum phlegma destillavit, derelictum Balsamum vel Resina solvitur in spiritu Vini.

Oleum destillatum effervescit potentissime cum spiritu Vini, necnon cum Oleo Vitrioli forti & spiritu Nitri, atque ambo abeunt in consistentiam Balsami seu Terebinthinae artificialis; quinimo ultimo destillatum Oleum cum spiritu Nitri dephlegmato inflammatur.

Si Terebinthina recens multa aqua affusa per Vesicam destilletur, prodibit primo, igne valde leni, spiritus grate acidus limpidusque, aucto igne Oleum leve, penetrans, subtile, aromaticum, aethereum dictum, ascendit una cum spiritu acido: manebit in fundo Resina tenax, pellucida, rubra: aucto per gradus deinde ad summum igne, Oleum ascendit rubrum cum spiritu adhuc acido ultimo Oleum rubro-nigrum, ponderosum, foetidum, sub Oleis prioribus subsidens.

In fundo vasis manet pellucidum, vitri instar, corpus, Colophonia dictum, quod minimo calore liquescit.

Externe uberrimam utilitatem afferunt Terebinthinae in emundandis Ulcerum

rum

rum & abscessuum sordibus, unde in unguentis digestivis & cæteris fere primariæ sunt, ac resolutioni tumorum frigidorum & partium debilitatarum roborationi egregie inserviunt.

Usu interno dantur a ʒj ad ℥j. Semiuncia alvum laxat & diuretica est, ℥j purgat. Porro, Ulcera quoque abstergent, sed cavenda dosis nimia, quoniam inde capitis dolores. Valent ad fluorem album, gonorrhœam, dysenteriam, colicam & obstructiones renum a saburra vel viscido humore.

Oleum æthereum membra refrigerata restituit & calefacit, & qui per summum frigus iter sunt facturi, si modo pedes hoc Oleo inungant, frigus nunquam sentiunt. In Pernione, quando posterior calcis pars gangræna ex frigore affecta sit, Oleum hoc inunctum certissimum est remedium.

Porro, hoc Oleum, si fervens cum linteis carptis applicetur, efficaciâ superat omnia alia styptica, & in læsionibus indeque doloribus nervorum, si calide affundatur loco affecto, divinum est remedium: primo momento augetur dolor, sed mox mitior redditur, tandemque penitus evanescit.

Oleum crassius convenit contra frigus hyemale.

1. *Terebinthina è Chio & Cypro.* Utraque provenit è Terebintho vero C. B. Cypria ætate spissior & minus acris. utraque magis interne, Laricea magis externe usurpatur

Terebinthina e *Chio* odoris est fragrantis præ omnibus aliis Terebinthinis, saporis balsamici, amaricantis, longe minus amari & minus acris quam Terebinthina Argentoratensis, unde usu interno præferenda.

In Spiritu Vini rectificato maxima pars, sed non tota solvebatur, relicto tantillo materiæ glutinosæ.

Odorem violaceum dat Urinæ; confert in Urina & Alvo cienda.

Optima usu interno, qua roborans & stomacho non noxia, & confert in tussi aliisque pulmonum affectibus expurgandis· expectorationi purulentæ & phthisi incipienti succurrit.

2. *Terebinthina Veneta;* Resina Laricea Veterum

Odoris est acris, aliquantulum gravis, validioris & minus grati quam Argentoratensis, saporis amaricantis, acris, minus acris quam Terebinthina Argentoratensis, magis acris & calida quam quæ è *Chio.*

Præ omnibus odorem violaceum dat Urinæ sive intus sumpta sive vulneribus applicata, sive in clysteribus adhibita.

Corpora a putredine conservat experimento *Swammerdamii.*

Extrinsecus Chirurgis usitatissima, fereque in omnibus Emplastris adhibetur, movet enim pus, maturat, & scabies cutis medetur, nec datur topicum potentius ad dissipandos effectus contusionum magnarum.

Urinam ciet. Alvum laxat magis quam aliæ Terebinthinæ: ℥j purgat: Ovi

Ttt Vitel-

Vitello subacta & Aquæ alicui cardiacæ admixta, alvum commode purgat, & plurimum facit ad dolores rheumaticos Colicam comitantes.

Vires habet Balsami Capivi, gonorrhœam sistens & fluorem album. Ulcera interna mundificat & consolidat.

Ad præcavendum scorbutum pauca ejus grana cum Extracto amaro commendantur pro succedaneo decocti summitatum Abietis, utpote minus nauseosa; quin & usûs ejusdem prædicatur in nephritide & podagra ad ℈ß vel ℈j quotidie.

3. *Terebinthina Argentoratensis* Odoris est validi, fragrantis, fere instar corticis Limonum, saporis magis amari quam Laricea, aromatici, acris & quodammodo saporem Mali Citrei referentis, ut Balsamum Gileadense.

Fere tota dissolvitur in spiritu Vini rectificato.

Lac, cum quo reponebatur, per duodecim horas coagulabat.

Urinam odore violaceo inficit.

4. *Terebinthina communis* provenit ex Pino sylvestri C. C. *The wild or mountain Pine.*

Dissolvebatur tota in spiritu Vini rectificato & in Vitello Ovi. Saporis est amari, resinosi, calidi, acris, & diuretica.

N. *TERRA* Japonica. *Japan Earth.*

Garcias & sequaces Lycium *Dioscoridis* esse volunt, quibus *Clusius* & *Veslingius* se opponunt, quoniam arbores, Lycium fundentes, & Catechu plurimum inter se differunt, cum figura, tum magnitudine foliorum & fructuum. Saporis est adstringentis, amaricantis, tandem subdulcis & pinguis, ut Boli.

Solvitur fere integre in Aqua, & ¾ partes ejus in spiritu Vini rectificato, derelicta parte mucilaginosa, proinde est de natura Gummi-Resinæ, præter acidas, terrestres & gummosas, etiam particulis resinosis scatens.

Infusum in aqua nigrescit cum Vitriolo Martis.

In ore detenta copiosa sputa elicere solet, & in vacillatione dentium, ac gingivis flaccidis, in catarrhis, tussi & raucedine usurpatur, atque interne in hæmoptoë, incontinentia Urinæ, diabete, vomitu, diarrhœa, dysenteria & fluore albo; necnon in mictu cruento, & mensium fluxu nimio, in Tinctura in spiritu Vini rectificato, guttatim sumpta.

D. *TERRA* Lemnia. *Earth of Lemnos.*

Duplex erat apud Veteres. 1. Terra Lemnia. 2. Rubrica Lemnia, prima medicis, secunda pictoribus usurpata. *Plinius* hæc confundit; & olim Rubrica pro Bolo Armena sæpe obtrudebatur.

Habe-

Habemus quidem primam, manus tractantium non inquinantem, quæ vera est *Galeni*, sed raro invenitur. Vide *Bolus Armena*.

C. *THLASPI*.

Genera Thlaspios viginti quinque recenset *Bauhinus* in Pinace. Duo proponuntur in *Pharmacop. Londin*, quæ sunt;

1. *Thlaspi arvense siliquis latis* C. B. *Treacle Mustard*.
2. *Thlaspi arvense Vaccariæ incano folio majus* C. B. *Mithridate Mustard*.

Consentio *Cæsalpino*, descriptionem Thlaspios non convenire Thlaspi nostro, sed potius Bursæ pastoris, cujus semen quoque acre est. Veruntamen, quum Thlaspi nostrum similibus qualitatibus sensilibus & viribus ac Thlaspi *Dioscoridis* & optimum *Galeni*, præditum esse videtur, ac proinde pro hujus succedaneo admitti potest, vires, suo Thlaspi a Veteribus tributas, hic recensere non gravabor, scil.

Semen acerrimum, excalfaciens, ingreditur Theriacam Andromachi.

Si veris constitutio siccior sit, qui *Italia* nascitur par erit allato ex *Creta*.

Punctiones, frigora & horrores in accessione discutit. Asperitudines oculorum & cicatrices extenuat.

Clystere infusum, donec sanguinem trahat, ischiadicis prodest. Menses ciet. Fœtus uternos enecat. Potu sanguinem educit, ac internos rumpit abscessus.

Bilem utrinque, tam superne quam inferne, extrahit acetabuli mensura potum (x).

NOTÆ. E duabus speciebus, supra propositis, arvense siliquis latis præferendum, secunda longe debiliore.

Prioris siliquæ & semen saporis acerrimi sunt instar Erucæ aut sinapios, sed magis amari, acrimonia fugaci, destillatione pereunte, ut in residuo a destillatione; odore cepas & Allium redolet: Ptarmicum est validum & apophlegmatizans: extrinsecus Ulcera quæcunque manantia abstergit.

Grumos sanguinis dissolvit; &, cum aceto Emplastri modo appositum, utero strangulatas excitat. Ad Acetaria expetitur.

Antacidum est, attenuans, diureticum, in hydrope & scorbuto utile; &, si con-

---

(x) Confer vires *Raphani rusticani*, qui Emeticl.

contundatur cum saccharo, summum est sudoriferum, præsertim si addatur aliquid aceti vel Vini Rhenani.

N. *THUS* vulgare offic. quibusdam Thus fœmininum. *Common Frankincense.* Gal. *Encens.*

. Resina sicca Pini sylvestris C. B. a Thure absolute dicto seu Olibano, veterum Libano, prorsus diversum, ejus enim arbor ad hunc usque diem incognita est.

De *Resina Pinea Veterum* seu *Terebinthina communi* vide supra.

Thus fœmininum Odoris est fragrantissimi, multum fumi & odoris reddens in ignem conjectum, saporis amari in gutture, &, sermone Veterum, calidum in secundo ordine, inflammabile, in ore non solubile, utpote mera Resina. Spiritu Vini rectificato solvitur, non in *Proof spirit* dicto (quum Thus masculum, Olibanum dictum, sit Gummi-Resina) & facile oleaginosis diluitur.

Destillatione Oleum & spiritus acidos exhibet.

Usu externo deterget, deficcat, consolidat, suppurationem promovet. Nonnunquam Ulcera vesicantium difficulter cicatrizantur: in hoc casu pulvis Thuris, in subtilissimum Alcohol redactus, & ulceri bis in die aspersus, optimum est remedium, authore *Baglivio.*

Usu interno vim habere dicitur leniendi, temperandi & urinam movendi.

C. *THYMELÆA* foliis Lini C. B. Vide *Grana Cnidia.*

C. *THYMUS* vel Thymum. *Thyme.*

1. *Thymus capitatus*, qui *Dioscoridis* C. B. sc. lib. 3 cap. 44. *Dioscoridis foracens. The true Thyme of the Ancients. Miller, Gardener's Dictionary.*

2. *Thymus vulgaris folio tenuiore.* C. B. Thymum durius *Ger.* olim Officinale. Est forte Thymum durius, cujus alibi obiter meminit *Dioscorides.* Colitur in hortis in usum tum culinarium tum medicum.

Serpyllum citratum. Ger. emac. Serpyllum foliis citri odore C. B. *Lemon Thyme.* Serpyllis proprie annumerandum, Veteribus, quoad scio, prorsus incognitum.

Thymus vel Thymum acre est & in tertio ordine excalfaciendi siccandique statuitur. Olfactus ejus comitiali morbo correptos excitat, & in aceto coctum naribus lethargicorum admovetur.

Purgat caput per os, humiditatem ex ore trahens.

Cretense optimum, vel certe ex regionibus editis & siccis: pro condimento ad sanorum usus perquam utile. Vir..e ..... est esculentum, manditurque cum alimentis, inter cibos attenuantes locum habens, & in jecore aut liene obstructis cum ficubus longe ante cibum exhibetur.

Ut

Ut alia medicamenta calida, illum, qui justo frigidior est, calfacit & temperamenti æquabilitatem revocat, proderitque ut medicamentum. alterum vero qui calidior est inflammabit, lædetque.

Tradunt, *Zoroastrem* in desertis Caseo, aceto & thymo macerato vixisse annis viginti.

Hebetiore oculorum acie præditis in cibo confert.

Ex aceto impositum œdemata recentia discutit, & sanguinis grumos dissolvit, ac thymos pensilesque verrucas tollit. Ischiadicis cum vino & polenta subvenit. Articularis morbis & luxatis imponitur tritum, ac lanæ inspersum ex oleo. Si venter testesve turgeant, aut si Vesicæ dolor exigat, è vino impositum tumores & impetus tollit.

Vires habet acres, excalfactorias, attenuantes, stringentes, unde vitiis stomachi & thoracis aptissimum est. Sic ejus decoctum cum melle orthopnoicis & anhelatoribus auxiliatur, & in eclegmate cum melle excreationes faciles facit. Inveteratæ tussi confert: & decoctio ejus purgat in intestinis crudos humores, ac indigestibiles cibos, & lumbricos rotundos excludit.

Cum melle & aceto datur contra inflationes, & incoctum ex melle Attico usque ad tertias ad intestini coli dolores propinatur.

Cacuminum ℥iv cum posca & modico sale vim habet, pituitam & choleram sine molestia per alvum expurgandi.

Menses, partus & secundas pellit: Urinas ciet.

NOTÆ. Odoris est gratissimi, & antiquitus in sacrificiis pro suffumigiis fuit adhibitus, quibusdam dolorem capitis affert. destulatione certa encheiresi ex eo Camphora elici potest, & plus Olei dat quam serpyllum, quod, instar Olei Caryophyllorum adhibetur in odontalgia a dente carioso. sapor aromaticus, calidus, acris: decocti sapor aliquantum calidus & adstringens, & cum Vitriolo Martis viridescebat; in altero autem experimento infusum atro-viride fiebat.

Thymo utuntur Hispalenses in aqua decocto, utpote gratissimi odoris ad dolia, quibus Vinum asservatur, eluenda & repurganda.

Aquæ impertit odorem suum gratum, sed Spiritus Vini rectificatus vires integras extrahit; infusi enim aquosi odor gratus est, sed sapor debilis, amaricans, verum spirituosi sapor acris est.

Succus coagulabatur a diversis liquoribus tum alcalinis, tum acidis, sed fluiditatem retinebat cum solutione Mercurii sublimati corrosivi & cum Aceto destillato.

Ejus spiritus vel Decoctum, quatenus topicum, dicitur proficuum fuisse in morbis spasticis & artuum doloribus.

Miror, inquit *Boerhaave*, quare petant maria pro aromatibus, dum huic plantæ insit illud, quo omnia aromata Indica provocare possit. Infusum recentis herbæ in Vino (addito melle ad coërcendos spiritus volatiles) languidis, aquosis, inertibus summam dat medelam, & in morbis frigidis, hydropicis optimam; sed, ubi Inflammatio vel Bilis nimis acris, obest.

C. *TILIÆ* Flores.

Tilia fœmina folio majore C. B. *Limetree flowers*. Antiquorum est Philyra, non Phylyrea.

Tiliam luculenter describit *Theophrastus*. Perperam *Plinius*, & *Ruellius* illum secutus, nostræ vulgari Tiliæ vires attribuit, quibus pollere Philyream author est *Dioscorides*, hujus enim Philyreâ longe tenuior est Tilia, corticem habens inflexibilem, & perpetuo viret, quod Tiliæ nostræ non convenit.

De florum viribus fere nihil apud Veteres invenio.

NOTÆ. Recentium Odor perquam suavis est, leniter aromaticus, & fere qualis *Ratafia* dicti liquoris, vel florum spinæ albæ; sapor subacris, subamarus, subdulcis, mucilaginosus.

Abundant Oleo plurimo & nonnullo sale volatili & acido.

Extrinsecus discutiunt; usu interno conveniunt floribus Lilii convallium & Paralyseos; laudantur in affectibus nervinis, ut epilepsia, vertigine, apoplexia, palpitationibus & malis hystericis, tum in Conserva, tum in Aqua destillata.

C. *TITHYMALUS*. Esula. *Spurge*.

Ezula Arabice generale nomen est omnium Tithymalorum, quorum historiam confuse tradiderunt Mauritani, sed Græci ordine pulchriore descripsere. Tithymali vocem *Gaza*, secutus *Plinium*, Lactaram reddidit, ut *Columella* Lactucam caprinam, *Celsus* marinam, ut infra.

Apud *C. Bauhinum* in *Pinace* prostant viginti sex species. *Dioscorides* septem proposuit, quarum quinque nobis cognitæ, scil.

1. *Tithymalus Characias amygdaloides* C. B. *Cæsalpini & Lobelii*. *Characias*, i. e. vallaris: *amygdaloides* a foliorum aliqua forma. *Wood-spurge*. *Raii*, *Synops*.

2. *Tithymalus myrsinites*, sive myrtifolius. *Myrtle spurge*. Tithymalus myrsinites latifolius C. B.

Convenit *Dioscoridis* Myrsiniti plerisque notis.

3. *Tithymalus maritimus* C. B. & *Cæsalpino*: Paralios J. B. *Sea spurge*. *Cels.* Lactuca marina.

Nostrum convenit notis *Dioscoridis*.

4. *Tithy-*

4. *Tithymalus Helioscopius* C. B. *Sun sperge or Wartwort.*

Helioscopio *Dioscoridis* pleraque nota convenit.

5. *Tithymalus Cyparissias* C. B. *Matthioli, Dodonæi, Turneri & Lobelii. Cypress sperge.*

Tithymalus Characias, utpote valentissimus, reliquis, apud Græcos præferebatur.

Tithymali omnes vincentem habent acrem calidamque facultatem; inest vero & ipsis amarities. Validissimus est eorum liquor, scil. ex quarto calfacientium, i. e. adurentium ordine. secundum locum tenent fructus & folia, & radix dictarum facultatum particeps est, sed non ex æquo.

Succus, per se externo corpori appositus, pustulas ignium modo facit, & pro caustico in usu est.

Ad ducendam bilem, similiter ut Elaterium & Scammonium, dantur guttæ quatuor aut quinque cum polenta subactæ, ita ut cito devorentur, nam in ore detentæ diutius, linguam & circumsitas partes exulcerant & potus multum calorem in ventre facit, vel catapotia ex ea, cera aut decocto melle oblini par est.

Appetente vindemiarum tempore, succus, congestis ramulis, mox dissectis & vase conclusis, excipitur. Aliqui adjiciunt farinam Ervi, & in pastillos digerunt, qui Ervi magnitudinem impleant. alii in aridas ficus ternas quaternasve guttas instillant, ut cum his inarescant, quas in usus recondunt; &, hoc modo usurpatus, stercora per alvum expellit. & purgationis gratia binas aut ternas ficus sumpsisse satis est. Tradunt toties purgari hydropicos fico sumpta, quot guttas lactis exceperit. Ficus a cibo sumpsisse melius est.

Cum extrahitur Lac, neque quo venti aspirent stare quenquam, neque manus oculis admovere convenit; sed antequam colligas, corpus, præsertim faciem, collum, scrotumque adipe aut oleo cum vino perungere.

Foliis & fructibus ad pisces in aqua stagnali capiendos uti assolent: celerrime namque ab illis in vertiginem acti ac semimortui redditi ad aquæ superficiem feruntur.

Recens Lac ex oleo (scil. per se nimis acre,) perunctos in sole capillos evellit, renascentesque flavos & exiles efficit, &, si id assidue fiat, omnes perimit, corpusque glabrum reddetur. Dentium cavernis inclusum levat dolorem, sed cera dentes oblinendi, ne suo delapsu fauces & linguam vitiet.

Radix, quum aliquo modo debilior sit, cum aceto decocta, quibusdam præfertur ad dentium corrosorum dolores sedandos.

Tollit illita psoras & impetigines, clavos, condylomata, formicantes verrucas, pensiles, & qui thymi florem repræsentant. Valet adversus pterygia sive oculorum ungues, carbunculos, phagedænas Ulcerum, gangrænas. fistularum callos, si in tempore & moderate utare, eximit.

Album

Alvum purgat, trahit pituitam bilemque, binis obolis in posca sumptis, & cum aqua mulsa vomitiones movet. Hydropicos sanat, aquas per inferna trahens.

Semen & folia lactei succi effectus præbent, dimidio acetabulo pota.

Semen purgat intestinorum crudos humores & indigestibiles cibos, ac lumbricos rotundos excludit.

Hactenus præcipue de Tithymalo Characiâ Veterum.

Myrsinites, *Paralios*, & *Cyparissias* similes sortiuntur facultates: *Helioscopii* quoque eædem, quæ superioribus, vires, sed non usque adeo validæ.

NOTÆ. Tithymali omnes cutim exulcerant, & vehementissime purgant: excalfaciunt adeo, ut inde febres facile concitentur.

Validissimum est Lac, secundum locum tenent semen & folia, dein radix.

Apud *Prevotium* datur Lac a guttis v ad xij.

Maritimi folia sicca saporis erant calidi, & fere linguam excoriabant, sensu caloris durante ultra 24 horas.

Lac *Helioscopii* & Lac *maritimi* nil ebullitionis patiebatur a spiritu Vitrioli.

D. Michaelis puerulum, desperata alvi obstructione laborantem, curavit radice pulverisata, aliis fortissimis purgantibus frustra tentatis. Corrigitur acrimonia acidis & substantiis mucilaginosis.

C. *PEPLOS ET PEPLIS* Veterum.

Tithymalis adjungendi veniunt, utpote botanices scientia excultiore.

1. *Peplus. Tithymalus parvus* annuus foliis subrotundis non crenatis, Peplus dictus. Peplus seu Esula rotunda C. B. *Petty spurge*. *Raii Synops.* Hic plerisque notis *Dioscoridis* convenit.

Succum lacteum habet Tithymalis similem, tum in aliis, tum quia purgat, ceu illi. Semen & fructus tusa repurgataque reconduntur. Muria quoque conditur & asservatur.

Bilis ac pituita detrahitur acetabulo ejus in hydromelitis cyatho poto. Obsoniis inspersis conturbat alvum. Folia siccata leniter purgant.

2. *Peplis. Hippocrati Peplion. Tithymalus maritimus* supinus annuus, Peplis dictus. Peplis maritima folio obtuso C. B. *Small purple sea spurge*.

Notis herbæ, *Dioscoridi* Peplis dictæ, convenit.

Candidi succi plena est, ferventis gustûs.

Colligitur, reponitur & datur: sale condiri solet ut Peplos, & easdem habet vires.

Alvum solvit, & cibis inspergitur obsoniisque ad molliendam alvum.

Peplii semen, aliquando vero & ramuli simul in umbra siccata, tusa ac cribrata

brata, dantur pondere scrup. iv in aqua mulsa, adstillato modico aceto; nam post flavam bilem, nigram & pituitam ducit & flatus dissipat, authore *Hippocrate* maxime igitur convenit flatuosis affectibus, quæ sane atram bilem lacessunt & auspicantur Convenit etiam splenis inflationibus diuturnis, uteri item ac coli, & laxis abdominis tumoribus.

N. *TORMENTILLA* sylv. C. B. *Tormentil.* Vide notas in *Pentaphyllum.*

Radix Valde adstringens est, os exsiccans, & amaricans; succus quoque austerus est & amaricans, ut & decoctum: Infusi sapor valde austerus, & cum Vitriolo Martis nigrescebat, dum infusum foliorum cum eodem Vitriolo fusco-viride fiebat.

Succus fluiditatem retinebat cum liquoribus acidis, contra spissescebat cum liquoribus alcalinis.

In insulis Feroënsibus hac radice, defectu corticum quercûs, utuntur ad pelles animalium præparandas.

Porro, præter vim adstringentem, adest quoque sapor subaromaticus; contusæ enim aut cum aqua coctæ odor est, instar Fœni recentis, ingrate balsamicus & herbaceus. Decoctum odorem Rosarum spirare dicitur. Aqua destillata odorata est: hinc vis leviter discutiens, alexipharmaca & diaphoretica, consensu Authorum.

Radix fortiter rubefacit Chartam cæruleam; Folia minus.

Lac, cum radice coctum, leviter coagulabatur, & Lympha hydropici ea admista, ut fere ab omni adstringente, plus minus coagulatur.

Vim adstringentem impertit Aquæ & Spiritui Vini rectificato, sed magis perfecte ultimo.

Ulcera vetera & putrida sanat vino vel aqua decocta collutione & inspersu. In Vino cocta optime deterget & roborat, in ulceribus scorbuticis oris, gutturis & faucium ac in gingivis dissolutis, sanguinem stillantibus.

Decocta ad appetitum deperditum maxime valet, tonum ventriculi restituens, & sordes ejus abstergens. Non est vegetabile quod in fluxionibus alvi efficacius sit. In dysenteriâ epidemicâ quidam in ore tenent ad præcavendum contagium. In fluxu sanguinis, fluore albo & mictu involuntario valet.

C. *TRAGACANTHA* Vide *Gummi Tragacantha.*

C. *TRAGOPOGON* pratense luteum majus C. B. *Yellow Goat's beard.*

Latine Barbula Hirci, Come *Plinio.* Tragopogon *Dioscoridis* & *Theophrasti.*

Radix longa & dulcis: herba ipsa esui apta est, sed sine usu secundum *Plinium*, verum apud nos Radicis usus insignis est.

NOTÆ. Culinaria est herba, Lac dulce præbens, & in tenera ætate esui apta in acetariis, quemadmodum aliarum herbarum asparagi.

Radices quoque succum lacteum dulcem præbent & editantur coctæ ex oleo & aceto: valde nutriant, macilentis & tabidis conducunt, Urinæ st. illicidio conveniunt & calculum expellere creduntur, unde *Sassifaca* aut *Sassifraca* Italis dictæ sunt lancinationibus æstuantibus ventriculi & thoracis, tussi & dyspnϾ auxiliantur.

C. *TRICHOMANES* seu Polytrichum offic. C. B. *English Black Maidenhair.*

Trichomanes *Dioscoridis* & *Theophrasti*: *Plinio* folia amara, sed *Oribasio* rectius acerba.

Nomen acquisivit, quod rara cute fluentem capillum sistat, ac subnasci faciat contusus & cum oleo illitus.

Decoctum ejus stranguriæ sanat in vino albo potum, addito cumino rustico.

NOTÆ. Eadem, quæ Adiantum (quod vide.) præstare constat, cujus quoque qualitatibus sensilibus & viribus convenit, quippe foliorum & caulium sapore leniter adstringente & subdulci; infusum cum Vitriolo Martis viridescebat. Decoctum adstringens est & amaricans; succus valde dulcis, amaricans & adstringens, leviterque Albumen Ovi coagulabat.

His quoque affine est Adiantum nigrum offic. J. B. Adiantum foliis longioribus pulverulentis, pediculo nigro C. B. saporis quoque adstringentis, subdulcis, qualis est & ejus succus, qui cum liquoribus alcalinis spissus fit & farinacei quid præcipitat. Decoctum fuscum fit addito Vitriolo Martis.

N. *TRIFOLIUM* palustre C. B. *Marsh Trefoyl. Buckbean.*

Veteribus incognitum & *Etmulleri* tempore nullus fere practicorum hujus mentionem fecit præter *Simonem Pauli.*

Folia, caulis & radix admodum amara sunt.

Simon Pauli & *Etmullerus* ei acrimoniam insignem, qua pollent Antiscorbutica, tribuunt, sed apud *Boerhaave* & nos amarore præcipue insignitur instar Gentianæ.

Acetum, hujus decocto admistum, amarorem tollit, & simul aciditatem suam perdit, argumento acida & amara se mutuo corrigere.

Folia viridia contusa, imposita, discutiunt livorem in contusionibus.

D. Tan-

D. Tancred Robinson se sæpius observasse ait, Oves tabidas in paludes, hac herba abundantes, compulsas, ejus usu sanitati restitutas.

Extractum ejus, in aqua solutum, solutione saturatâ, compertum est æque detergens ac Tinctura Myrrhæ & Aloës; atque usu interno laudatur in vomitu, imbecillitate ventriculi & cruditatibus acidis.

Ad Ulcera maligna pudendorum expetitur herba vel succus.

Morbi cutanei inveterati curati fuere infuso foliorum, ad ℔ij in die hausto, per aliquot septimanas; & ejus infusum instar Theæ vel decoctum in Cerevisia bibitur in morbis scrophulosis & scorbuticis; habet quippe succum amarum, penetrantem, saponaceum: in podagra, ubi non nimia siccitas, & in scorbuto, ubi non nimia humorum fluiditas, prodest. Dolores podagricos, scorbuticos, rheumaticos, ischiadicos, doloresque circa periostea inveteratos feliciter expugnat, si instar Theæ multo cum melle magna copia & per longum tempus bibatur.

C. *TRITICUM.* *Wheat.*

Etsi Triticum generaliter omne frumentum, quod ex spicis tritum ac trituratione repurgatum fuerit, significat, ut ex *Varrone* colligere licet, posteriores tamen peculiari Frumenti speciei tribuunt.

Siligo omn Triticum purissimum.

1. *Triticum spica & granis rubentibus* C. B. Tritici hyberni aristis carentis genus primum πυρὸς Veteribus. *Red Wheat.*

2. *Triticum spica & granis albis.* Triticum siligineum C. B. Græcorum & *Galeni* σιλιγνις. Hujus granum mollius, levius, extrinsecus nitidum, medulla leviore & candida. *White Wheat*

3. *Triticum æstivum* C. B. Trimestre Triticum Græcis, nonnullis *sitanium* nominatum.

Vere seritur, & æstivis mensibus ad maturitatem pervenit.

Agam primo de Tritico, dein de iis, quæ ab eo proveniunt, & in Medicina usurpantur, qualia sunt, *Amylum, furfur, Fermentum & Panis.*

Triticum moderate dulce est, primo ordine calefacit, inter sicca & humida medium tenet: habet etiam quiddam lentoris obstruentisque naturæ.

Omne quod grave, densum & interius flavescens est, crassum & viscidum succum generat, quod vero leve, rarum candidumque intus est succum minus crassum & viscidum gignit, minus nutrit.

Fulvum, flavum, rubrum alio calidius.

Calfacit & valenter nutrit si concoctum fuerit.

Merum ab Equis sine noxa non editur.

Eo, simpliciter elixo, non est vescendum, est enim flatuosum & concoctu difficile edulium.

Lac cum farina triticea multa est edulium ex iis, quae obstructiones in hepate pariunt, & calculos in renibus, cujus farinae quoque sunt placentae ex musto & farina triticea.

Iis, qui magis exercentur, crassius majorisque alimenti exhibendum, levius vero minusque enutriens iis, qui otiosam vitam degunt.

Agricolae nostri in Asia, reponendo fictilia, aqua repleta, in acervum Tritici condunt; id, humorem in se per fictilia trahens, tum molem sibi tum pondus adjicit. Haec *Galenus*;

Sequentia *Plinius* & ejus Annotator:

„ Sextus Pomponius, Praetorii viri pater, Hispaniae citerioris princeps,
„ cum horreis suis ventilandis praesideret, correptus dolore podagrae, mersit
„ in triticum sese super genua, levatusque siccatis pedibus mirabilem in mo-
„ dum, hoc postea remedio usus est. Vis ejus tanta est, ut cados, aqua aut
„ vino plenos, acervis tritici defossos ac sepultos siccet (*a*).

Rem hanc ipsam, tacito viri nomine, versibus cecinit *Q. Serenus* in capite *de Podagra.*

Non audita mihi, sed fas sit lecta referre.
Hoc quidam raptus morbo per tempora messis
Vicino plantas frumento pressit acervo,
Evasitque gravem, casu medicante, dolorem.

Et in Hydropis pariter morbo aliquos, tritico sic tectos, juvatos esse scribit *Theod. Priscianus.*

Cataplasma ex farina triticea, quae in aqua & oleo moderate ebullierit, citius ad suppurationem perducit quam id, quod ex pane conficitur; hoc enim ob salem & fermentum dissolvendi vim habet.

Notandum porro, magnam esse in ore ciborum alterationem nam si mansum triticum crudis furunculis applicaveris, cernes id ocyssime hos mutare & concoquere, cum tamen, si aquae admisceatur, nequeat tale quicquam efficere: & hinc furunculi puerorum non tritico, sed pane masticato sanantur.

Pollen, si ex aqua mulsa aut hydrelaeo decoquatur, omnem discutit inflammationem.

Pari-

(*a*) Melius succedet Curatio, si Triticum, conquassatum in vase, ad ignem calescat.

Farina, ex aceto cocta, Nervorum contractionibus prodeſt.

Trimeſtre, nonnullis *ſitanium* dictum, crudum, commanducatum & impoſitum, commorſis a rabioſo cane auxiliatur: crudum, in cibo ſumptum, lumbricos teretes gignit.

Farina in glutinis modum decocta, ſi delingatur, ſanguinem rejicientibus opitulatur; cum mentha & butyro decocta efficax eſt contra tuſſim & exaſperatam arteriam.

Ad Lichenas, ſeu menti Impetigines, Tritici grana multa in incudem imponito, deinde laminam æris igni candefactam tritico ſuperponito, & reſolutum ab eo liquore calidum adhuc auferto, ſuperque lichenas linito hoc ſolo multos curatos novimus a recentibus in mento aut alia (*b*) parte lichenibus.

NOTÆ. Panem præbet gratiorem & magis nutrientem quam ullum aliud granum, ſaporis ſubdulcis, mucilaginoſi, Olei non expers, inflammabile, aceſcens & antiſepticum.

Anglicum Gelatinam dat tenaciorem quam Hibernicum.

Inter fermentandum maximam quantitatem Aëris generat.

Uſu externo Farina, linteo inſperſa, ſtyptici vice uſurpatur contra hæmorrhagias in amputationibus, & in Eryſipelatibus imponitur, tanquam vi refrigerandi prædita, in partibus impenſe calidis.

Uſu interno, in aqua & lacte probe cocta, in faucium & pectoris affectibus, renum & veſicæ exulceratione, fluxu Alvi & dyſenteria perutilis.

C. *AMYLUM. White Starch. Dale, Pharmac.*

Optimum è trimeſtri tritico paratur.

Vim habet refrigeratoriam, modice ſiccantem, & acrium mitigatoriam, ſimilem panibus lotis, parum quoque nutriens, nullam habens detergendi facultatem. Si crudum pauliſper maneat, aceſcit.

Genas duras emollit. Exaſperatas fauces lenit, in aſperæ arteriæ inflammationum principiis edulium conveniens. Lacti & obſoniis admiſcetur.

Contra Oculorum fluxiones collyriis admiſcetur, & ex amylo, ceruſſa & papavere fiunt collyria in oculorum doloribus, & contra cava ulcera ac puſtulas efficax eſt.

(*b*) Lamina ferri æque inſervit huic propoſito. Confer *Oleum Tritici* in *Pharm. Batean.* quod mirifice proficuum eſſe ibidem prædicatur in rimis manuum, ulceribus pedum, fiſſuris labiorum, herpete & cutis ſcabritie.

Ad ventris profluvia prodest, iis scil. qui acria mordaciaque per alvum excernunt, vi sua mitigatoria & acrimonias hebetandi facultate pollet. Sanguinis rejectiones potu cohibet, datum cum ovo & in vesicæ dolore datur serrunctia amyli cum ovo, & passi, tribus ovis suffervefacta, a balneo.

NOTÆ. Est Tritici farinæ flos subtilissimus, multiplici aquæ infusione extractus, adeoque furfure & particulis salinis privata, proinde magis glutinosum, antacre & incrassans, quam farina ipsa, ad naturam Gummi-Mucaginosorum appropinquans, saporis farinacei, dulcis, infusum glutinosum.

Ad Ulcera siccanda pulvis utilis est, atque in papillarum fissuris & in partibus infantum attritis.

Usu interno serositates acres inspissat & edulcorat. Puls inde parata valde prodest hæmoptoicis & phthisicis.

In fame & obsidione civitatis *Londonderry* inserviebat pro nutrimento, & simul diarrhœam grassantem curabat.

C. *FURFUR.* *Bran.*

In Tritico crassior est furfur quam in Hordeo.

Omne furfuraceum qualitatem habet detersoriam.

In Lateris dolore Furfur, in aceto coctus, ita diluto, ut paulo acidius sit, quam ut quis bibere possit, pro fotu adhibetur, & ad fortiores dolores Lateris utendum est sacculis è milio & furfure.

Apud *Aëtium* prostat Cataplasma è furfuribus, scil. Furfures in mortario tundimus ac cribramus, ut tenuissimi fiant, & utimur iis ad tumorem induratum in omni corporis loco consistentem, præsertim in hepate aut splene. Oportet autem ipsos præparare cum aceto mulso, aut Ammoniacum thymiama cum aceto mulso terimus & furfures admiscemus, & cataplasma imponimus atque adhibemus lenticularia vasa vaporatoria, aqua calida plena, ut ne frigefiat cataplasma.

Idem Cataplasma, nisi quod sine aceto paratur, sed cum aqua mulsa, ad testes inflammatos utile est.

Commodum quoque est hoc Cataplasma furunculis & aliis duris tumoribus ac tuberculis.

Furfures in aceto acri decocti, calentes adhibiti, Lepras removent, suntque contra omnem incipientem inflammationem utile & accommodatum cataplasma.

NOTÆ. Furfures inserviunt manibus purgandis saponis vice, & aquæ immissi manus albas mollesque reddunt, ac vi quadam absterforia intestina ad dejectionem stimulant.

Fur-

Furfures uſu externo abſtergent ſquammulas capitis, leniunt dolores in ſacculis & cataplaſmatibus; uſurpantur in ptiſana, pectorales & lenientes in tuſſi, in aqua decocti, gargariſatu, ad aſperitatem & dolorem faucium leniendum.

C. *FERMENTUM.* *Leaven.*

Plerumque fit ex farina, quæ ſubigitur priuſquam addatur ſal, ad pultis modum decocta & relicta donec aceſcat.

Meminit quoque Fermenti alterius idem author *Plinius*, Fermenti nempe Galliæ & Hiſpaniæ, frumento in potum (*zythum*) reſoluto, (nobis *Barm* vel *Yeaſt* dictum) qua de cauſa levior illis, quam cæteris eſt panis.

Particeps eſt aciditatis cujuſdam frigidæ, & caliditatis putredinoſæ, cui accedit & ea, quæ ex ſalis eſt & farinæ natura, proinde eſt tenuium partium, & mediocriter calidum, vim habens ſine moleſtia ac mordacitate extrahendi digerendique ea, quæ in profundo reſident; quanto autem vetuſtius Fermentum, tanto præſtantius.

Callos in plantis pedum clavoſque extenuat, & tum alia tubercula, tum etiam furunculos ex ſale maturat ac aperit.

Tumores induratos mollit, & aculeos infixos extrahit: oportet autem fermentum diſſolvere in oleo ſufficienti & ſic imponere.

NOTÆ. Uſurpatur in Cataplaſmatibus maturantibus & veſicantibus.

Præmiſſis ſic diverſis ingredientibus Panis, tempeſtivum erit tranſire ad Panem ipſum.

C. *PANIS.*

Tum crudus, tum coctus, ex aqua mulſa impoſitus, inflammationem omnem demulcet, quippe qui plurimum emolliat, & quadantenus refrigeret, ſed herbis ſuccisve huic rei accommodatis admiſceatur.

Panis recens, muria maceratus, Lichenas inveteratas ſanat; & ad cruſtas, in gangræna excidentes, apponatur cataplaſma ex pane in hydrelæo decocto.

Cataplaſma ex pane magis digerit, quam cataplaſma ex tritici farina, nimirum cum ſalem & fermentum panis adjuncta habet, & proinde difficulter cedentibus coctione phlegmonis idoneum eſt, quod vero ex tritici farina præparatum eſt calidioribus aptius eſt.

Ad phlegmonas ægre concoctiles Panis multa aqua diſſolvitur, ut ſucci ſpiſſitudinem habeat, & huic miſcetur Oleum aut Butyrum, deinde coquatur ad compagem.

Cui plus Olei additum fuerit pertinacius coctioni adverſantibus convenit; cui minus, ferventibus convenit. Eſt & hoc cataplaſma præſtantiſſimum omnium

ad

ad vulnerum inflammationes, ut citius suppurentur, & hoc utimur ubi Nervus aut nervosum quid intus contusum fuerit.

Triticum, in panem coctum, flatuositatem & difficultatem concoctionis deponit ob fermenti & salis participationem.

Concoctu facilimus est, qui plurimum est fermentatus & subactus, quique in clibano igne moderato fuerit assatus. Talis seni & exercitationibus non dedito convenit, sed Athletæ accommodus est qui neque bellissime assatus; nec multum habet fermenti, sed seni talis obstructiones in hepate, liene & renibus facit

E tritici trimestris farina levius alimentum præstat facileque in membra digeritur.

Datur Panis odorandus & ingeritur iis, qui ingenti fame aut alio modo animo linquuntur.

Gravitatem odoris vini emendat in saccos, per quos vinum colatur, additus.

In syncope febri: panem ex vino diluto exhibere convenit, si nec Ventriculus nec jecur phlegmone laboret: & quibus cibi in nidorem transmutari consueverunt, dandus Panis.

Vocis studiosis, & contra destillationes siccus panis (*e*) primo cibo utilissimus est.

Calidus devoratus sitim infert & repentinam plenitudinem.

Vetus & aridus, tum per se, tum quibusdam admixtus, alvi profluvia sistit. Panis nauticus tusus, & iterum coctus, sistit alvum.

Lotus vel aqua madens imbecillimis alimentis annumeratur, paucioris alimenti est; & a noxa obstructionis magis absens; imo, utpote frigidus & humidus datur in febribus continuis, in hectica marasmode, & in capitis dolore ex vino potu.

NOTÆ. Notante *Daniele Ludovico*, Panis calidus, tostus, bis coctus, vino acetove humectatus, diversimode adhibita præbet euporista, multis operosis Emplastris Unguentisque præstantiora.

Cum semine carui coctus, & ex furno recenter extractus, atque dissectus & auri calide, loco fomenti admotus, remedium est euporiston contra surditatem.

D. *TUR-*

(*e*) Panis siccus est, qui citra potum sumitur, & hic veterum jentaculum fuit. Vide *Robinson, on the virtues of a crust of Bread or fasting spittle*. *Dublin*. 1757.

D. *TURPETHUM. Turbith.*

Qualis sit radix, & quid Veterum Turpethum fuerit, nos latet; nonnullis Trifolium esse Græcorum volentibus, aliis Pityusæ radicem, aliis Alypi: quibusdam Turbit Arabum; sed & de hoc magna est inter recentiores controversia, ob quas incertitudines & confusiones consentio *Hoffmanno*, rejici debere ex officinis.

C. *TUSSILAGO* vulg. C. B. *Coltsfoot. Dioscoridi* Bechium, Latinis Tussilago & Farfara.

Est modice acris, composita ex substantia calida & aquosa.

Juxta *Dioscoridem* medentur ignibus sacris & inflammationibus cunctis concisa folia, & ex melle emplastri modo imposita.

Hoc explicat *Galenus* de foliis viridibus, inquiens „ Folia virentia partes, „ cruda phlegmone obsessas, illita extrinsecus adjuvant ob aqueæ humiditatis „ admistionem, sed sicca folia acriora sunt quam ut phlegmonis conveniant.

Folia, in vino nigro austero semicocta, recte Ulceri imponuntur, quum modice siccent, quod in omnibus Ulceribus requiritur (*d*).

Omnia infixa corpori extrahunt.

Sanant eadem sicca, mox incensa, siccas tusses, & orthopnoicos juvant, in quem usum aperto ore excipitur per infundibulum hauriturque fumus. Erumpuntur hoc ipso abscessus, qui in pectore concreverant. Suffitu idem præstat radix.

Decoctum in dulci aqua bibitur in hydromelite ad ejiciendos emortuos in utero fœtus.

NOTÆ. A *Boerhaavio* describitur tanquam saporis amari, calidi, aromatici, & proinde a nostrâ diversa; nobiscum enim foliorum sapor quibusdam describitur fere ut Cinaræ, mihi vero adstringens & subsalsus, qualis erat succus & Decoctum, quod, ut quoque Infusum, fusco-viride fiebat, addito Vitriolo Martis, nec mutabatur a liquoribus acidis aut alcalinis.

Folia parum rubefaciunt Chartam cæruleam. Porro, recentium Odor mitis, subaromaticus, vel ut Enulæ. In foliis vero siccatis sentitur acrimonia levis, & calor mediocris cum levi lentore.

Radi-

(*d*) Vim adstringentem inesse Tussilagini patet, quoniam infusum ejus, admista solutione salis Martis, viridescit.

Radices ac flores fere ejusdem saporis sunt ac folia, & dicuntur Flores olere ut Erigeri; & radicem deprehendi subdulcem cum tantillo caloris.

Extractum Florum subsalsum est & subacre.

In Pertussi prostat Remedium sequens: ℞ foliorum siccorum m. j amplum; coque in Aq. ℔j ad ℔ß: detur puero Cochleare ter vel quater in die: valet & in catarrhis acribus, hæmoptoë & phthisi ac in Urinæ acrimonia, leniens & incrassans.

D. Hillerus, apud *Raium* in *Historia Plantarum*, pueros, atrophia laborantes, plurimos restituit solis foliis, quæ concisa, oleris ritu, & pulte farinacea imbuta, atque in butyro, Salviæ in modum, frixa, comedenda exhibebat. Laudatur quoque in Scrophula succus, ad ℥iij vel iv in die propinatus, vel decoctum herbæ siccæ.

N. *TUTIA* *Tutty*.

A Cadmia Veterum, cum qua authores plurimi confudere, prorsus diversa est. Cadmia enim recrementum erat Cupri solius; verum Tutia nostra colligitur in fornacibus ubi Orichalcum ex cupro & lapide Calaminari conficitur, & quidem lapidi Calaminari originem suam præcipue debet, scil. Mineræ Zinci; proinde Veteribus incognita, qui nec Zinco, nec ullis mineris ejus usi sunt in fornacibus, ubi Cadmiam colligebant. Confer Notas ad *Pompholygem*.

Tutia vera inodora est, insipida, & vix ebullit cum aceto, nec oleo Vitrioli.

Sublimatum est e Mineris, quibus ingreditur Zincum; nam ab hac, ut a Lapide Calaminari & Zinco, Cuprum in Orichalcum transmutatur.

Abstergit & deficcat sine erosione, unde in ulcerationibus & defluxionibus in oculos, pruritu palpebrarum & ophthalmus inveteratis forma collyrii vel unguenti valde prodest, & ad intertrigines infantum & hæmorrhoides cœcas: pulvis subtilissimus insufflatur ad detergenda ulcuscula Corneæ.

Valet quoque pro cicatrizandis Vulneribus.

V.

1. D. *VACCINIA NIGRA.* *Ger* Hibernice *Fraghan.* Vitis Idæa foliis subrotundis non crenatis, fructu nigricante C. B. *Black Whorts or Whortle berries or Bilberries.*
2. *VACCINIA PALUSTRIA.* *Ger.* Vitis Idæa palustris C. B. *Marsh Whortle berries, Moss berries or Moor berries,* nobis *Bogberries.*

Non sunt Vaccinia, Poëtis celebrata; nec ulla Vitis Idæa e nostris Vitis Idææ

Idem *Theophrasti* descriptioni satis apte respondet, ut ostendit *Dodonæus*, & *Joh. Bodæus à Stapel.*

Vaccinia nigra. Fructus immaturi sunt acido-austeri; maturi acido-dulces, grati, inodori.

Residuum destillationis è fructibus acidum est & subadstringens, ejusque decoctum acidum, dulce, subadstringens; & Extractum acido-dulce est itidemque subadstringens.

Succo partes tenues inesse ostendunt notæ pene indelebiles manibus & ori manducantium impressæ: hinc eo utuntur tinctores ad inficienda linteamina & chartas colore cæruleo.

Maturi sitim sedant & ariditatem in febribus juvant, dysenterias a bile curant, vomitum & alvi fluxum sistunt. Largius ingurgitati diarrhœas suscitant, siccati magis adstringunt.

Rob, sive succus inspissatus baccis ipsis longe præferendus, quoniam, si edantur crudæ ventriculum debilem & frigidum offendunt, alvumque perturbant potius, quam adstringunt. Porro Rob, e cujus succi lbſs obtinui ℥v gr. xvij, grate dulcis & acidi saporis est.

Vaccinia palustria Saporis sunt acidi, grati, fluxus alvi vomitumque sistunt, ventriculum roborant, sitim sedant, æstum febrilem compescunt.

C. *VALERIANA.*

1. *Valeriana sylvestris major montana* C. B. Valeriana tertia *Tragi. Mountain Valerian.*

2. *Valeriana hortensis.* Phu folio Olusatri *Dioscoridis* C. B. *Garden Valerian.*

3. *Valeriana sylv. major* C. B. *Great wild Valerian.*

Omnes congeneres sunt, & ejusdem odoris & saporis, sed validissima est prima, quam solam proponit Collegium Londinense utpote præstantissimam, & quam, Epilepsia ab ea liberatus, *Fabius Columna* pluribus adductus argumentis Phu *Dioscoridis* esse statuit; verum, pace viri doctissimi, dixerim radicem Valerianæ hortensis, supra dictæ, convenire descriptioni radicis Phu apud *Dioscoridem* longe melius, quam montanæ supra dictæ.

Qualitates sensiles & vires Radicis Phu sic describuntur apud *Dioscoridem* & *Galenum.*

Odorata est, odore nardum æmulante cum virosa quadam gravitate, & Nardo viribus similis, sed tamen ad pleraque infirmior, nisi quod Urinas, ut Nardus Celtica, valentius moveat quam Nardus Indica vel Syriaca, & inseritur quoque antidotis, v. g. Theriacæ.

Trita potui data calfaciendi Urinasque movendi vim habet. Ejus vero de-

coctum id ipſum præſtare poteſt, & ad lateris dolorem eſt efficax, menſesque ciet, quando bibitur cum vino.

NOTÆ. Montana optima, dein Hortenſis, odoris validioris quam ſylveſtris major.

Odoris ſunt fœtidi, aromatici, ſaporis ſubdulcis, amaricantis, ſubacris, & in optima montana, vel in ſolo aridiore, acris, & forte ſimul ſubadſtringentis, nam in uno experimento infuſum ejus in aqua, addito Vitriolo Martis, virideſcebat, ſed hoc non reſpondebat in altero.

Eſt Felium Amaſia æque ac Marum Syriacum. Acidi vel Alcalini ſalis indicia non niſi prorſus ambigua exhibet, nam ſyropum Violarum viridem reddit, dum Heliotropium rubefacit.

Odorem ſuum impertit tum Aquæ, tum Spiritui Vini rectificato; ſed in Extracto ſpirituoſo major activitas quam in aquoſo latet; infuſi enim aquoſi ſapor amaricans eſt & nauſeoſus, ſed tinctura ſpirituoſa ſapore acri balſamico gaudet.

Tempore peſtis contra aëris intemperiem a plebe uſurpatur pota & maſticata.

Extrinſecus maculas oculorum abſtergere in aqua aut vino decocta & guttatim inſtillata; ulcera quoque inveterata mundificare, dicitur.

Alvum aliquantulum ciet, & majore doſi, v. g. ʒiſs, cathartica eſt.

In curanda viſûs imbecillitate mirabilem habere ſucceſſum dicitur exemplo viri 66 annorum apud *Tabernæmontanum*, qui ʒj ſingulo mane ei exhibuit, & in Cataracta incipiente valere refert.

Epilepſia correptos doſi ſemicochlearis menſura liberare author eſt *Fabius Columna*, vel doſi accuratiori ab aliis ad ʒj ad ʒjſs repetitâ. Valet & in morbis convulſivis infantum aliorumque & in paſſionibus hyſtericis, aſthmate convulſivo & incubo.

In Febre petechiali, monente *D. Short*, liberaliter ſumptus pulvis & infuſum valde profuit in vigiliis, deliriis & ſubſultibus, ubi Opium fefellit vel nocuit, & ſemper madorem levem excitavit: huic conſentit *D. Mead*, ſcil. Valerianam locum habere inter cardiaca in Febre petechiali.

Summatim, vis ei adeſt ſudorifera, diuretica, narcotica, purgans, emmenagoga, anthelmintica.

Apud *Fab. Columnam*, Cochlearis dimidii menſura purgationes moliebatur ſupra & infra; idemque præſtare dicitur cum drachmæ pondere Valerianæ ſylv. majoris C. B.

C. VER-

C. *VERBASCUM.* *Mulein.* Tapfus barbatus. Græcis Philomos.

1 *Verbafcum mas latifolium luteum* C. B.

2. *Verbafcum fœmina flore luteo magno* C. B.

3 *Verbafcum nigrum flore ex luteo purpurafcente* C. B. Verbafcum nigrum falvifolium luteo flore *Lobelii. Sage leaved black Mullein.*

Secundum convenit Verbafco fœminæ *Diofcoridis*, tertium *Ejusdem* Verbafco fylveftri. Vide *Raii Hift. Plantarum* p. 1095.

Radix maris & fœminæ *Diofcoridis* acerba guftu eft & fluxionis affectibus prodeft: hinc alvi profluvio laborantibus ludicri tali magnitudine utiliter ex vino propinatur, vel & pota ex aqua. Decoquitur quoque in vino ad colluendum os in dentium dolore.

Decoctum quoque maris & fœminæ *Diofcoridis* ruptis, convulfis, contufis & antiquæ tuffi auxiliatur.

Radicis medulla collyrii tenuitate inditur ad fiftulam medendam.

Omnium Folia deficcandi & modice detergendi ac difcutiendi vim habent. Cocta in aqua œdematis & oculorum inflammationibus imponuntur, itemque fyderatis ulceribus ex melle aut vino.

Sylveftris folia igni ambuftis illinuntur.

NOTÆ. Folia recentia uno experimento inodora videbantur & infipida, fed ulteriore examine ficcorum, & fucci expreffi, fapor fubfalfus & fubadftringens fe prodebat. Mecum equidem decoctum ejus non mutabatur a Vitriolo Martis, fed infufum apud *Affonum* fubviride nigrum fiebat: porro & fapor amaricans a quibusdam huic tribuitur, & vifcofitas levis, fambucumque redolere dicitur.

Ambigua eft falis ejus affinitas ad Acidum vel Alcali, ut fupra notatum de Valeriana; nam, etfi Chartam cœruleam fatis rubefecit, fuccus tamen coagulabatur non tantum a liquoribus alcalinis, fed ab Oleo fulphuris per campanam. Lac in quo coctum fuit itidem coagulabatur.

Hoffmannus credit, hanc plantam aliquid narcotici habere, hinc haud abfona eft obfervatio nupera *Linnæi*, fcil. ab ea temulentos reddi & occidi pifces, ut manu capiantur, unde ratione ufus interni medicos cautiores fore vult.

Ab his experimentis & effectibus fequentibus, experientia comprobatis, recte ftatuiffe videtur *Junkerus* hanc plantam, e tenui mucilagine ac fulphureis & nonnulil oleofis partibus intextam, ad effectum lenientem, paregoricum, emollientem & aliquantum refolventem inclinare.

Vulneraria est & adstringens, applicata vulneribus recentibus, oleo Olivarum admista, forma Unguenti; & in contusione tendinum ac nervorum laudatur succus foliorum contritorum applicatus. Est quoque detergens in tinea, linteis succo imbutis applicatis, raso prius capite.

In aqua cocta & tumoribus ac inflammationibus oculorum admota Folia tollunt dolorem.

Folia & Flores usu externo præcipuæ æstimationis sunt in sopiendis doloribus. In aqua decocta Oculorum, Ani & Genitalium inflammationibus, tumoribus, abscessibus, & podagræ etiam calidissimæ, infestionibus, si calida cum linteolis imponantur, apprime conducunt: idem præstat Oleum, florum infusione vase clauso paratum, quod utilissimum & insigne anodynum.

Flores in ampullam orificii angusti, obturatam, defossam in fimum equinum & ita per mensem relictam, vel soli expositam, diffluunt & in Liquorem abeunt. Hic Liquor podagricos & hæmorrhoidum dolores juvat, quin & ab *Hartmanno* & *Grembs* ut specificum laudatur in Tympanitide, ubi spirituum motus elasticus membranas abdominis plurimum inflat, quia nimirum tensionem convulsivam præ aliis remittere facit.

Porro, flores hi Narcosin foliorum & florum Hyoscyami exaltant, unde ambo hæc siccata, sacculo indita, in phrenesi & mania valent, si pulvinari vel capiti dormituri supponantur.

In lacte cocta folia dysenteriam pervicacem curaverunt.

Agricolæ Comitatûs Cantiani folia dant pecoribus in tussi, unde nomine *Cows Lungwort* insignitum fuit.

Flores odoris sunt aliquantum fragrantis, saporis quasi mellei, mucilaginosi; amaricantes, subadstringentes, anodyni: tincturam dant Spiritui Vini rectificato admodum gratam: Chartam cæruleam magis rubefaciunt quam Folia.

Dantur in Clysmatibus anodynis, ob succum mucilaginosum in tenesmo dysenterico & doloribus hæmorrhoidalibus; & apud Italos dantur in tabe.

Radix primæ speciei, supra recensitæ & apud nos frequentissimæ, non est acerba, ut *Dioscoridis*, sed tantummodo amaricans, & subadstringens, nec nisi levem adstrictionem prodit, addito Vitriolo Martis ejus infuso.

C. *VERBENA* communis flore cæruleo C. B. Herba sacra *Dioscoridis* *Common Vervain*.

Verbenaca Veterum quænam herba fuerit non patet; sed Verbena supra dicta prorsus convenit Herbæ Sacræ *Dioscoridis*, nisi colore cæruleo floris, quum *Dioscoridis* flores purpurei sint; sed & id notatur a *J. Bauhino* fuisse pallide

pallide purpurascens: proinde vires Herbæ Sacræ, a Veteribus tributas, hic recitare operæ pretium duxi, scil.

Oedemata diuturna inflammationesque imposita mitigat, sordidaque ulcera purgat.

In vino decocta tonsillarum crustas abrumpit; & oris nomas gargarizatu cohibet.

Cum axungia vetere contusa, & in panno laneo inducta, præcipitur imponenda spleneticis ad dolorem sedandum.

Foliorum cum radice ʒj pondere, ex vini veteris & calidi hemina una, quaternis diebus jejuno ventriculo bibitur contra morbum regium.

Datur & potandum tertiana laborantibus tertium a terra geniculum, una cum foliis circundantibus, uti & quartana quartum. Vide superstitionem similem de *Pentaphyllo*.

NOTÆ. Folia saporis sunt amaricantis, subadstringentis, subacris, in altero experimento valde amara & subacria in gutture, succus intense amarus; infusum, valde amarum & subadstringens, coloris fusci fiebat, addito Vitriolo Martis; & apud *Alstonum* primo viride, dein nigrum.

Succus haud magis affinis sali acido quam Alcalino, quippe coagulabatur a liquoribus alcalinis, & spissior factus est ab Oleo sulphuris per campanam & spiritu Vitrioli.

Amarori & acrimoniæ in guttore respondet Observatio, a *D. Lemery* probata, succum recentem ab ℥iij ad ℥vj catharticum esse.

Usu externo in vulneribus adstringendis & Ulceribus putridis abstergendis valet, & in gargarismis, ore decocto ejus colluto, & in faucium ulceribus, & dentes vacillantes firmat.

Chomel vires ejus in curandis febribus intermittentibus confirmat experimentis rusticorum, scil. dosi ℥ß Extracti vel ℥iv succi foliorum.

D. *VERONICA* mas supina & vulgatissima C. B. *Male Speedwell or Fluellin.*

Veronica apud recentiores herba est celebratissima, Græcis & Latinis scriptoribus forte incognita, quamvis *Dodonæus* vult esse Betonicam *Pauli* lib. 7. *Cæsalpinus* vero ad Myosotidem *Dioscoridis*, *Columna* ad Alysson *Dioscoridis* refert.

NOTÆ. Odoris est debilis, non ingrati, saporis amaricantis & subadstringentis, Extractum quoque saporis erat adstringentis, amaricantis, sed spiritu

spiritu Vini paratum fortius quam aquosum, & utrumque subacre: amarities magis in parte resinosa hæret. Masticata pisum vel fabam redolebat.

Ejus infusum fusco-viride fiebat, addito Vitriolo Martis, & apud *Alstonum* nigrum. Chartam cæruleam satis rubefecit.

Usu externo est inter præcipua Vulneraria quatenus abstergens & adstringens; ulcera cacoëthia mundificat & ad sanitatem perducit. Ipse vidi vim ejus mundificantem, forma cataplasmatis admotæ, in ulcere cancroso inveterato, ubi loco ichoris pus laudabile exhibuit.

Profuit quoque in psora, lichenibus, papulis, & in ulceribus serpentibus crurum, purgans & sanans, ac ad delendas maculas cutis, & in gargarismis cum melle rosaceo in aphthis & faucium Ulceribus.

Usu interno asthmaticos juvat, pituitam viscidam attenuans & expectorationem promovens, necnon pulmonum vulnerationi vel exulcerationi conducit instar Theæ pota. Porro & Pastores pecoribus tussientibus herbam, in pulverem redactum, cum sale exhibent: & in renum malis, usque a sero acri corrosivo exesis vel a calculo exulceratis, valet, in quo casu *Crato* omnibus aliis remediis præfert, & in colica sub forma potûs, vel Clysteribus incoctam.

Apud nos aliquando usurpata fuit potu instar Theæ, tanquam prophylactica contra podagram.

Summatim, herba est valde temperata, aperiente & roborante virtute instructa.

C. *VINCA PERVINCA.* *Periwinkle.* Clematis daphnoides minor C. B. Chamædapne *Plinio.* Clematis prima *Dioscoridis, Matthioli.*

Dolores dentium commanducata mitigat.

Imposita venenatorum morsibus juvamentum præstat. Auribus succo medetur.

Caules foliaque, in vino pota, alvi profluvia & dysenterias sedant. Arida tusa hydropicis dantur in aqua cochlearis mensura, authore *Plinio*, celerrimeque reddunt urinam.

NOTÆ. Folia amara sunt & subadstringentia, substantia & infuso, quod in uno experimento cum Vitriolo Martis viridescebat, in altero coloris fusci fiebat.

Authore *Trago*, si quis habuerit vinum turbidum, quodque colorem amisit, accipiat tantum hujus herbæ, quantum pro quantitate vini sufficiat, vasique imponat, ac illud deinde obturet, obturatumque quindecim dies relinquat; hoc facto, vinum purissimum & clarissimum reddetur & genui-

genuinum suum colorem recuperabit, præsertim si prius in aliud vas transferatur

Decoctum forte valet in gargarismo in angina spuria. Contusa & Naso indita hæmorrhagias sistit. Lacti & Oleo Rosarum admista, in pesso mulieribus subdita, cruciatibus vulvæ medetur fluxumque sistit.

A Chirurgis præsertim eligitur cum ichoroso sanguine sordida ulcera & vulnera manant; & Medici in alvi profluvio ac dysenteria expetunt.

In hæmoptoe & aliis hæmorrhagiis valet.

C. *VINUM. Wine.*

Differunt Vina ratione odoris, saporis, coloris, consistentiæ & ætatis.

Polyphorum, seu Vinum vinosum dicebatur quod multum aquæ, ut diluatur, admittit; *Oligophorum*, aquosum, quod minus.

Differunt quoque ratione regionis, & præparandi ac condiendi moris. In frigidis regionibus, ne Uvæ quidem ipsæ maturescant, nec passarum quæpiam, quapropter Resinam vinis immittunt ne celeriter acescant.

Apud nos in Asia, inquit *Galenus*, in tecta ædium æstate omne Vinum, prope in lagenas transfusum, imponunt; postea in edita cubicula, sub quibus multa flamma luceat, transportant: in summâ autem ad meridiem solemque cellas obvertunt, in quibus & citius ea maturescunt & potui idonea evadunt: nam quod multo tempore alius, hoc iis, quæ sic excalfacta sunt, brevissimo tempore advenit. Similem præstat effectum jactatio maris

Ceram accipientibus Vasis compertum est Vina acescere

Africa gypso mitigat asperitatem vini, necnon calce. Græcia argilla, marmore, aut sale vel mari lenitatem excitat, & resina condire musta vulgare est Italiæ finitimisque provinciis.

Ad vinum acidum confestim emendandum præcipit *Nicolaus Myrepsus* Gallam contusam in vinum conjiciendam; & ad corrigendum quod acescere incipit sic: „ Ollam novam aqua impleto, & in illud vinum conjicito: dein „ operito & permitte, ut parum respiret, ac post tres dies invenies vinum „ minime acidum, sed vas ipsum acetum redolens: fac hoc multoties, quoad „ perfecte corrigatur.

Hippocrates de Fracturis monet, tumores juxta poplitem aut pedem sub constringentibus vinculis assurgentes, multa lana succida bene carpta vino & oleo respersa curari: Oleum namque dolorem levat & discutiendi vim habet; vinum siccare potest, repellere, concoquere, item mollire & digerere.

In inflammationibus ex fluxione spongia vel lana munda, vino acerbo intincta, super alia exterius apponitur.

Vinum nigrum & austerum expetunt recentia Vulnera, & ad conglutinandum in sinu adhibetur inter dulce & adstringens.

In Ulceribus, ubi humidior quam pro naturali habitu, caro fuerit, aqua nullatenus admovenda; sed si lavandum Ulcus videtur, Vinum, aut posca aut decoctum austerae cujusdam herbae procurandum.

Ad vetera & vix ad cicatricem venientia Ulcera, super ceratum & panniculos, finitim concerptos, lanam succidam vino oleoque madentem, leniter alligare oportet.

Ulcera nervorum vino dulci, omni mordente qualitate carente, madefacere citra periculum licebit.

Cardiacis, seu stomachica exolutione laborantibus, in mamma laeva Vinum in spongia imponitur.

Usu interno, omne merum ac sincerum & sua natura austerum excalfacit, vires alit ac robur auget, sanguinem creat & nutrit; animum hilariorem & audaciorem efficit, appetentiam ciborum invitat, commendat coctionem, somnum conciliat; stomachum adjuvat, facit ad hujus resolutionem, & longas inflationes tensionesque praecordiorum ac distensiones, & ventris aut intestinorum rheumatismum.

E diverso, omnium Vinorum assiduo immodicoque usu commune est, quod nervos tentet & mentem, nervos obsessos remittens, largiorque potus acutorum morborum affert initia.

Mediocris tamen Vinolentia aliquot diebus, maxime post aquae potus, utilis, namque morbo quodam ex alto evocat, sensibusque expurgat excretus, & per caeca corporis ducit spiracula, sed aquam post vinolentiam bibere oportet.

En effectus Ebrietatis apud *Oribasium* depictos: „ sopor gravis, faciei
„ pallor, siccitas corporis per plurima membra, sudor frigidus capitis, cor-
„ poris impotentia & frigus, animi demissio, stomachus ad cibum supinus,
„ sitis potando non sedata, aestus in hypochondriis, & voluntas eructandi
„ dum nulli ructus fiant, vel si fiant, nihil levabunt: Vesica saepe urinam
„ retinens, atque etiam paulatim eam reddens. Ebriorum quoque pulsus densus
„ erit necessario. Postea autem verisimile est, eos attonitos reddi, & articulos
„ vitiari, ac jecori, spleni, capitique proprios cujusque morbos afferri ".

Caeteroquin Vinum convenientissimum est citra inflammationem, aut erysipelas, aut abscessum, aut calidam intemperaturam aegrotantibus, nam & nutrit, humores crudos concoquit, roborat, & putrefactioni resistit; ac si intemperies ex humiditate & frigiditate facta sit, eam citra omnem molestiam ac secure persanat.

In Marcore frigido magnopere juvat, sed in torrida, seu cum febre, fugiendum.

Con-

Convenit sudatoribus, & quibus immodico sudore corpus digeritur, maxime vetus, album & odoratum, ac privatim in syncope a sudoris multitudine, sed tunc vinum frigidum exhibendum. In syncope sine phlegmone panis exhibetur non multus, & ex vino aliquo quod celerem in corpus distributionem adjuvet.

Porro, in syncope, quæ in febribus accidit, Viniorum eorum, quæ sensim extenuare & calefacere possint, usus est, scil. tenuis, nec nimium recentis, nec veteris, subfulvi & albi, quodque facile in corpus distribuatur, ad vires collapsas, & in periculo interitûs constitutas, recreandas.

Immo, si Phrenitici in syncopem incidunt, tunc cura delirii posthabetur, sed unicum subsidium vinum est, celeriter enim substantiam alendo instaurat, & quoquoversum ad extremitates usque permeat, spiritum torpentem expergefacit, frigiditatem calore temperat, laxantem madorem adstringit, extrorsum [illegible] ac dilluentia coërcet, vires fulcit, & ad animum demulcendum optimum est.

Porro, omnibus, qui ex diaria Febre laborant, Vinum dandum est aquosum, [illegible], quod & concoctionem adjuvat, & urinas ac sudores propellit, v. g. iis, qui ephemera ex mœstitia, curis aut vigiliis febricitant, nisi capitis dolore premantur, aut pulsum venarum in temporibus sentiant. Iratis autem, priusquam ab affectu omnino liberati fuerint, minime est tutum vinum dare.

Quin & Vini potione Oculorum dolores gravissimos sanavit *Galenus*, nempe ubi adesset sanguinis copia crassioris in venis, unde plenæ valerentur, & oculorum essent sanguinolenta sine plethorica totius corporis dispositione, hic tum Vini potio diffundere sanguinem atque dimovere potest, suaque motus vehementia obstructiones aperire.

Adde, ad Bilis excrementa mitiganda & expellenda per sudores urinasque, Vinum non inutile, & ad eam siccitatem, quæ in solidis partibus ex immodicis laboribus, aut ex proprio ætatis temperamento provenit, idoneum est: necnon iis, quibus syncope incidit ex flava bile, os ventriculi infestante: pueri vero, ceu qui talem succum minime colligunt, quique naturalem humiditatem plurimam obtinent, ut commodorum, quæ vini potio, plane non indigentes sunt, ita incommoda, quæ affert, tamen sentiunt.

Nonnullis ex aquæ potu dolor capitis exoritur, quum præsertim aqua vitiosa fuerit, ut ipsa corrupta robur ventriculi solvat, quo imbecillo ichores biliosi ex corpore in ipsius cava confluere solent, quemadmodum etiam jejunantibus usu venit, a quorum vitiis & noxis vinum oligophorum hominem liberat, & statim quidem ratione contemperationis, paulo post vero ventriculi robur addens, qui res noxias a se deorsum propellit.

Vinum, ut pueris abstinendum (immo ne gustare vinum debent pueri ante

18^mum. annum.) ita ſenibus aptiſſimum, quibus unum illud maxime commodum ex vino accedit, quod omnia eorum membra calfacit, & per urinas ſerum ſanguinis expurgat. proinde optima ſenibus ſunt, quæ calidioris naturæ, & vetera, ſubſtantia tenuia, & fulva ſunt aut flava, novella enim nec deductionem nutrimenti in corpus adjuvant, nec urinas promovent, ſed diu in ventre fluctuantia permanent.

In Convaleſcentibus quoque & ad attenuatos ex morbis habitiores faciendos, potus opportunus eſt Vinum, ætatem habens mediocrem, ſubflavum vel album, ſuaviter olens, guſtuque, neque aqueum omnino, nec quod cum inſigni aliqua qualitate ſentiatur.

Vinum multum meracumque omnibus Veneris contrarium eſt.

Vetus valde calefacit, & eligendum in frigidis & ſiccis, vetuſtiſſimum tere, valde vetuſtum amarum, & quo generoſius vinum, hoc magis vetuſtate craſſeſcit, & in amaritudinem, corpori minime utilem, coit.

Vetere Nervi læduntur, & reliqui ſenſus, quare cavendum iis, qui internæ alicujus partis imbecillitatem ſentiunt. attamen in ſecunda valetudine paucum, aqua dilutum, innoxie ſumitur.

Vetus, vinoſum, temperatum eos, qui jam refrigerati ſunt, eoſque, qui in morbis aut ex ſtomachi aut cordis affectu ſyncopam patiuntur, perſanat.

In prægnantium Nauſea conveniunt Vina fulva, odorata, quinquennia, & potus moderatus.

Vina nova non calefaciunt, generant pituitam, nervos minus tentant, inflant, ægre coquuntur, inſomnia pariunt gravia, alvum non ſubeunt, nec facile diſtribuuntur, urinas non movent, nec ſanguificationi aut nutritioni conferunt: in ventre diutius moram trahunt ſuſpenſa, ſique de his paulum qui biberit, prompte id aceſcit.

Odorata ſunt aliis calidiora, & caput tentant, juvant tamen affectus longos thoracis & pulmonis ſine febre.

Odora fulvaque caput gravant, proinde capiti infirmo noxia.

Vina alba & tenuia omnium minime nutriunt, nec ex iis prodit flatus.

Dilutum album & modice adſtringens in affectibus ex ore ventriculi concoctionem procurat, ventriculum roborat & caput non tentat.

Fulva tenuia ad ſyncopas præcipue deligenda.

Vina aquoſa cæteris omnibus innocentius febrientibus exhibentur, & ſuper omnia movent urinas; ac, ſi guſtatu nullam afferunt qualitatem inſignem, accommodantur ad educendum è pulmone, quum vires roboret ſuccoſque humectet & mediocriter incidat.

Tollunt capitis dolorem, qui fit ab humoribus in ventriculo collectis: & aliquando ſucci crudi copia ſua vires propter multitudinem & craſſitudinem pre-

premunt & syncope opportunos reddunt: hujusmodi ægrotantes resolvuntur, nisi frequentius nutriantur. His exhibere oportet, quæ ex genere extenuantium calefacientiumque sunt, & aquosum vinum idoneum statim ab initio est: si tamen non vehementer febricitent ejusmodi succis laborantes, quotidie accessiones exercent, præcipueque ad vesperam & noctu.

Vina crassa, scil. crassa rubra, crassa fusca & crassa nigra, maxime nutriunt, præsertim in ventriculo robusto.

A Vinis crassis non læditur pulmo. Vina crassa dulcia melli conveniunt in multis, & juvant affectus thoracis & pulmonis, si cum tenuantibus medicamentis adhibeantur & alvum dejiciunt.

Crassa nigra sanguinem melancholicum gignunt, lienem lædunt, aquam intercutem & calculum inducunt senibus, quibus, ut & in corpulentiâ curandâ, crassa, dulcia & nigra vitanda, sed danda aquosa, tenuia, vel quibus aqua marina est admista.

Dulcia Vina crassis constant partibus & difficilius de corpore expirant, stomachum inflant, alvum & intestina, ut mustum, turbant: calefaciunt mediocriter, minus inebriant: renibus ac vesicæ aptissima. In tussi asperitudines lævigant, sputum educunt magis quam vinosum album; ventrem molliunt, cum quibusvis aliis per intestina transeuntia, sed minus urinam cientia, quam vinosum album, & eo nomine dulce vinosum, h. e. dulce meracum senibus minus accommodum est; dulce pallidum tamen iis concedendum.

Dulcia bibenda sunt his, qui debent nutriri, si jecur, lien & renes vitio careant. Tetrachola nullo pacto sunt idonea, nempe iis bilem faciunt, superiusque intestinum inflant, diu quidem circa hypochondria morante.

Dulcia vina vomitui aptiora, magis enim innatant, sed & potu tepidiore utendum est.

Vinum suavum dulce non concedendum biliosis, perustis, neque in labore multo, inedia, aut mœrore; nec anni tempore, regionibus vel cælo calidis; facile enim hi, si tale biberint, caput dolent & febricitant, ac nervis aliquo pacto tentantur. E diverso iis probatur, qui excalfactione opus habent, ac pituitosa frigidaque temperatura, vitam ducentibus otiosam, in regione frigida, hyemis tempore, cæli statu frigido & humido.

Vinum austerum generosum est & senilem austeritatem deponit, ventriculum roborat, caputque inter omnia vina minime tentat: cæterum digestionem in corpus non promovet, quo magis fugiendum in syncope prehensis non secus quam aqua

Hypocistis & Balaustium ex vino austero opitulatur internis Ulceribus, & ubi nulla suspicio phlegmones adest dari vinum nihil vetat.

FÆX VINI. *Dregs or Lees of Wine.*

Eligenda est ex Vino vetere. Vis ejus est abunde siccans & discutiens: adstringendi vero vis juxta Vini, ex quo est, speciem accedit. Oedemata per se & cum Myrto cohibet.

Ventris stomachique fluxiones illita sistit: muliebre profluvium imo ventri aut genitalibus imposita mitigat.

Panos discutit nondum exulceratos, & tubercula: Contra mammas rigentes a copia Lactis ex aceto inungitur.

Sicca vel madida contra phalangia & testium mammarumque inflammationes vel in quacunque parte corporis adhibetur (*d*).

Crematæ vis urens est & abstergens.

Elota oculorum medicamentis ut spodium additur, albugines & cicatrices eorum abstergens (*e*).

NOTÆ. Vinum continet spiritum inflammabilem & Phlegma ac Tartarum e sale acido, oleo & terra constans, quod, evaporato Vino, restat in fundo vasis in forma lixivii. De Acido Vini accuratius hic G. *Lewis*: „ Omnia Vina, post spiritum inflammabilem dant Acidum gratum, singularem, „ ab acido aceti & vegetabilium nativo diversum, manente Acido crassiore „ in alembico cum materie mucilaginosa & unctuosa ".

Vina rubra fiunt, si Mustum fermentet una cum parte vinaceorum, hinc hæc magis tartarea quam alba, diutiusque in corpore subsistunt, & plerumque sunt adstringentia, alba vero magis diuretica; & ex Vinis dulcibus plus Olei, ex aliis rite fermentatis plus spiritûs acquiritur.

Dulcia, quum viscosa sint, minus celeriter transeunt, & tardius inebriant; ebrietas vero ab his plus tædii affert, magis diuturna, & somnus inde longior.

Externe Vinum discutiente & roborante vi pollet, unde frequenter calidum ad sugillationes multaque fomenta discutientia usurpatur, & ad ambusta; in enemate colicam ventosam curare, forte efficiendo speciem ebrietatis, author est *Lieutaud.* Vapor spiritus languentes & torpentes excitat.

Vinum Claretum in experimento fermentationem carnis & vegetabilium sistebat.

Vinum

(*d*) Vini albi, *Mountain Wine* dicti, ℔j exhalatione præbuit Extracti acidi & subadstringentis ʒvij gr. xxvi.

Vini Clareti ℔j Extracti acidi & magis adstringentis ʒiij ℈ij gr. v.

Vini Canarii optimi ℥xvj longe majorem quantitatem Extracti mucilaginosi, scil. ℥j ʒvj ℈ij.

(*e*) Calcinatis vini fæcibus siccis vel crassamento, post spiritum ardentem à vini fæcibus restantes, [illegible] candidissimum & urinosissimum sal Tartari superstes. *D. Ludovicus.*

Vinum in febribus malignis est optimum Cardiacum, & in peste prophylacticum.

In Experimentis *D. Macbride* Caro putrida dulcis evasit eam infundendo Vino Clareto 30 horas, Ulyssipponensi 12 horas, Pomareo 8 horas, Cerevisia Dublinensi nullatenus.

C. *VIOLA* Martia purpurea flore simplici odorato. C. B. *Purple Violets.* Viola purpurea *Dioscoridi.* Viola nigra *Theophrasto.*

Absolute ἴον de Viola Martia eaque sola usurpabatur. Latini vero τὰ ἴα & τὰ λευκόϊα, caeteraque species, eodem nomine comprehendunt, & omnes Violas appellant.

Flos perquam suaviter olet, refrigerandi naturam habet, & ajunt potum in aqua angina laborantibus & pueris comitialibus opitulari, crapulamque & capitis gravedines, impositus coronis, olfactuque discutere.

Folia aqueam & subfrigidam substantiam supereminentem possident, & per se, ac cum polenta, imposita stomacho ardenti, oculorum inflammationibus procidentique sedi auxiliantur. Haec apud Veteres: verum notandum, Violas & Rosas a *Dioscoride* & Veteribus non propinatas fuisse alvi ciendae causa, sed potius Arabibus; proinde *Mesue* audiendus, apud quem haec de Violis:

„ In humidis superflua est humiditas, supergrediens caliditatem ejus, in „ siccis vero manifestatur amaritudo & caliditas ab humiditate sepulta.

„ Sunt ex debiliter solventibus. Educunt choleram & alterant excessum „ ejus: sedant sitim.

„ Conferunt inflammationibus omnibus, & febribus inflammatoriis: leniunt „ pectus & guttur: conferunt uvae ac Cynanchiae, earumque juvamentum est „ magnum apostematibus partium pectoris & pleuritidi: conferunt propriae sic„ cae oppilationi hepatis, hepati calido & ictericiae: sedant sodam (capitis „ dolorem,) calidam, & somniferae sunt".

NOTAE. Flores recentes, praeter odorem fragrantem, saporis subdulcis sunt cum acrimonia in gutture; sicci quoque obscure dulces & subacres, & refert *Peterus* quod siccorum etiam pulvis, ad ℥j exhibitus, egregie laxet & purget, proinde recte statuisse videtur *Junkerus*, quod quum principia teneant leviter acida salina, mucilagine quadam temperata, virtutem inde capessiverunt abstergentem, lenientem & expectorantem.

Cum Aqua tincturam exhibent grate purpuream, cum Spiritu Vini flavam instar Corticis Aurantii.

Syrupus cum liquoribus acidis ruber fit, cum alcalinis viridis.

In

In tussi & catarrhis acribus valent, & vis anodyna, à *Mesue* his tributa, confirmatur a recentibus. *Baglivius* laudat tanquam specificum ad morbos convulsivos. Infuso Theiformi sumi possunt.

Folia videntur earundem esse virium ac Flores, nisi quatenus illæ ab odore pendeant. Folia enim recentia & sicca, & succus eorum valde mucilaginosus est cum acrimoniâ in gutture per ½ horæ & aliquando horam vel ultra durante.

Succus viridis fit magis vividæ viriditatis, addito Aceto destillato, sed coloris fusci, additis liquoribus alcalinis.

Folia non rubefaciunt Chartam cæruleam, & tantummodo leviter Heliotropium.

Usurpantur in clysmatibus emollientibus & leniter subducentibus, ac in olere sumpta leniunt alvum.

D. *VIPERA* Offic. *The Adder.*

Viperæ nomen nonnullis generale audit, omnique serpentum generi imponitur; in specie tamen in officinis pro eo, quod Italis *Maraßi* nomine venit, licet adhuc controvertatur, utrum Viperæ Italicæ cum Viperis, a majoribus ad Theriacam expetitis, eædem sint: proinde vires, ab antiquis Viperæ suæ adscriptas, hic recitare nolui, & eo minus quoniam vires contra Lepram, ab ipsis Viperæ suæ tributæ, controvertantur quoque de nostra.

NOTÆ. Exenteratam & decorticatam carnem loco cibi assumere licet, & licet plures authores inde sitim excitari allegent, hoc negat *Redi* adductus pluribus experimentis in contrariam partem.

Dicitur vivere per sex menses sine cibo, adeoque quodammodo similis esse plantis sempervirentibus: An ob tenacitatem humorum & densitatem cutis?

Alstonus pronunciat carnem ejus valde nutrientem esse, ejusque vires præcipuas pendere vult a qualitate nutriente, sudoriferas autem & alexipharmacas ei tributas haud credibiles esse, verum potius, quum harum Caro æque vel forte magis ad putredinem tendat quam plures aliæ substantiæ animales, in laxitate fibrarum & scorbuto a prædominante aciditate & atrophia præcipue valere, ac longe præstantiorem esse gelatinâ Cornu Cervi vel pedum vitulinorum.

Phthisici & lue venerea laborantes, authore *Cardano*, juvantur carnem coctam edendo, jus bibendo & preterea pinguedinem spinæ & juncturis illinendo.

D. *VIRGA AUREA.*

1. *Angustifolia minus serrata* C. B. *Golden Rod.*

2. *Virga aurea angustifolia serrata* C. B. Solidago Saracenica *Tragi*, *Fuchsii*, *Dodonaei* & *Lobelii*. *Saracen's Confound.* Novum genus plantae, ab *Arnoldo Villanovano* celebratae circum illa tempora, quibus Christiani bellum sanctum dictum gerebant contra Saracenos, a quibus reduces afferebant.

3. *Virga aurea vulg humilior Raii, Synops.*

Qualitates sensiles harum conveniunt, nec ullum discrimen essentiale reperitur.

Odor, praesertim Foliorum, Florum & Radicum a frictione balsamicus est, non ingratus, sapor subadstringens & amaricans: masticanti sensum acrimoniae imprimunt gutturi; & decoctum foliorum ac florum in uno experimento mutabatur a colore citrino ad fuscum, addito Vitriolo Martis, in altero viridescebat, & in tertio experimento infusum foliorum & summitatum primo viride, dein nigrum fiebat. Infusum foliorum & summitatum cum syrupo Violarum viridescebat, cum solutione Heliotropii rubescebat.

His experimentis non incongrua est vis moderate adstrictoria, abstergens & diuretica, huic plantae tributa.

Pulvis foliorum aut florum, in nares attractus, vel integra herba intrusa sternutationes potenter excitat.

Collaudatur unanimi authorum consensu tanquam optimum traumaticum usu externo & interno in pravis vulneribus & ulceribus, speciatim in ulceribus pulmonis, & ulceroso renum statu, calculum plerumque comitante, utilis reperta fuit instar Theae usurpata, vi diuretica insigni educit arenulas & mucum renum ad ℥.j pulveris sumpta in vino albo calido, non tamen danda in paroxysmo nephritico. valet & in ulcerationibus oris; firmat dentes, necnon in hydrope quatenus diuretica prodest.

Vis ejus tonica & resolvens patuit in exemplo Mictus cruenti curati in *Actis Germanicis*

C. *VISCUM* baccis albis C. B. *Misseltoe & Birdlime.*

De ligno & foliis altum silentium est apud Veteres, sed *Viscum Aucuparium*, *Birdlime* nobis dictum, pro medicamento usu externo celebrarunt.

Multis arboribus innascitur Viscus; Quercinum praeferunt Veteres: nobis Viscum aucuparium in usu é cortice Agrifolii fit.

Veteribus fiebat ex acinis Visci, qui colligebantur messium tempore immaturi; nam si accessêre imbres, amplitudine quidem augentur, Visco vero marcescunt. Siccantur deinde & aridi tunduntur, ac condita in aqua putre-

 scunt

ſcunt duodenis fere diebus. Inde in aqua profluente rurſus malleo tuſi, amiſſis corticibus, interiore carne lenteſcunt. Hoc eſt Viſcum pennis avium tactu ligandis, oleo ſubactum cum libeat inſidias moliri.

Sunt & qui commanducando Viſcum ex acinis conficiunt.

Glutinoſiſſimum eſt, & ſi extendatur, non rumpitur, ſed in ſpecie membranæ extenditur.

Inter calefacientia reponitur, acrimoniam habens, ut mel & reſina, viſcoſo conjunctam, & plus acrimoniæ quam amaritudinis. Hinc valenter ex alto humores extrahit, nec eos tantum tenues, ſed & craſſiores, eosque diffundit ac digerit. Eſt autem ex eorum genere, quæ non protinus admota excalfaciant, ſed quæ tempus requirunt.

Emollit, diſcutit, ſtrumas ſiccat, parotidas, tubercula cæteraque collectiones ad maturitatem perducit cum reſina & pari ceræ mixtum. Epinyctidas in ſpleno ſanat: Vetera ulcera abſceſſusque, quos cacoëthes vocant, ex thure molit.

Inter Venena locatur potum, & dicitur, quod tale, lacte aſinino reſtinguitur: porro folliculi Caſtorei ex aceto, necnon Raphanus & Ruta [illegible] contra Viſcum.

NOTÆ. Vires hujus plantæ a quibusdam decantatiſſimæ, ab aliis negantur, quare operæ pretium duxi qualitates ſenſiles ſigillatim perpendere.

Folia ſenſum acrimoniæ vel caloris imprimunt in gutture per horam & ultra durantem, unde ipſe, ſuſpicans forte vim catharticam in his latere, ſumpſi ʒiv foliorum pulveriſatorum, ſed nulla ſequuta eſt purgatio.

In Experimentis *Alſtoni* infuſum foliorum trium dierum nihil acrimoniæ prodebat, ſyrupum Violarum tantummodo diluebat, tincturam Heliotropii rubeſcere fecit, & quum vim adſtringentem his foliis tribuunt quidam, Vitriolum Martis, huic infuſo additum, nil nigroris nec viriditatis exhibuit.

Cortex tamen virgultorum cum Ligno adſtrictionis plane non expers videtur; Odor enim horum ſiccorum haud abſimilis erat Alutæ depſitæ, ſed ſapor amaricans & ſubadſtringens, decoctum quoque ſubadſtringens erat una cum ſenſu acrimoniæ in gutture, & infuſum corticis cum ligno aliquot dierum, addito Vitriolo Martis, atro-viride fiebat, unde haud temere vis aliqua adſtrictoria Cortici & ligno tribuitur, cui *Junkerus* aliquam virtutem, ſpaſmis mitigandis idoneam, adſcribunt, & refert *Rajus*, pulverem vino infuſum & duabus ante paroxyſmum horis adhibitum, doſi ſubinde repetita, quartanam non raro fugaſſe & perfecte curaſſe; quin & pulverem, ad ℈j ex ovo ſorbili bis vel ter repetitum, Uteri fluxum nimium compeſcere, author eſt *Etmullerus*.

Quidam

Quidam non inutiliter Lignum, in vino maceratum, in Vertigine sumpserunt: decoctum Ligni, præsertim Visci quercini, laudatur in *Actis Acad. Cæsareæ* in Colica spasmodico-flatulenta, qua nervos roborans.

Porro Pulvis Ligni dicitur menses movere; cui convenit observatio, quod frondes, commanducatæ & depastæ a jumentis & vaccis, ad secundas remorantes ejiciendas utiles sint.

Baccæ dulces sunt & mucilaginosæ, acrimoniæ non expertes. Iis vescuntur Turdi aliæque aves, nobis tamen intro sumptas glutinositate sua ventriculo & intestinis pertinacius adhærere, & acrimoniâ hypercatharses excitare viscerumque inflammationes, & proinde inter Venena locandas esse, vult *De Kinder.*

Viscum ex iis paratum, non dissolvitur aqua nec Spiritu Vini: potenter attrahit & tumores duros ad maturitatem perducit.

1. C. *VITRIOLUM cæruleum. Blue Vitriol.*

2. *VITRIOLUM viride. Green Vitriol or Copperas.*

De mineris Vitrioli, Chalcitide, Misy, Sory & Melanteria vide *Infra* (g).

Vitriolum, *Dioscoridi & Galeno Chalcanthum,* Latine modo Vitriolum ob colorem factitii, perquam spectabili nitore, adeo ut Vitrum esse fere credatur, modo Atramentum sutorium ab atro colore quo sutorum pelles inficit.

Atramentum Scriptorium, seu Librarium Veterum ab hoc prorsus diversum, parabatur ex fuligine è tectis coacta, gummi, glutine taurino & atramento sutorio.

Veteres non accurate distinxêre Vitriolum ferri & cupri, sed utrumque indigitarunt confuso nomine Chalcanthum. Nativum & factitium quoque noverunt, primum *Stalacticum,* secundum *Pectum* vocantes, quod coquendo & crystallizando obtinuerint è mineris Chalcantiu, sed ignari erant methodi nostræ hoc obtinendi à lapide Pyritâ.

In

(g) *Chalcitis* est minera Vitrioli cupri & ferri, & hodie cognita.
Melanteria est Minera Vitrioli ferri plus quam cupri, ab antiquis pro emetico usurpata, & hodie nota.
Misy est minera Vitrioli ferri fossilis, & hodie reperta.
Sory, Rusma recentiorum, est minera Vitrioli cupri fossilis. *Vide Hill, Mat. Medica. & Walerii, Mineralogia.*

In Chalcantho vehementissimæ adstrictioni adjuncta est caliditas non instrenua, proinde utrasque facultates fortes, scil. repulsivam & discussoriam complectitur; immo urendi vim habet, crustas inducens, quæ diutius (ob vim adstringendi,) hærent quam crustæ a calce viva factæ.

Omnium maxime condire servareque carnes humidas potest, substantiam contrahens atque constipans, & hoc opere nonnihil humiditatis ipsius exprimens.

Sistit sanguinem narium & hæmorrhoidum. Vulnera per se illitum sanat.

Purgat caput aqua dilutum & in vellere naribus inditum: efficax in emplastris ad purganda Ulcera & excrescentia ulcerum. Ad Ozænas, Polypos, & quæcunque vēis citra sectionem aut ustionem submovere, ℞. Atramenti sutorii, & sandarachæ aa p. æq. trita insufla.

Ad Ulcera oris maligna præstant medicamenta ex Atramento sutorio, ita ut ℥j ad mellis libram, & plus quandoque injiciatur ad Ulcera putrefacta, sed cavendum, ne quidquam ex his medicamentis præterlabatur in stomachum, Chalcanthum enim urit partes si intra corpus sumatur.

In Emplastris ad Ulcera maligna, ut & in ocularibus medicamentis ignem non expertum aptum est, combustum moderatum, lotum post combustionem lene, mordacitatisque expers.

Porro, si ex aceto pluribus diebus conteratur, morsus ejus obtunditur; bonitas augetur, tenuius fit & ad intima usque penetrat.

Ad lachrymas & tumores lippientium restringendos Chalcanthum viride tundes & cribrabis, & factum mollissimum pulverem consperges ex ovi incocti albo, & facies collyria, quæ in umbra siccabis, atque inde palpebras inunges & tempora illinies.

Purgat stomachum per superiora, vomitus ciens cum melle & aqua mulsa sumptum, & adversus hausta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur.

Lata ventris animalia necat drachmæ pondere devoratum aut cum melle delinctum.

Vitriolum album apud nos à ʒß ad ʒj qua emeticum, usurpatur.

NOTÆ. 1. *De Vitrioli generatione.*

Vitriolum artificiale fit, 1. *Via sicca*, stratificando & calcinando Ferrum vel Cuprum cum sulphure; sic enim ista calcinatione sulphur prodit spiritum suum acidum, qui corrodit ferrum vel cuprum, & inde solutione ac crystallisatione fiunt crystalli Martis vel Veneris, nativis prorsus similes.

2 *Via humida*, solvendo ferrum vel cuprum.

In nulla re differt spiritus Vitrioli a spiritu sulphuris, nisi quod sub igne sapiat de substantia metallica prius rosa, ideoque solet rectificari.

Omne

Omne Vitriolum est plus minus cathereticum vel paulo infra gradum corrosionis escharoticorum.

2. *Vitriolum viride.* Anglicanum præfertur Germanico, minus cupri continens, idque tam parva quantitate ut vix ullius sit efficaciæ.

Saporis est valde adstringentis, subacidi, dulcis, acris, sed minus acris quam duæ aliæ species.

Lapides pyritacei, ab imbrium illuvie, accedente solis æstu, in pulverem seu terram rediguntur, cui aqua pluvia instillans sales dissolvit, quæ solutio in canales subjectos fluit, & inde in cisternam: deir, addito ferro veteri, coquitur in vasis plumbeis, quoniam in nullo alio vase contineri possit, quin & ad impediendam corrosionem vasorum.

Cum Carbone ligneo in crucibulo fusum deserit basin suam metallicam, & se jungens phlogisto carbonis constituit verum sulphur.

Sedimentum subflavum terrestre, quod deponit ejus solutio, est Ochra vel ferrum phlogisto privatum.

Nitro additum id decomponit; acidum scilicet Vitrioli, se jungens basi alcalinæ Nitri, spiritum hujus acidum dimittit, *Aqua fortis* dictum.

Acidum ejus aliis principiis involvitur, veruntamen indiciis satis claris se prodit; solutio enim ejus Lac coagulabat, & cum parte Olei Tartari per deliquium coagulum exhibuit instar limi fusco-gryseum, & pulvis effervescebat cum Oleo Tartari & Spiritu salis Ammoniaci, ac rubefecit Chartam cæruleam, verum syrupus Violarum inde viridescebat, nec evidenter coagulabatur serum sanguinis a substantia nec a solutione in experimentis repetitis, contra quam apud *Floyerum*.

Fæces alvinas nigro colore inficit.

Lignum & rotas, è ligno constructas, in solutione ejus coctas, indurat & a putredine præservat.

Insecta, & speciatim Bruchos, *Bugs* dictos, necat solutio ejus, addita colocynthide rimis, ubi latent, affusa.

Infusum in aqua in vulneribus recentibus valet. Ad rubedinem calcinatum est potentissimum stypticum, & speciatim in hæmorrhagia nasi, cum aqua paribus insufflatum, vel pulvis in morbo pertinaciore.

3. *Vitriolum cæruleum, Cyprium* vel *Hungaricum.*

Odor ejus est ut æris, sapor valde austerus, subdulcis, acris & linguam fere excorians.

In igne Acidum suum difficulter dimittit, quod Acidum longe fortius est quam in duabus aliis speciebus, Lac enim fortius coagulabat quam viride & fortius effervescebat cum spiritu Cornu Cervi & sp. *sal.* Ammoniaci quam viride

viride & album, serum quoque sanguinis mutabat in formam grumi solidi: porro & coagulabat salivam, quod non fit a Vitriolo albo nec viridi. Solutio ejus ab infuso Gallarum spissa fit, non nigra ut duarum aliarum. Cultro affrictum rubro colore instar cupri inficit.

Solutio ejus in aqua efficaciter repellit in hæmorrhoidibus.

Ulcus oris depascens & cancrosum, aliis frustra adhibitis, curabatur a Vitriolo cæruleo applicato subinde solo, subinde cum Oleo Olivarum admixto.

4. *Vitriolum album.* *White Vitriol.*

Novum est, vel saltem ejus partes constituentes nuperrime detectæ sunt.

Sapor fere similis est Vitrioli viridis, sed valde adstringens, obscure dulcis, acris, nauseosus, & cum infuso gallarum fit atramentum æque ac, vel forte melius quam a viridi, & in igne comburitur ad pulverem purpureum.

Ejus Acidum ejusdem est prosapiæ & generis ac Acidum sulphuris, & fortius quam in viridi; nam fortius effervescebat cum sp. salis Ammoniaci, & serum sanguinis evidenter coagulabat, quod a viridi non fiebat.

Solutio ejus fortis cultrum pallide rubro colore inficit.

Ab his experimentis patet, Vitriolum album ferrum & cuprum continere: porro vult *Cartheuser*, Zincum & Plumbum quoque continere, & horum admixtioni deberi albedinem, quoniam aquosa ejus solutio instar sacchari Saturni saporem ex dulci austerum linguæ imprimit, & caput mortuum ejus, cum cupro tractatum, metalli flavi speciem Orichalco haud dissimilem producit, indicio Zinci.

Dosi ʒß emeticum est, & in minore dosi, magna quantitate dilutum, non per vomitum nec alvum, sed tantum per diuresin operatur.

Affectibus oculorum valde conducit, præsertim si partes ij sacchari depurati & pars j Vitrioli permisceantur; & est Errhinum tutissimum.

D. *ULMARIA.* Barba capræ floribus compactis C. B. *Meadow Sweet.*

Hujus Flores, Folia & Radix odoris sunt grati, Flores gratissimi. Aqua destillata odorem florum habet, quin & Flores ob odorem gratum, nec tamen caput gravantem, conclavibus & tricliniis conveniunt, folia, vino aut cerevisiæ immissa, gratum ei odorem & saporem conciliant, non secus quam folia Pimpinellæ sanguisorbæ.

Saporis sunt adstringentis, eorumque infusum ac decoctum ut & succus foliorum, addito Vitriolo Martis, nigrescunt; & foliorum succus mucilaginosus, austerus, subsalsus coagulatur a liquoribus alcalinis, clarior fit ab acidis quemadmodum alia adstringentia, non tamen coagulabat albumen ovi nec serum sanguinis.

Adest

Adest quoque præter adstrictionem omnibus hujus plantæ partibus aliquid saporis amaricantis & nucleum Mali Persicæ vel Amygdalas amaras resipientis.

Folia aliquantulum rubefaciunt Chartam cæruleam, Radix vero magis eam rubefacit.

Veterinarii ejus decocto feliciter in colicis & vermibus equorum utuntur, & ad sistendum sanguinem ac sanandas fistulas a nonnullis commendatur.

Aqua è floribus destillata sudorem promovere dicitur, & apud *Linneum* sermo est de vi Ulmariæ tanquam olim certis observationibus ad exanthemata pellenda valere, compertæ; quin & olim Aquam Alexiteriam ingrediebatur, scil. qua diaphoreticum & cordiale, nec immerito, etsi in nupera Pharmacopœia Londinensi rejecta.

Radix omnes hæmorrhagias sistere dicitur, & in lacte cocta hoc inspissat, ac a rusticis usurpatur ad sistendum alvi fluxum. *Felix Wurtz* Chirurgus celebris omnibus vulnerariis, ad fracturas ossium commendabilibus, eam præferebat.

C. *ULMUS* volgatissima folio lato scabro, *Ger.* Ulmus nostras sive Italica, & Ulmus vernacula *Columellæ* C. B. *Common Elm.*

Folia recentia ad obsonia olerum modo usurpantur.

Folia adstringentem & abstergentem facultatem præ se ferunt: his quandoque recens vulnus glutinavit *Galenus*. Aqua aspersa pedum tumori utilis.

Ad capitis dolorem ex contusione cum vulnere folia virentia concisa, dein contrita applicentur.

Decoctum ossibus fractis, si fotus gratia perfundatur, ea celerius obducto callo solidat.

Trita ex aceto ad Lepram efficaciter illinuntur, & vulnera glutinant.

Cortex est magis amarus & adstringens quam folia; proinde corticem commanducatum vulneribus utilissimum putant multi, & magis quam folia vulnera glutinant, si, dum recens est, fasciæ modo circumvolvatur.

Corticis, Radicumve decoctum, fotûs gratia perfusum, eundem præstat effectum quam folia in ossibus fractis, & Cortex cum aceto, præsertim tunica interior, Lepram sanat.

Porro, Cortex in vino aut aqua frigida, Unciæ pondere potus, alvum purgat, pituitam & aquas trahens.

Rami quoque adstringendi vim habent, & Caries lignorum, maxime quæ participant adstrictionis simul & abstersionis, velut Ulmus, expurgat impletque Ulcera humida.

Porro, quum Ficis humor lacteus est, Cerasis gummosus, Ulmis salivosus, Humor,

Humor, é medulla castratæ arboris effluens, capillos reddit capiti illitus, diffluentesque continet.

NOTÆ. Cortex mucilaginosus est, dein adstringens: infusum ejus purpureum fiebat, addito Vitriolo Martis, & infusum fortius æque nigrum ac atramentum.

Rustici decocto ejus viscoso utuntur ad ambustiones. Cataplasma é Cortice, vino incocto contuso & calide applicato, usus mirabilis esse dicitur contra aneurisma. Usurpatur quoque Cortex in gargarismis.

Contra dolorem ischiadicum Cortex in aqua tam diu coquatur, donec fere syrupi consistentiam acquirat, addita dein Spiritus Vini ¼ parte. Foveatur locus affectus hoc decocto aliquamdiu ad ignem, & æger brevi levamen sentiet, authore *Raio*.

Vis purgans, Cortici a veteribus tributa, confirmatur in *Actis Academiæ Cæsareæ*, in exemplo uno vel altero efficaciæ Decocti in Hydrope horis medicis & loco potûs ordinarii per quatuor vel sex septimanas sumpti, unde aquæ eductæ sunt, partim & quidem plerumque per Urinam, sed & partim per Alvum.

Radicis cortex mucilaginosus est, adstringens, subacris & infusum ejus a sale Martis coloris fit Clareti diluti, & subinde viridis.

Arbor plena est humoris glutinosi balsamici, & præcipue decoctum radicum: hinc convenit omni hæmorrhagiæ, præsertim pulmonis & uteri.

Cortex interior magnis laudibus effertur in morbis cutaneis pervicacibus, impetiginosis & Lepra Græcorum. Corticis recentis ℥ v in Aquæ ℔iv ad ℔ij cocti, dosi ℔ß bis die, ad hunc scopum laudatur. *London Medical: Transactions*

C. *UMBILICUS* Veneris. Cotyledon major C. B. *Wall Peny wort. Navel wort. Kidney wort.*

Facultatis mistæ est, nempe humidæ subfrigidæ & cujusdam obscure subadstringentis, & cum ea leviter amara, unde refrigerat, repercutit, abstergit & discutit; itaque phlegmonas erysipelatodes, & erysipelata phlegmonode curat, ac trita cum polenta in stomachi ardoribus imponitur. Oculis medetur succo.

Condylomata & hæmorrhoidas mire curat & perniculos cum axungia.

Ingreditur Ceratum utpote succus refrigerans lumbis applicandum in iis, qui plurimum genitalis seminis colligunt & excernunt.

Cum medulla Cervina calefacta & imposita Cotyledon auxilio est in fistulis.

Ad dentium dolorem proderit commanducare radicem. Radicis foliorumve succus, cum vino circumlitus instillatusve, contecta genitalia nudat.

Folia, cum radice comesta, calculos comminuunt, urinas cient, & hydropicis ex mulso dantur.

NOTÆ. Folia fere insipida sunt, nisi aliquando subacida, subadstringentia, amaricantia; caules adulti & summitates floriferæ acerbi sunt saporis, harumque succus & Decoctum adstringens est, amaricans, & utérque statim niger fit addito Vitriolo Martis.

Succus herbæ fere insipidus, & pallide viridis, clarior fit & subruber additis liquoribus acidis, contra flavescit & spissior fit a liquoribus alcalinis. A Syrupo Violarum non mutabatur.

Usu externo dolorem & inflammationem hæmorrhoidum sedat, interno ardorem urinæ tollit.

C. *URINA.* *Urine*

Urina omnis calida est & acris, sed debilissima inter animalium urinas est humana, exceptis suibus castratis. De priore hic præcipue agetur.

Extergendi vim habet, quod indicant fullones, qui sordida vestium eâ expurgant atque extergunt. Hanc ejus vim cum medici conspexissent, psoras & lepras eâ deterserunt, perfuderuntque Ulcera, tum multa humiditate, tum sordibus & impuritate scatentia, ac multo magis ubi putridum quippiam (*h*) obtinent; sed & pudendis, ubi sic afficiantur, Urinam infundunt, & auribus pure fluentibus.

An & consolidandi vim habet? namque Attritus pedum ex offensione curat, si non fuerint inflammati.

Capitis Ulcera manantia Urina Tauri efficaciter sanat, item hominis vetus, si cyclaminum adjiciatur & sulphur.

Inter ocularia medicamenta locum habet, & Urinâ puerorum impubium foventur oculi, firmitatis causa, & illiniuntur sole usta cum ovi albumine.

Decocta in æreo vase cum melle cicatrices, albugines & nubeculas exterit; & concedit *Galenus*, medicamentum optimum in Ulceribus rebellibus confici ex Urinâ pueri in mortario æreo, cum pistillo æreo circumacta, per plures dies, donec Urina crassitudinem mellis acquirat. & ad albugines ac cicatrices veteres prostat apud ipsum hocce Collyrium, ℞. Lauri baccarum trit. &

(*h*) Experimentis nuper compertum est, Urinæ putrescentis vapores non esse noxios, ut vapores ex animalibus putrefactis.

& Gummi q. s. permisce. f. Collyrium, quod ex pueri impubis urina illinendum.

Veteri miscetur cinis ostreorum adversus eruptiones in corpore infantum & omnia manantia Ulcera. Ex eadem, ambustis, sedis vitiis, rhagadis & scorpionum ictibus illinitur, & adversus Echinorum marinorum Draconumque morsus in spongia lanave imponitur.

De usu interno Urinæ hæc habent *Dioscorides* & *Galenus*: suam cuique bibere prodesse contra Viperæ morsus ac venena, incipientemque aquam intercutem: &, authore *Dioscoride* ac *P. Ægineta*, Camelorum & Caprarum Urina alvum subducit, unde hydropicis (*t*) bibenda exhibetur.

NOTÆ. Vaccina plerumque interne datur, odoris fœtidi, & inter evaporandum instar Moschi, saporis salini, amari: humana quoque usurpatur, quæ inter evaporandum fœtet, ejusdem saporis ac vaccina, & destillata dat liquorem limpidum, fœtidum, nauseosum, nec acidum, nec alcalinum; sal quoque inde nec acidus nec alcalinus, magis tamen affinis sali alcalino quam acido, partim similis sali alcalescenti, juncto sali marino, partim sali Ammoniaco, sed non perfecte conveniens ulli horum.

Putrefacta tarde inspissata ad consistentiam syrupi tenuis, & per aliquot septimanas in loco frigido reposita, dat crystallos partim salis marini, partim peculiaris salis, *sal microcosmicum* seu *sal essentiale Urinæ* dicti, cui hoc singulare, quod si admisceatur substantiis inflammabilibus, v. g. fungis vel carboni ligneo, & in vase aperto ad ignitionem calefiat, flammulas instar fulguris emittat, & in retorta destillatum det phosphorum.

Vaccinæ Cong. j dedit Extracti instar Molossei ℥vj ʒvij ℈j, Humanæ ℥vj ʒij.

Humana usu externo, cum furfure decocta, potenter resolvit & discutit. In puncturis apum & vesparum applicatur ad præcavendam inflationem, in fotu solamen dat podagricis, ac in lotionibus contra scabiem capitis aliisque malis cutaneis prodest.

In enematibus laxat & antiseptica est.

Utraque Urina a ℔ß ad ℔j usu interno purgat, & sæpe vomitionem excitat, & ea dosi, per aliquot septimanas quotidie sumpta, in cura Hydropis aliorumque morborum chronicorum aliis remediis non cedentium, feliciter successit. Hircinæ similem fuisse aliquando successum in Hydrope testantur *Miscellanea Curiosa*.

C. UR-

(*t*) Magnis experimentis juvat quoque tam urinam vaccinam, tam humanam [illegible]

C. *URTICA.*

1. *Romana*, seu mas cum globulis C. B., Urtica urens, pilulas ferens, prima *Dioscoridis semine lini* C. B. *Roman Nettle.*

2. *Urtica urens maxima* C. B. *Common stinging Nettle.*

Procidentes vulvas recens contactu resilire cogit, & Lethargici expergiscuntur tactis cruribus magisque fronte.

Priusquam exficcetur esculenta est, & apud *Celsum* inter olera boni succi locum habet; & quidem incipiens nasci vere non ingrata, multis etiam religiosa cibus est ad pellendos totius anni morbos.

Succus gargarizatus Columellam, inflammatione turgentem, reprimit. Trita cum sacco & naribus indita sanguinem sistit. In fluxionibus circum oculos in principiis prodest, ut alia ex adstringentium & repellentium genere, v. g. Sempervivum, Portulaca, &c.

Ventrem modice subducit: flatuosum quiddam habet unde flatus nascuntur dum concoquitur: unde assata cibis accommodatior est, alvum ciens urinamque magis movens.

In phlegmone interno facilius est alvum subducere Urticâ quam *Aloë*, utpote modice alvum dejiciente.

Subtilium partium est & digerentis facultatis, adeo ut phymata & parotides sanet, temperaturæ siccæ, non tamen tantum habens caliditatis ut mordicet. Decocta cum ptisana vitia thoracis excreabilia facit.

Illita canis morsibus adjuncto sale medetur.

Ulcera in gangrænam vergentia, maligna sordidaque item luxata, panos, tubercula, parotidas, furunculos & abscessus sanat. Lienosis cum cerato imponitur.

Semen, non secus atque ervum & amygdala amara meatus purgat, & cum melle delinctum orthopnœæ, lateri & pulmonum inflammationibus prodest, excreatione pectus purgans & pus valenter educens.

Potum ex passo Venerem stimulat & vulvæ ora patefacit.

Difficilem ventrem tostum in cibo emollit. Ad defluvia Capillorum semine oleo contrito contunguntur loca.

NOTÆ. Vis urens est in superficie, alias caloris non nisi exigui particeps est, immo tantum frigoris intus latere dicitur in urtica, ut herba contusa, temporibus aut arteriis metacarpi apposita, febris ardorem in corde extinguat.

Spiculæ Urticarum apud *D. Hook* in Micrographia patent esse intus concavæ & fistulosæ, mucronibus acutis, unde tactu levi cutem facile perforant, singulæ autem folliculo venenoso repletæ innituntur, qui, ad spicularum contactum compressus, per eandem cava liquorem suum in cutem

perforatam vel carnem transfundit: Hæc applicatio, *Urticatio* dicta Veteribus, in usu fuit in Lethargo, & nuperius in atrophia ac stupore Membri alicujus, & dolore ischiadico.

Vulgaris Urticæ Odor in locis, ubi copiose nascitur, quidam singularis est. Folia recentia insipida, sicca obscure acria, subadstringentia: Decoctum quoque, diu in ore retentum, subadstringens, & cum Vitriolo Martis coloris magis fusci fiebat: adest quoque aliquid glutinosum.

Succus mucilaginosus, subacris, subdulcis: cum liquoribus acidis & alcalinis prædominantis salis alcalini vel acidi indicia non exhibebat.

Folia non rubefaciunt Chartam cæruleam, Radices parum, quæ qualitatibus sensilibus foliis haud absimiles, scil. saporis subdulcis, cum sensu caloris mediocris, nauseosi.

Semen mucilaginosum est, saporis farinacei, subacre in gutture & Emulsiones hinc fiunt.

Folia contusa naribus indita sedant earum hæmorrhagias, & usu interno, consensu omnium practicorum, in hæmoptoe & omnibus sanguinis profluviis utilia sunt. Dantur ab ℥ij ad ℥ v. Valent etiam in dysenteria & fluore albo, in fluxu hæmorrhoidali, aliis frustra adhibitis; quin & non tantum urinas, sed & menses ciendi vim habere dicuntur.

Romanæ folia & semen fere similia sunt vulgari, nisi quod semen prædicetur tanquam magis pectorale & contra tusses præferendum.

C. *UVÆ* passæ majores. Uva passa major C. B. *Raisins of the Sun.*

Galenus omnia genera Uvas, quæ solis fervore flaccescunt, nullo prorsus discrimine *Passas* vocavit.

Uvæ passæ multæ sunt dulces, acerbæ omnino paucæ, plurimæ vero ex dulci & austera qualitate sunt mistæ. Austeræ stomachum roborant, & ventrem constipant.

Dulcibus omnibus vis quædam inest contemperandi & detergendi, quibus duabus facultatibus linguas mordicationes, quæ os ventriculi infestant, obtundunt. Præstant pinguiores, & quæ velut tenuem corticem habent.

Eadem est ratio Uvarum passarum ad Uvas ac Caricarum ad Ficus, proinde Uvæ calidiores sunt & stomacho commodiores, magis nutriunt, minus autem alvum subducunt. Pingues & dulces nutriunt multum, austeræ & macræ parce. Porro, pingues ac dulces minus quam Caricæ alvum subducunt abstergentque, verum stomacho commodiores sunt, & ventris dejectioni gratæ affatim ingerere licet, quæ nullam acidam austeramve qualitatem præ se ferunt.

Esitata earum caro prodest faucibus, tussi, renibus ac vesicæ. Ad tussientes pingues & exacinatæ præstant.

Ad

Ad interciſam vocem cum lini ſemine, nucleis pineis & avellanis partibus æqualibus, melle crudo exceptis, prodeſt.

Ad dyſpnoicos decoctum exacinatarum cum parte æquali fœnigræci, cyathi menſura, calefacta dantur aſſidue, & juxta ſingulas irritationes.

Aphthis nigrefactis exacinata & cum aniſo trita cum melle illinitur & eſtur cum nucleis contra Dyſenteriam, itemque, admiſta milii ac hordei farina & ovo, in ſartagine cum melle fricta ſumitur.

In pharmacis ad Hepaticos locum habent Uvæ paſſæ, atque in liene & hepate tumentibus conducunt ſi ſint adſtringentes (non pingues.) cum in tantum adſtringentes ſint quantum opus habet viſcus affectum, & habent vim concoctorium crudorum humorum & coercendi malignos: ſativa enim concoquendi ſimulque leniter adſtringendi & diſcutiendi facultatem habet, ſylveſtris vero fortiter acris eſt, adeo ut pituitam trahat & vehementer extergat: hinc apud *Dioſcoridem* Uva paſſa proficere dicitur ad eliciendam è capite pituitam in dentium dolore, tum per ſe, tum cum pipere commanducata.

Teſtium inflammationes Uva paſſa, acrimoniæ expers, ſedat impoſita cum lomento fabarum & cumini aut coriandri farina.

Epinyctidas, carbunculos, favos putreſcentiaque articulorum Ulcera ac gangrænas, ſine nucleis trita & cum ruta illita, ſanat. Mobiles ungues illita celeriter extrahit.

NOTÆ. Uvæ Siccatæ ſunt dulcis, ſubacidi, vinoſi, mucilaginoſi, & nihil aliud ſunt quam Muſtum quoddam concentratum ſeu phlegmatis exhalatione condenſatum. Dulcedinem ſuam impertiunt tum Aquæ tum Spiritui Vini.

Unciæ cubicæ 12 Uvarum, *Malaga Raiſin* dictarum, a Martii 27, ad Apr. 16 Aquæ infuſæ, generabant Aëris Uncias 411.

Calculi fragmentum ſolvebatur tepide digeſtum 3, 4ve dies in decocto.

Summatim, propter acidum vinoſum cum mucilagine & oleoſis partibus copulatum temperant, leniunt, vias lubricant, nonnihil incraſſant & abſtergunt, ſed Acini ob vim adſtrictoriam eximendi.

Pectorales ſunt, tuſſim mitigant, ſputum movent, in raucedine ex lympha acri valent. Acrimoniam bilis hebetant, ardorem Urinæ mitigant: Alvum leniunt: refrigerant & ſitim ſedant in febribus calidis.

Nutritivæ ſunt, & in Atrophia cum amygdalis dulcibus excoriatis valent: nutrimentum bonum ſuppeditant phthiſicis, hecticisque valde utiles. Dicuntur tamen frequenter comeſtæ dentes & gingivas ad putredinem diſponere.

Z.

D. *ZEDOARIA. Zedoary.*

1. *Zedoaria longa* C. B. *Zedoary.*

2. *Zedoaria rotunda* C. B. *Round Zedoary.*

3. *Zerumbet* Offic. *Garz.* Zinziber latifolium sylv. *Herm.* Cat. Hort. Lugd. Bat. *Zerumbeth.*

Zedoaria veteribus Græcis incognita, etsi Recentiores, ab Arabibus edocti, eam suis medicamentorum compositionibus admisceant, & Arabes aliquando confundunt cum Zerumbet, aliquando distinguunt.

NOTÆ. Odoris est fragrantis, camphorati; destillatione dat Aquam aromaticam cum oleo copioso, quod, in India ex radice destillatæ, *sal volatile*, Nivis aut Camphoræ forma, innatat: saporis est aromatici instar Rorismarini, amari, calidi, acris, odoratior Zinzibere, sed minus acris.

Infusum aquosum sapore subacri, amaro & camphorato gaudet; spirituosum sapore amaro & acri aquosum superat, odore autem & sapore camphorato multo inferius.

Odorem Allii, Ceparum & Vini aufert, & contra Aëris pestilentis contagia masticatur.

Decoctum in Aqua Heliotropium rubefacit, syropum Violarum viridem reddit.

Carminativum est insigne, & conditur facchaaro ac Zingiberi præfertur: potentissime flatus discutit, doloribus Colicis & Ventriculi flatulentis, ac suffocationi Uteri succurrit, necnon doloribus post partum, in quem finem commendatur pulvis ejus cum pane butyro illito si comedatur, quo modo & lochiorum fluxum promovet. Alvi tineas qualescunque enecat.

Diaphoretica est, & Lienteriam sistit, vomitiones reprimit; menses ciet.

N. *ZIBETHUM. Civet.*

Substantia est pinguis, unctuosa, inflammabilis odoris in notabili quantitate vel per se valde ingrati, sed in parva quantitate aliisve ingredientibus permistum, fragrantissimi, v. g. cum Oleo Anisi mistum & Chirothecis illitum fragrantissimum odorem excitat, præsertim si tantillum Moschi additum fuerit; saporis instar Butyri subrancidi, subacris, amaricantis.

Multum Olei & salis volatilis continere dicitur.

Solvitur Oleis tum expressis tum destillatis & Pinguedinibus animalibus: Cum Aqua non miscetur mediante sacchaaro, sed cum mucilaginibus triturando; nec solvitur in Spiritu Vini rectificato nisi digestione.

Ster-

Stercus humanum, mediante longa digeſtione, ad ſuaveolentiam redactum, Zibethum mentitur, ideoque vocatur *Zibethum Occidentale*.

Torminibus infantum, colicæ, ſuffocationi uteri umbilico applicatum medetur, modo patientes illius odorem ferre poſſint.

Maritos impotentes conſortat, & in ſterilitate mulierum utile eſt.

Summatim, anodynum eſt & locum habet inter Antiſpaſmodica, ſedativa, & Reſolutiva: cardiacum eſt, vires reficit & facultates ſunt fere ut Moſchi.

Olim medicamentum in morbis exanthematicis magnæ æſtimationis erat.

N. *ZINCUM*, ſive *Tutenag* vel *Speiter*.

Hujus Minera eſt Lapis Calaminaris, ſed non ſola, verum quoque Zincum ferro Sulphurato Mineralizatum, *Blend*, *Mock-Lead* vel *Black Jack* dictum: *Wallerii, Mineralogia*. Ex Lapide Calaminari cum fluxibus vulgaribus nunquam produci poteſt Zincum, ſed *Margraaf* in *Mem. Acad. Berolinenſis* exhibuit proceſſum, quo Zincum extrahi poteſt ex Lapide Calaminari, ſublimationis cujusdam ſpecie, in retorta.

Zincum facile funditur in igne, inflammabile flammâ cæruleo-flavâ, & ex omnibus metallis hoc huic peculiare, ſcintillas magnas emittere in igne.

In igne aperto dat Flores albos molles. Fumum emittit ſpiſſum pulmonibus noxium, allium redolentem, ſuſpicionem ingerentem mixturæ Arſenicalis.

Sulphuris particeps eſſe indicat Odor Hepatis ſulphuris, excitatus ab admixtura Olei Vitrioli.

Solvitur ab omnibus Acidis, fortibus & debilibus, & inſtar Plumbi in Aceto cum ſapore quoque ſaccharino.

Zinci flores externe in oculorum inflammatione, intertrigine, excoriationibus & fiſſuris papillarum proſunt: Interne, præſertim Indici Flores, in Epilepſia, motibus convulſivis, delirio ſine febre adhibentur; a parva vero doſi a gr. j, vel ij incipiendum & ad ℈j, ʒj imo ad ʒij procedendum (k).

Pompholyx & Nihil album, olim in officinis aſſervata, fuerunt Flores Zinci, ſed minus puri, in fornacibus collecti, ubi Zincum vel Minera ejus fundebatur.

Porro, Vitriolum album, vulgari impuro præferendum, præparari poteſt è Zinco puro in Acido vitriolico diluto, ſoluto & cryſtallizato.

C. *ZINZIBER*. Zimpiberi & Zingiberi *Plinii* C. B. *Ginger*.

Radix odorata eſt, ſapore piper imitatur, & piperis vires quadantenus æmulatur, cibo conveniens & cum condimento aſſumitur, ſtomachum corroborans,

(k) *Gaubius. Adverſ. Varii Argum.* aliique qui de hac materie ſuperiore ſcripſerunt.

borum, concoctionem adjuvans, &, quum dulcia per se noceant in obstructione hepatis aut lienis, veruntamen ficus longe ante cibum exhibitæ cum thymo, pipere aut zinzibere juvant.

Efficax est ad ea, quæ pupillis caliginem offendant. Antidotis quoque, v. g. Theriacæ, additur.

Excalfacit valenter, sed non primo statim occursu velut piper, utpote minus subtilium partium, sed diutius perseverat caliditas, quæ a Zinzibere aut Pipere longo proficiscitur, quam quæ ab albo aut nigro. proinde, quum particulam aliquam refrigeratam calfacere oporteat, hujusmodi calfacientia, quæ plurimum temporis durant, adhibemus.

Porro, Zinziber vim habet alvum leniter emolliendi.

NOTÆ. Saporis est valde acris, calidi, aliquantulum aromatici, subamari, minus acris quam Piper, sed ejusdem fere virtutis.

Recentior efficacem vim habet laxandi alvum, quippe si teneræ & adhuc humidæ radices edantur, multo adhuc humore in iis existente, alvum emolliunt, ut videmus in Iride, nam vetustiores siccant potius & alvum sistunt.

Per alembicum destillatum, dat insignem quantitatem olei essentialis, ardoris & acrimoniæ insignis, verum, authore *Cartheuser*, longe minus calidi quam Zedoariæ, hinc Zinziber Zedoariâ longe temperatius deprehenditur, & operationem suam magis irritando & incidendo, quam commovendo, in corpore exercet, minus corpus calefaciens, quam putaret aliquis, ab ejus acrimonia & fortitate. acrimonia enim ejus est minus volatilis quam plerorumque aliorum aromatum.

Vires suas impertit integras spiritui Vini rectificato, & magnâ ex parte Aquæ.

Caput sero nimio obsessum & frigidum roborat, atque in omnibus capitis morbis, è ventriculo obortis, utpote Vertigine, gravitate capitis, & quando nebulæ oculis obversari videntur, multum opis præstat.

Flatus discutit. Urinam movet. Venerem stimulat. Masticata Radix salivam elicit, & in paralysi linguæ prodest, quin & utiliter instar Tabaci fumigatur, minimum quia sal & sulphur non adeo abundant in eo, ac in Tabaco.

Primarum viarum affectibus a frigore succurrit, concoctionem juvat, & recens ab Indis habetur tanquam remedium præstantissimum ad colicos dolores, cœliacam & lientericam passionem, diarrhœas diuturnas ex frigore natas, flatus, ventrisque tormina & alia hujusmodi.

Ad expugnandas varias chronicas ægritudines, aliis remediis ut salubre condimentum prospero eventu adjungitur, ut in hydropicis tumoribus, cachexia, flatulentia pituitosa, catarrhis frigidis.

INDEX
MORBORUM ET REMEDIORUM,
Juxta placita VETERUM
GRÆCORUM, LATINORUM ET ARABUM.

Cynoglossi fol. decoct. ex vino.
Caricæ.
Cnicus, v. Carthamus.
Cepa.
Cerasa matura dulc.
Chamæpitys.
Epithymum.
Fel.
Ficus recentes.
Fœnu Græcum.
G. Ammoniacum.
Hordeum.
Malva.
Mala dulcia.
Mala Austera in postremis Epulis.
Manna.
Mel.
Melo.
Mercurialis.
Oleum Olivarum.
Opopanax.
Polium.
Polypodium.
Porrum Coctum.
Psyllium.
Pyrus Sylv. in postremis Epulis.
Raines.
Resina Veter. seu Thereb. nostrâ.
Rosa Damascena.
Sinapi.
Styrax calamita.
Sagapenum.
Sal.
Scilla.
Sambuci fol.
Tamarindi.
Thymus cum melle, posca vel sale.
Vina dulcia.
Urtica.
Uvæ passæ.
Viola.
Zingiber.

AMBUSTA.

Althæa.
Alumen.
Androsæmum.
Antimonium.
Adeps Suillus.
Atramentum librarium.
Albumen Ovi.
Bardana.
Branca ursina.
Cynoglossi fol.
Ebuli fol.
Galium luteum.
G. Arabicum.
Hordeum.
Hypericum.
Lactuca.
Lilii rad.
Narcissus.
Pini cort.
Sal.
Sambuci fol.
Sanguis Draconis.
Sedum majus.
Stercus columb.
Verbascum.
Ulmi lachrymæ.

ANGINA, UVULA RELAXATA, ET FAUCIUM ASPERITAS.

Acetum.
Alumen.
Avellanæ putamen viride.
Cydonia malus.
Elaterium illitum cum Oleo vetere.
Gallæ.
G. Arabicum.
Lauri fol. decocta pro gargarism. in uvola relaxata.
Lens.
Lini Sem.
Mel.
Mentha.
Millepedes.
Morus.
Myrrha.
Pentaphylli fol.
Piper.
Stercus caninum.
humanum.
ovillum.
Viola.

ANI INFLAMMATIO.

Ovum ejusque Vitellus.

ANI PROLAPSUS, CONDYLOMA, RIMÆ, EROSIONES.

Adeps Suillus.
Cochlea terrestris.
Cydonia Malus.
Gallæ
Glycyrrhiza.
Leucoium luteum.
Malva.
Mentha.
Myrtus.
Ovum ejusque Vitellus.
Parietaria.
Pentaphyllum.
Rubus.

Thy-

Tithymali lac, ad condylomata ficus tollenda.
Umbilicus Veneris.

ANOREXIA vide *NAUSEA.*

Capparis.
Cydonia mal.
Lactuca.
Mala dulcia.
Moschus.
Raphani rust. rad.
Sal.
Sinaplos herba.
Vinum.

ANTISEPTICA.

Lauri fol.
Mel.
Pix liq.
Sal.
Scordium.

APHTHÆ, vide *ULCERA ORIS.*

Butyrum.
Chamæmelum.
Portulaca.
Pyrus.
Rubus, & fruct.
Sal.

APOPHLEGMATISMI.

Laureola.
Piper.
Pyrethrum.
Raphani hort. rad.
Sal.
Sapo cum Succo Betæ.
Sinapi.
Staphysagria.
Thymus.
Uva passa.

APPETITUS DEPRAVATUS, vide *MALACIA.*

APOPLEXIA, vide *MORBUS ATTONITUS.*

APUM ET VESPARUM PLAGÆ.

Stercus bovinum.

ARTERIÆ (*TRACHEÆ*) ASPERITAS.

Gum. Cerasorum.
Hordeum.

ARTHRITIS, vide *PODAGRA.*

ARTHRITICORUM TOPHI.

Caseus.

ARTICULORUM *NODI.*

Galbanum.

— *DOLORES.*

Melissa.
Meum.

ASTHMA, vide *DYSPNÆA.*

ADSTRINGENTIA.

Nux Moschata.
Pyrus.
Rhus.
Rubi cauliculi.

ATTRAHENTIA.

Narcissus.
Viscum.

AURIUM SANIES, PURULENTIÆ ET FLUXIONES AD AURES.

Fel.
Hedera.
Lapathum.
Lumbrici.
Mastiche.
Myrtus.
Peucedanum.
Pix liq.
Polygonum.
Pyrethrum.
Resina Ver. seu Thereb. nostra.
Rhus.
Sarcocolla.

— *SONITUS.*

Aceti vapor.
Beta.
Cepa.
Cucum. Sylv. rad. fol. & succus.
Synapi.

AURIUM *DOLOR.*

Albumen Ovi.
Amygd. amar.
Aparine.
Aristolochia.
Beta.
Cannabis fol.
Crocus.
Fel.
Hyoscyamus.
Lauri baccæ.
Millepedes.
Marrubium album.
Opium.
Oleum Balaninum.
Ricini.
Parietaria.
Polygonum.
Ruta.
Sal.
Spongia.

— *OBTURATIO.*

Arum.

— *SURDITAS.*

Aqua marina.
Adeps anser. cum succo cepæ.
Brassica.
Bryonia.
Cucum. Sylv. fol. succus.
Lauri Baccæ.
Ol. Balaninum.
Spongia.
Styrax Calamita.
Sulphuris Vapor.
Salix.

— *VERMES & SORDES.*

Mel.
Mercurialis.
Salvia.

B.

BUBO.

Butyrum.

C.

CACHEXIA.

Betonica.

CALCULUS.

Lapathum.
Lapis Judaicus.
Lithospermum.
Lumbrici.
Matricaria.
Resina fricta.
Ruscus.
Sium.

CALLI ET CLAVI.

Aerugo.
Asa fœtida, Silphium.
Cantharides.
Elleborus nig.
Fermentum.
G. Ammoniacum.
Iris.
Lilii albi rad.
Lumbrici.
Nigellæ Sem.
Sal.
Stercus ovillum.
Tithymali Lac.

CALORIS REMEDIA.

Ficus recentes.
Persicæ mali fr. maturus.
Pruna.
Tamarindi.

CANIS RABIDI MORSUS.

Bitumen.
Carduus.
Cynoglossum.
Cynosbati rad.
Ebuli fol.
Elleborus alb.
Lapathum.
Marrub. nigrum.

CAPITIS DOLOR.

Aqua marina.
Anagallis.
Anethum.
Anisi Sem. suffitus.
Apii Veterum Sem.
Iris.
Lactuca.
Nigellæ Sem.
Nasturtium.
Ol. Omphacinum.
Ol. frigidum.
Oesypus.
Opium.
Polygonum.

Por-

Portulaca.
Psyllium.
Peucedanum.
Rosa Veterum.
Ruscus.
Scammonium.
Sedum majus.
Sinapi.
Stercus Columb.
Vinum.

— ex *EBRIETATE.*

Brassica.
Castoreum.
Chamæmelum.
Colocynthis.

— *FRIGIDUS* & ex *FRIGORE.*

Euphorbium.
Macis.
Millepedes.
Moschus.
Opobalsamum.

— à *SOLE.*

Cupressus.

— *DIUTURNUS.*

Cucum. Sylv. rad.
Elleb. alb.
Elaterium.

— ex *FEBRE.*

Chamæmelum.

CARBUNCULUS.

Betonica.
Coryandrum.
Cupressus.
Juglans.
Lens.
Lupinus.

CARBUNCULORUM CRUSTÆ.

Sabina.

CARCINOMA.

Betonica.
Brassica.
Caricæ.
Dracontium.
Erysimum.
Galiopsis.

CARDIACA AFFECTIO.

Vinum in mamma læva.

CARDIALGIA vel STOMACHI ARDOR.

Nardus Indica.
Pyrus.

CATARRHUS.

Ambra Grysea.
Avellanæ fr. vel Nux pontica.
Albumen Ovi.
Bolus Armena.
Dracontium.

Erysimum.
Galanga.
Grana Cnidia.
G. Tragacantha.
Hyoscyamus.
Jujubæ.
Lauri baccæ.
Meum.
Nigellæ Sem.
Panis.
Papav. alb. capitum & fol. decoctum.
Pulegium.
Styrax Calam.

CAUSTICA.

Ranunculus.
Sapo cum calce viva.
Sinapi.
Tithymali Lac.
Chalcanthum.

CHOLERA.

Aq. marina.
Berberis fr.
Cydonia malus.
Ferrum.
Mentha.
Myrobalani.
Polygonum.

COCTIO LÆSA.

Betonica.
Carum.
Cydonia malus.
Hyssopus.
Juniperi baccæ.
Ligustici seu Saxeleos Sem.
Nux Moschata.

Pati-

Parietaria.
Pix liq.
Pentaphylli fol.
Rha.
Sinapi.
Sal.
Tithymali Lac.

— INTERTRIGO.

Amygdalæ amar.
Brassica.
Coriandrum.
Ichtyocolla.
Lauri baccæ.
Myrtus.
Stercus Ovilum.
Viscum.

— LENTIGO & LENTES.

Faba.
Iris.
Nasturtium.
Nigellæ sem.
Nitrum.
Os Sepiæ.
Raphani hort. rad.
Sium.

— LICHEN.

Aq. marina.
Panis.
Rubia Tinct.
Rha.
Sal.
Stercus Caprinum.
Terrei Oleum.
Ulmi Lachrymæ.

— FURFURES CAPITIS.

Scilla.

— LEPRA.

Furfur.
Sinapi.
Sal, bur.

— PAPULÆ.

Sang. Drac. vel Cannab. *Diosc.*

— PANUS.

Fæx Vini.
Scammonii rad. & *Succus.*
Stercus bovinum.

D.

DEBILITAS à *VALETUDINE.*

Dactyli.

DELIRIUM.

Papaveris albi capita.

DENTIUM *DOLOR.*

Nigellæ Sem.
Opopanax.
Pentaphylli rad.
Pyrethrum.
Staphisagriæ herba.

Sal.
Tamarisci fol.
Tithymali Lac.
Umbilici Veneris rad.
Uvæ passæ.
Vinca pervinca.
Verbasci rad.

— VACILLATIO, MOBILITAS & LAXITAS.

Balaustia.
Cornu Cervi.
Enula camp.
Granathi cort.
Lapathum.

— LAPSUS.

Oesypus.
Oleum Omphacinum.
Sal.

— EROSIO.

Sal.

DENTIFRICIA & DENTES DEALBANTIA.

Os sepiæ.
Ostreorum testæ ustæ.
Sinapi.

DIARRHÆA.

Amylum.
Althæa.
Balaustia.
Berberis fr.
Bolus Armena.
Branca Ursina.

Brassic.

Brassica bis cocta.
Castaneæ nuces.
Corna.
Caseus.
Cerasa immatura.
Cupressus.
Cydonia malus.
Dactyli.
Fæx Vini.
Fabæ cort.
Ferrum.
Hyacinthus.
Hyperici sem.
Lapathum.
Mala austera.
Milium.
Macis.
Mespilus.
Myrobalani.
Nardus Indica.
Nymphæa alba.
Oryza.
Ovum.
Pyrus.
Panis vetus & nauticus.
Pæoniæ rad.
Papav. alb. cap. & fol. decoctum.
Persicæ mali fr. immat.
Pini cort.
Phyllitis.
Polygonum.
Populi nigræ Gemmæ.
Porrum.
Pruni sylv. fr.
Palmæ fr. involucrum & calix.
Rosa.
Rubia Tinct.
Rubi fr. immat.
Santalum rubr.
Sedum maj.
Sorbi fr.
Spongia.
Stercus caninum.
Succinum.
Vinca pervinca.
Vitellus Ovi.

DISCUTIENTIA.

Ficus recentes.
Fænugræcum.
Furfur.
Lauri baccæ.
Mentha.
Pix arida.
Raphani hort. rad.
Sal.
Stercus.
Styrax calamita.
Sulphuris vapor.
Viscum.

DIURETICA.

Acori rad.
Adianthum.
Aloe.
Amygdalæ amar. & dulc.
Artemisia.
Alkekengi.
Allium.
Ammeos sem.
Anagallis.
Anethi sem. & fol.
Anisi sem.
Apii veterum seu Petroselini vulg. fol. sem. & rad.
Aristolochia.
Arum.
Asa fætida.
Asarum.
Bardana.
Bryonia.
Beta.
Betonica.
Branca ursina.
Calamintha.
Cantharides.
Cardamine.
Cardamomum.
Carum.
Cassia veterum.
Cepa.
Chamædrys.
Cicer.
Costus.
Eruca.
Eryngium.
Ficus recent. & Caricæ.
Fæniculum.
Fumaria.
Graminis rad.
Hedera.
Hyacinthus.
Iris.
Juniperi baccæ.
Labdanum.
Lithospermum.
Lumbrici.
Ligustici seu Seseli rad.
Marrubium album.
Meum.
Nardus Celtica.
Indica.
Nigellæ sem.
Nux Moschata.
Nasturtium.
Opopanax.
Polium.
Porrum.
Pulegium.
Petroselini Maced. sem.
Piper.
Polygonum.
Raphani hort. rad.
Rapum.

Rubia Tinct.
Ruscus.
Ruta.
Resina vet. Therebinth. nostra.
Scordium.
Succinum.
Sium.
Sabina.
Salvia.
Sinapi.
Schœnanthus.
Scilla.
Sal qua edulis.
Thymus.
Umbilici Veneris fol. cum radice.
Valeriana.
Vinum.

DOLOR *ARTICULORUM.*

Cardamomum.
Castoreum.
Chamæpitys.
Colocynthis.
Costus.
Galbanum.
G. Ammoniacum.
Narcissus.
Parietaria.
Psyllium.
Pulegium.
Ruta.

— *DIUTURNUS.*

Sinapi.

— *HYPOCHONDRII.*

Absinthium usu externo.

— *ISCIADICUS.*

Abrotonum.
Althæa.
Androsæmum.
Asa fœtida, Silphium.
Asari rad.
Bardana.
Betonica.
Cardamomum.
Castoreum.
Chamæpitys.
Colocynthis.
Costus.
Cucum. Sylv. rad. succus.
Elleborus alb.
Enula campana.
Erigeron.
Erysimum.
Euphorbium.
Galbanum.
G. Ammoniacum.
Hyperici sem.
Iberis.
Iris.
Dauci baccæ usu externo.
Meum.
Nasturtium.
Peucedanum.
Pentaphylli rad.
Pulegium.
Raphani rust. rad.
Rubia Tinct.
Rha.
Ruta.
Stercus bovinum.
Columbinum.
Stœchas Arabica.
Sal.
Sinapi.
Scammonii rad:
Thlapsi.

— *LATERUM & LUMBORUM INVETERATUS.*

Furfur.
Resina Veterum.
Stercus columb.
Sulphur.
Valeriana.

— *NERVORUM.*

Erigeron.
Lumbrici.
Oleum calidum.
Opopanax.
Sinapi.
Stœchas Arabica.
Sulphuris vapor.
Sal.
Thymus.

— *VESICÆ & RENUM.*

Galanga.
Glycyrrhiza.
Peucedanum.

DURITIES, VARI & PANI.

Abrotonum.
Acetum.
Cepa.
Cera.
Caricæ.
Ol. Ricini.

DURITIES MAMMARUM.

Chamæpitys.

Cupres-

Sinapi.
Thymus.
Tussilago.
Urticæ sem.
Uvæ passæ.

DYSURIA & STRANGURIA.

Cochlea Terrestris.
Corallium.
Crithmum.
Cupressus.
Cyperus.
Dauci Cretici sem.
Dictamnus Creticus.
Dracontium.
Eryngium.
Fumaria.
Graminis rad.
Meum
Peucedanum.
Trichomanes.

E.

EMETICA.

Asari rad.
Balanus myrepsica.
Chalcanthum
Elleborus albus.
Eruca.
Laureola.
Narcissus.
Raphani hort. rad.
rust. rad.
Sinapi.
Staphysagriæ sem.
Thlaspios rad.

EPHIALTES, vide *INCUBUS.*

ERRHINA.

Anemone.
Brassicæ succus.
Cardamomum.
Cepa.
Cyclamen.
Chalcanthum.
Elleborus albus.
Hedera.
Iris.
Laureola.
Marrubium album.
Mercurialis.
Piper.
Ptarmica.
Pyrethrum.
Sapo cum Succo Betæ.
Sinapi.

ERYSIPELAS.

Acacia.
Acetum.
Althæa.
Albumen Ovi.
Beta.
Brassica.
Cicuta.
Coriandrum.
Cupressus.
Lactuca.
Lumbrici.
Malva.
Matricaria.
Mentha.
Myrtus.
Oesypus.
Opium.
Papaveris albi calyces

Parietaria.
Pentaphylli rad.
Polygonum.
Pompholyx.
Portulaca.
Psyllium.
Rosa Veterum.
Rubi idæi flor.
Sal.
Sedum Majus.
Spongia.

EXCRESCENTIA.

Asa fœtida, silphium.
Corallium.
Gallæ.
Ostreorum testæ Ustæ.

— *In ULCERIBUS.*

Chalcanthum.
Plumbum elotum.

— *In OCULIS.*

Os sepiæ.
Sal.
Scordium.

EXPECTORANTIA.

Amygdalæ.
Anisi sem.
Avena.
Arum.
Allium.
Butyrum.
Cepa.
Enula campana.
Erysimum.
Faba.
Galbanum.

Mo-

Moschus.
Macis.
Nardus Indica.
Nigellæ sem.
Nux Moschata.
Petros. Maced. sem.
Peucedanum.
Piper.
Porrum.
Ruta.

FLATULENTUS TUMOR.

Alumen.
Cymini sem.
Iris.

FLUOR ALBUS & MENSIUM FLUXUS.

Fæx Vini.
Hypericum.
Ovum.
Pæoniæ sem.
Polygonum.
Portulaca.
Rhus.
Rosa Veterum.
Sedum majus.
Spongia.
ulta.
Stercus caprinum.
Salvia.
Tamarisci fol.

FRIGUS. RIGOR.

Abrotonum, ex oleo illitum.
Allium.
Aristolochia.
Asa fœt. silphium.
Balsamum seu opobalsamum.
Calamintha.
Conyza.
Costus.
Hedera.
Iris.

— *MEMBRI.*

Oleum Calidum.

FURUNCULI.

Caricæ.
Faba.
Furfur.
Fermentum.
Galbanum.
Sal.
Sapo.
Stercus Ovillum.
Puerorum.
Triticum mansum.
Urtica.

G.

GANGLIA.

Lumbrici.
Plumbi Lamina.

GANGRÆNA.

Asa fœt.
Cicer.
Galiopsis.
Iris.
Juglans.
Lupinus.
Petroselini herba.

— *GANGRÆNÆ CRUSTA.*

Panis.

GARGARISMA.

Mespilus.
Pentaphylli fol. & rad.
Sorbi fr.

GINGIVÆ LAXÆ & CORROSÆ.

Alumen.
Balaustia.
Cornu Cervi.
Gallæ.
Granati Cort.
Mastiche.
Pyrus.
Pompholyx.
Rubus.
Sal.

— *FLUXIONES ad GINGIVAS.*

Staphysagriæ herba.

GRACILITAS, vide *MACIES.*

H.

HÆMORRHAGIA & HÆMOPTŒ.

Acetum potu vel infessu.
Adianthum.
Aloe.

Androsæmum.
Aparine.
Albumen ovi.
Amylum.
Balaustia.
Betonica.
Bitumen.
Bolus armena.
Bulbocastanum.
Castaneæ nuces.
Cochlea terrestris.
Consolida major.
Corallium.
Chalcanthum.
Cornu cervi.
Cupressus
Cydonia malus.
Cynosbati succus.
Dactyli.
Equisetum.
Erigeron.
Faba.
Ferrum.
Galium luteum.
Glastum.
Glycyrrhiza.
Granati cort.
G. Arabicum.
Juniperi.
Hypericum.
Hypocistis.
Lysimachia.
Mentha.
Mespilus.
Millefolium.
Mastiche.
Nymphæa alba.
Opium.
Ovi testæ ustæ.
Olibanum.
Polygonum.
Portulaca.
Pini Cortex.
Persicæ mali fol.
Pini nuclei.
Polium.
Polygonum.
Portulaca.
Ruta.
Resina fricta.
Rhus.
Rosa veterum.
Rubus & ejus cauliculi.
Rubi fruct. immat.
Spongia.
usta.
Sevum ovinum.
Sang. Drac. v. Cinnab. *Diosc.*
Stercus equinum.
asininum.
Salix.
Salvia.
Tritici farina.
Urtica.

HÆMORRHOIDES APERIENTIA.

Cepa.
Cyclamen.

HÆMORRHOIDUM FLUXUS.

Ferrum.
Rhus.
Umbilicus Veneris.

HEPATIS OPPILATIO, vide *ICTERUS.*

Agrimonia.
Asa fœtida, silphium.
Asari rad.
Balanus myrepsica.
Betonica.
Capparidis fr.
Epithymum.
Fumaria.
Gentiana.
Piper.
Rhabarbarum.
Satureia cum ficubus.
Thymus cum ficubus.

HERNIA.

Balaustia.
Cupressus.
Granat. cort.
Pentaphylli fol.
Psyllium.

HERPES.

Acacia.
Acetum.
Brassica.
Chelidonium majus.
Lini sem.
Minium.
Pentaphylli fol.
Rubus.

HIRUDINES HAUSTÆ.

Acetum.
Allium.

HORDEOLUM, vide *OCULORUM MALA.*

HYDROPHOBIA, vide *CANIS RABIDI MORSUS.*

HY-

HYDROPS.

Allium.
Asa fœtida.
Aqua marina.
Asari rad.
Betonica.
Cantharides.
Cicer.
Cochlea terrestris.
Cucum. sylv. rad. succus.
Cyperus.
Ebulus rad.
Elleborus albus.
nigér.
Grana Cnidea.
Kali.
Mezereon.
Nitrum.
Polium.
Rhabarbarum.
Ruta.
Sapo.
Scilla.
Sinapi.
Tithymalus.
Tritici acervus.
Umbilici Ven. fol. cum rad.
Urina.
Vinca pervinca.
Cornu Cervi.
Crithmum.
Cyclamen.
Chelidonium maj.
Cicer.
Costus.
Cymini sem.
Elaterium.
Erygeron.
Erysimum.
Hyacinthus.
Iris.
Lapathum.
Lauri baccæ usu externo.
Lombrici.
Marrubium alb.
Meum.
Millepedæ.
Nardus Celtica.
Indica.
Nigellæ sem.
Nitrum.
Pæoniæ rad.
Pentaphylli rad.
Petroselini vulg. sem.
Polium.
Rha.
Rosa Damasc.
Rosmarinus.
Rubia Tinct.
Ruscus.
Sal.
Salvia usu externo.
Scilla.
Stercus caprinum.
Sabina.
Tamarindi.
Verbena.

I.

ICTERUS.

Calamintha.
Chamæmelum.
Chamæpitys.
Colocynthis.
Conyza.

ICTUS.

Faba.

INCUBUS.

Elleborus albus.
Pæoniæ sem.

INFLAMMATIO.

Acetum.
Althæa.
Anagallis.
Anethum.
Asa fœt.
Axungia.
Adeps suillus:
Adeps idem cum spuma argenti.
Anserinus.
Brassica.
Bryonia.
Butyrum.
Consolida maj.
Coriandrum.
Cydonia malus.
Cymini sem.
Ebuli fol.
Elatine.
Erigeron.
Fæx Vini.
Faba.
Fænugræcum.
G. Arabicum.
Hyoscyamus.
Juglans.
Lactuca.
Lauri fol.
Lens.
Lilii rad.
Lini sem.
Malva.
Mala austera:
Myrtus.
Oesypus.

Ol.

Sal.

Sal.
Scordium.
Viola.

— *INFLAMMATIO.*

Urticæ sem.

LEPRA.

Acetum.
Aerugo.
Album.
Alumen.
Anemone.
Balanus myrepsica.
Brassica.
Bryonia.
Calamintha.
Cantharides.
Cochleæ terrest. ustæ.
Cucumeris sylv. rad.
Elleborus albus.
——— niger.
Fel.
Lapathum.
Lilii rad.
Lepidium.
Myrobalani.
Mezereon.

LETHARGUS.

Castoreum.
Cepa.
Elleborus alb.
Peucedanum.
Ruta.
Sinapi.
Sulphuris vapor.

Thymus.
Urtica.

LIEN OBSTRUCTUS vel INDURATUS.

Acorum.
Adianthum.
Agrimonia.
Balanus myrepsica.
Betonica.
Brassica.
Bryonia.
Capparidis fr.
Chamædrys.
Corallium.
Cyclamen.
Epithymum.
Ferrum.
Filix mas.
Gallæ.
Glastum.
G. Ammoniacum.
Hedera.
Iris.
Lapathum.
Marrub. alb.
Nasturtium.
Peucedanum.
Piper.
Pulegium.
Raphani hort. rad.
Rhabarbarum.
Rhus.
Rubia Tinct.
Sagapenum.
Satureia.
Scilla.
Sena.
Sinapi.
Tamarisci fol. rad. & ramiculi.
Thymus.

— *FLATUOSUS.*

Furfur usu externo.
Sulphur.

LUMBRICI.

Abrotonum.
Absinthium.
Cepa.
Coriandrum.
Costus.
Chalcanthum.
Enula campana.
Erigeron.
Filix mas.
Hyssopus.
Juglans.
Iris.
Lupinus.
Myrrha.
Mala dulcia.
Mentha.
Mercurialis.
Nasturtium.
Nigellæ sem.
Persici mali fol.
Portulaca.
Ruta.
Sal.
Sedum majus.
Tithymalus.
Thymus.

LUXATA.

Brassica.
Narcissus.
Polypodium.
Psyllium.
Sal.
Serum pecudum.

Mar-

Marrubium alb.
Meum.
Myrrha.
Nasturcium.
Nigellæ sem.
Nardus Indica.
Oesypus.
Opobalsamum.
Opopanax.
Piper.
Petroselini maced. sem.
——— vulg. sem.
Pæoniæ rad.
Polium.
Porrum costum.
Pulegium.
Pini corr. in suffitu.
Ruscus.
Ranunculus.
Rubia Tinct.
Ruta.
Salvia.
Scœnanthus.
Scordium.
Sinapi.
Stercus caprinum.
Sœchas arabica.
Styrax calamita.
Sium.
Sabina.
Sagapenum.
Sambuci fol.
Thlaspi.
Thymus.
Tussilago.
Valeriana.

MICTUS SANGUINIS.

Bulbocastanum.
Galbanum.

MORBUS ATTONITUS.

Bryonia.
Elleborus albus.
Grana Cnidia.

N.

NAUSEA.

Absinthium.
Acetum.
Acorum.
Aloe.
Arum.
Capparis fr.
Lactuca.
Oxylapathi sem.
Sal.

— *PRÆGNANTIUM.*

Vinum.

NERVORUM DOLOR. vide *DOLOR NERVORUM, VULNERA & PUNCTURÆ.*

Calx lota.
Chamæpitys.
Chamæmelum.
Cochlea terr.
Dictamnus cret.
Dracontium.
Equisetum.
Euphorbium.

O.

OBESITAS.

Absinthium.
Aristolochia.
Gentiana.

OCULORUM SUFFUSIONES seu CATARACTA.

Cyclamen.
Euphorbium.
Fel.
Myrrha.
Nigellæ Sem.
Sagapenum.

— *INFLAMMATIO,* vel *OPTHALMIA, EPIPHORA & FLUXIONES ad OCULOS.*

Albumen ovi.
Amylum.
Cicuta.
Cupressus.
Cochleæ terr. ust.
Cornu Cervi
Chalcanthum.
Colocynthis.
Ferrum.
Fœnugræcum.
Gentiana.
Hypocistis.
Oesypus.
Opium.
Ol. Omphacinum.
Petroselini herba.
Psyllium.
Pompholyx.
Pyrethrum.

Plan-

P.

P.

PALPITATIO CORDIS & PALPITATIONES.

Castoreum.
G. Juniperi.
Kermes.
Moschus.
Melissa.
Nux Moschata.
Pyrethrum.
Rosa Damasc.
Santalum rubr.

PANI vid. *PANUS* inter *CUTIS VITIA*.

Abrotonum.
Acetum.
Caricæ.
Cepa.
Cera.
Coriandrum.
Eryngium.
Galiopsis.
Gallæ.
G. Ammoniacum.
Lupinus.
Ol. Ricini.

PARALYSIS & STUPOR.

Asa fœt. silphium.
Capparis fr.
Cardamomum.
Castoreum.
Cepa.
Colocynthis.
Costus.
Ol. calidum.
Peucedanum.
Rubia Tinct.
Sagapenum.
Salvia.

PARAPHYMOSIS.

Mel.

PAREGORICA & NARCOTICA.

Castoreum.
Hyoscyamus.
Iris.
Lactuca.
Labdanum.
Melissa.
Opium.
Papav. rubri fol. & capitula: Albi cap. & fol.
Styrax Calamita.
Violæ flor.

PARONYCHIA.

Eboris scobs.
Gallæ.
Iris.
Myrtus.

PAROTIS, vide STRUMÆ.

Aq. marina.
Butyrum.
Cucum. sylv. rad.
Ebuli rad.
Eryngium.
Erysimum.
Faba.
Galiopsis.
Iris.
Lini sem.
Ostreor. testæ ust.
Os sepiæ.
Psyllium.
Stercus caprinum.
Urtica.
Viscum.

PARTUS DIFFICILIS.

Adiantum.
Alumen.
Aristolochia.
Arum.
Betonica.
Bitumen.
Bryonia.
Castoreum.
Chamæpitys.
Cicer.
Cyclamen.
Dauci cretici sem.
Dictamnus cret.
Dracontium.
Fel.
Galbanum.
G. Ammoniacum.
Iris.
Kali.
Peucedanum.
Sulphuris vapor.

PECTORALIA & PECTORIS INFLAMMATIO.

Psyllium.
Thymus.
Viola.

PTE-

PTERYGIA.

Acacia.
Acetum.
Alumen.
Bryonia.
Glycyrrhiza.
Marrubium alb.
Myrtus.

— *DIGITORUM.*

Pentaphylli rad.
Tithymali Lac.

PUDENDI INFLAMATIO.

Artemisia.
Adeps suillus.
Leucoium luteum.
Lilii flos
Lini sem.
Matricaria.
Myrtus.
Nardus Indica.
Psyllium.
Schœnanthus.

— *ULCERA.*

Alb. Ovi.
Lithargyrus.
Malva.
Myrtus.
Pompholyx.
Pini cort.
Plumbum elotum.
Polygonum.

— *INFLATIO & DURITIES.*

Opopanax.
Pulegium.
Pix liq.
Styrax calamita.

— *PROCIDENTIA.*

Gallæ.
Rhus.
Urtica.

— *FLUXIONES.*

Cornu Cervi.
Nardus Indica.

— *SUFFOCATIO.*

Moschus.

PURGANTIA.

Asari rad.
Aq. marina.
Brassica.
Colocynthis.
Cucum rad. succus.
Cyclamen.
Dracontium.
Elaterium.
Ebuli fol.
Elleborus niger.
Grana Cnidia.
Iris.
Kali.
Lathyrus.
Laureola.
Mezereon.
Ricinus.
Sambuci fol.
Sapo ut suppositorium.
Sarcocolla.
Scammonii rad.
Tithymali Lac.
Ulmi cort.

R.

RAUCEDO.

Asa fœtida.
Brassica.
Glycirrhiza.
G. Cerasorum.
— Tragacantha.
Hordeum.
Styrax Calam.
Uvæ passæ.

RENUM *DOLORES.*

G. Tragacantha.
Meum.
Pœoniæ rad.
Ruscus.

— *EXULCERATIONES & ROSIONES.*

Albumen Ovi.
Nuclei Pini.

RESOLVENTIA.

Adeps Anserinus.
Bryonia.

RUCTUS ACIDI
vide Lit. F.

S.

SCIRRHUS.

Cucum. sylv. rad. succus.
Dracontium.
G. Ammoniacum.
Medulla.

Sapo.

Sapo.
Sedum min. acre.
Stercus bovinum.
—— columbinum.
Styrax calam.
Sulphur.

SUDORIFERA.

Cassia veterum.
Chamæmelum.
Chamæpitys.
Costus.
Cymini sem.
Ficus recentes.
Iris.
Nardus Indica.
Nitrum.
Opobalsamum.
Peucedanum.
Piper.
Polium.
Pulegium.
Pyrethrum.
Sulphur.
Vinum.

SUDOR GRAVEOLENS vel NIMIUS.

Myrrus.
Nardus Indica.
Oleum Omphacinum.
—— Olivarum.

SUGILLATA sub OCULIS & SUGILLATIONES. vide *CONTUSA.*

Abrotonum.
Absinthium.
Acetum.
Aloe.
Apii veter. sem.
Arum.
Aqua marina.
Brassica.
Bryonia.
Caseus recens sa situs.
Calamintha.
Cardamomum.
Faba.
Juglans.
Oesypus.
Persicaria.
Petroselini vulg. sem.
Parmica.
Raphani seu Radiculæ rad.
Rhus.
Sal.
Sinapi.

SUPPURANTIA.

Althæa.
Adeps suillus.
Butyrum.
Crocus.
Caricæ.
Farina triticea.
Galbanum.
Ol. Olivarum.
Olibanum.
Pix arida.
Resina Veterum.
Sarcocolla.
Viscum.

SUSPIRIA.

Epithymum.
Lauri fol.
Myrrha.

SYNCOPE.

Bitumen.
Cochlea terr.
Cydonia malus.
Melissa.
Panis.
Vinum.

— cum *STOMACHI ARDORE.*

Butyrum cum Oryza.

T.

TABES vide *PHTHISIS.*

Axungia.
Adeps suillus.
Betonica.
Branca ursina.
Bulbocastanum.
Ficus recentes.
Lauri bacca.
Marrubium alb.
Pix liquida.
Strobili Pini.

TELA EXTRAHENTIA vide *ACULEOS EXTRAHENTIA.*

TENESMUS vide *DYSENTERIA.*

TESTIUM *TUMOR.*

Aq. marina.
— *INFLAMMATIO* vide Litt. I.

TETANUS & OPISTHOTONOS.

Asa fœtida, silphium.

Vi-

Vitellus Ovi.
Vina dulcia.

V. & U.

VAPORES à STOMACHO CAPUT AFFLIGENTES.

Aloe.
Nux moſchata.

VARI.

Pulegium.
Sapo.

VENENA.

Aq. marina.
Albumen Ovi.
Butyrum.
Betonica.
Cardamomum.
Caſtoreum.
Chamæmelum.
Cyclamen.
Cymini ſem.
Dictamnus Creticus.
Eryngium.
Fœniculum.
Iris.
Juglans.
Juniperi baccæ.
Kali.
Lapathum.
Ligustici ſeu ſeſeleos ſem.
Naſturtium.
Nigellæ ſem.
Nuces Piſtachiæ.
Opium.
Petroſelini vulg. ſem.
Piper.
Pix liquida.
Polygonum.
Pulegium.
Rha.
Ruta.
Raphani hort. rad.
Sulphur.
Sambuci folia.
Scordium.
Sal.
Scilla.
Stercus caprinum.
Sagapenum.

SCORPIONUM ICTUS.

Cyperus.
Hieracium.
Lapathum.
Lauri baccæ.
Lumbrici.
Meliſſa.

MURIS ARANEI MORSUS.

Hordeum.

PHALANGIORUM MORSUS.

Dauci cretici ſem.
Hyacinthis.

VESPARUM APUMQUE MORSUS.

Lauri folia.
——— baccæ.
Malva.
Marrubium album.
Meliſſa.

SERPENTUM MORSUS.

Lilii fol. & rad.

VIPERARUM ICTUS.

Bryonia.
Caſſia Veterum.
Chelidonium majus.
Coſtus.
Cyclamen.
Dictamnus Creticus.
Ebuli rad.
Enula campana.
Eryngium.
Peucedanum.

VENERI REFRAGANTIA, PRIAPISMUS & VENERIS INSOMNIA.

Lactucæ ſem.
Nux moſchata.
Nymphæa alba.
Plumbi Lamina.
Portulaca.
Ruta.
Salix.
Umbilicus Veneris.

VENEREM STIMULANTIA.

Naſturtium.
Rapum.
Sal.
Satyrion.
Scincus.

VENTRICULI FRIGUS, vide *STOMACHUM ROBORANTIA* &c.

DEBILITAS, vide *STOMACHUM ROBORANTIA*

VE-

VERRUCÆ.

Cantharides.
Dipsaci rad.
Elleborus niger.
Iris.
Ranunculus.
Sal.
Scilla.
Stercus ovilium.
Tithymali Lac.

VERTIGO.

Beta.
Bryonia.
Colocynthis.
Elleborus albus.
Galbanum.
Peucedanum.
Stercus columbinum.

VESICÆ DOLOR, SCABRITIES & EROSIO.

Amylum.
Cornu cervi.
Glycyrrhiza.
G. Tragacantha.
Malva.
Meum.
Nuclei Pini.
Opopanax.
Pæoniæ rad.

VIGILIÆ.

Aristolochia.
Brassica.
Iris.
Papav. capita usu externo.
——— albi folior. & capitum decoctum usu interno.

ULCERA, in genere.

Aloe.
Alumen.
Balaustia.
Brassica.
Bryonia.
Filix mas.
Granati Cortex.
Iris.
Lithargyrus.
Lysimachia.
Lilii fol.
Lupinus.
Minium.
Millefolium.
Oesypus.
Ol. Olivarum.
Opobalsamum.
Pix liquida.
— arida.
Peucedanum.
Porrum.
Rubus.
Sabina.
Sambuci folia.
Spongia.

— *ACHORES*, dicta.

Fœnugræcum.

— *PHAGEDÆNICA & SERPENTIA.*

Aerugo.
Amygdalæ amaræ.
Beta.
Brassica.
Butyrum.
Cicuta.
Caricæ.
Calx viva.
Capparidis rad.
Coriandrum.
Cupressus.
Fel.
Ferrum.
Gallæ.
Gentiana.
Galiopsis.
Marum.
Pentaphylli rad.
Polygonum.
Parietaria.
Sabina.
Sal.
Stercus caprinum.
Verbena.

— *SORDIDA MALIGNA & PUTRESCENTIA.*

Aerugo.
Chamæpitys.
Cicer.
Faba.
Chalcanthum.
Glastum.
Galiopsis.
Gallæ.
Hedera.
Hordeum.
Iris.
Mel.
Marrubium nigrum.
Mezereon.
Narcissus.
Nitrum.
Pompholyx.
Plumbum elotum.
——— ustum.
Polium.
Rha.
Rhus.
Staphysagriæ sem.
Stercus caninum.

Sa

Sabina.
Scordium.
Salvia.
Thereb. Veter. e Chio nostra.
Urina.
Urtica.
Verbena.
Verbascum.

— *ORIS & GULÆ*, vide ad Litt. O.

Aerugo.
Acaciæ.
Cyperus.
Chalcanthum.
Glycyrrhiza.
Gallæ.
G. Arabicum.
Leucolum luteum.
Myrtus.
Malva.
Robur.
Rhus.
Rosa Veterum.

— *VESICÆ*.

Graminis rad.

— *AURIUM & NARIUM*.

Hedera.

— *VETERA* vel *DIUTURNA*.

Fel.
Vinum.
Viscum.

— *HUMIDA & MANANTIA*.

Hypericum.
Lauri baccæ.
Malva.
Olibanum.
Os sepiæ.
Scilla.
Urina.
Vinum.

— *INTERNA & VISCERUM*.

Hypocistis.
Resina Lar. Veter. seu Thereb. nostra.
Rosa Veterum.

— *PULMONIS & RENUM*.

Mel.

— *CAPITIS*.

Creta.
Mentha.

— *GENARUM*.

Elaterium.

— *DYSEPULOTICA*.

Lens.
Leucoium luteum.

— *ÆGYLOPES* dicta.

Malva.

— *SINUOSA*.

Mel coctum.

— *FAVI* dicta.

Nasturtium.

— *ANI & PENIS*.

Adeps suillus.
Fel.
Hypocistis.

— *NERVORUM*.

Vinum.

— *OCULORUM*.

Rosa Veterum.

ULCERUM DURITIES.

Cera.
Ol. Ricini.
— Vetus.

— *VERMES*.

Salvia.

UNGUES SCABRI.

Cupressus.
Gallæ.
Lapathum.
Ranunculus.

VOMITUS.

Anethum.
Anisi sem.
Betonica.
Cydonia malus.
Dactyli.
Faba.
Gentiana.

Mala-

AP-

APPENDIX

Exhibens CONSPECTUM SYNOPTICUM VIRIUM, in præcedenti opere SIMPLICIBUS INSIGNIORIBUS adſcriptarum (unde ſuccedanea facile ſuppeditanda;) itidemque CORALLARIA & CAUTELAS PRACTICAS.

PRÆFATIO.

Facta retroſpectione Hiſtoriæ præcedentis Virium, Simplicibus a Veteribus & Recentioribus adſcriptarum, non dubito, quin harum multæ, ſigillatim contemplatæ, admodum incertæ videbuntur: attamen in re, tam obſcura, fatendum, Simplicia, qualitatibus iisdem ſenſibilibus prædita, vires quoque ſimiles poſſidere, unde, ubi Virium Conſenſus adeſt, ut plerumque fit, Teſtimonium tanto fit validius erit.

Propterea credidi, me huic operi utiliorem Appendicem adjungere non potuiſſe, quam in qua Simplicia inſigniora ad certas *CLASSES* redigerentur, tum reſpectu qualitatum Senſibilium, tum Virium, iis uſu externo & interno attributarum, utpote non parum lucis affundentes eorum agendi methodo, nec non campum amplum ſuccedaneorum, in praxi medica utiliſſimum, exhibentes.

FLOY-

FLOYERUS noster conabatur Vires has explorare præcipue Sapore: hoc autem feliciori successu præstitit WEDELIUS in sua *THEORIA SAPORUM MEDICA*, ubi Sapores Medicamentorum distinguit in 1. *ACIDUM*, 2. *AUSTERUM*, 3. *DULCEM*, 4. *ACREM*, 5. *AROMATICUM*, 6. *PINGUEM*, & *OLEOSUM*, 7. *SALSUM*, 8. *TERREUM*.

Hunc sequutus & lubenter fateor, ab eo plura mutuatus sum, nisi quod *SALSA* sub *ACRIBUS* comprehenderim, & aliquot Classes, ab eo omissas, adjecerim, utpote Medicamentorum, Viribus Singularibus præditorum, qualia sunt 1. *FARINACEA* & *MUCILAGINOSA*, 2. *BALSAMICA* & *RESINOSA*, 3. *FRAGRANTIA*, 4. *FOETIDA* & *GRAVEOLENTIA*, quorum Singulis annexæ sunt uno conspectu Vires, iis adscriptæ Testimoniis Antiquorum & Neotericorum.

Harum Virium singulam contemplatus sum in sua simplicitate, haudquaquam Combinationes manifestiores, V. G. Acidi cum Austero & Dulci, Amari cum Aromatico & Austero, Dulcis cum Austero, negligens, unde, ut spero, multum lucis affundetur & commodi ad intelligendas Medicamentorum cujusque Classis Operationes.

CLAS-

CLASSES MEDICAMENTORUM.

I. Secundum Illorum *QUALITATES SENSIBILES*, &

II. Juxta Eorum *OPERATIONES SENSIBILES.*

CAPUT PRIMUM.

CLASSES MEDICAMENTORUM,

Secundum *ILLORUM*

QUALITATES SENSIBILES.

SECTIO I.

De ACIDIS & HORUM AFFINIBUS.

1. *ACIDA.*

Acetosæ fol.
Acetosella.
Acetum.
Aurantiorum succus.
Berberis fr.
Cerasa.
Citriæ mali succ.
Corni fr.
Grossularia.
Lac acidum.
Limonum succ.
Lysimachiæ luteæ fol.
Tamarindi.
Tartarum.
Vaccinia Palustria.

2. *SUBACIDA.*

Portulaca.
Sedum maj. & min. luteum.
Umbilicus Veneris.

3. *ACIDO-DULCIA.*

Cydoniorum } fr. matur.
Corni }
Cynosbati fr. putridus.
Fragariæ fr.
Jujubæ.
Mespili fr. putrid.
Mori fr. maturus.
Persicæ mali fr.
Pomum.
Pruna Brignolensia.
—— Gallica.
Ribesia.
Rubi fr. maturus.
—— Idæi fr.
Sambuci baccæ.
Uvæ passæ majores.
Vaccinia nigra.

4. ACIDO-AUSTERA.

Grossulariæ fr. immat. Pruni sylv. fr. Vaccin. nigr. fr. immat.
Pini fol. Juniora. Sumach.

5. ACIDO-AMARA.

Alkekengi baccæ.

De Acidis in sua Simplicitate hæc præcipue notanda:

1. Acida Vegetabilia nativa pleraque fixa sunt, in destillatione non adscendentia.

2. Inter fermentandum in primis viis saporem suum singularem amittunt.

3. Acidi sapor gustum ferit citra sensum caloris. Acida sitim sedant & cruditati nidorosæ succurrunt, necnon pituitam incidunt.

4. Stomacho grata sunt, in febribus biliosis, ardentibus & putridis sanguinis fervorem compescunt, ac bilis acrimoniam corrigunt.

5. Antiseptica sunt, putridamque diathesin in primis viis corrigunt: hinc omnia Acida sunt anthelmintica, quatenus putredini resistunt.

6. Vim habent leviter adstringendi, repercutiendi & discutiendi.

7. Erodendi quoque facultate gaudent non tantum Acida mineralia, sed & vegetabilia, quod bene notum de Aceto quoad metalla, lapides & corra. Succus Citri, nimia copia ingestus, ventriculum rodere in aprico est, & notatur, succum Limonum aphthas in Ventriculo effecisse. Hinc forte monet *F. Hoffmannus* ab Acidis abstinendum esse in diarrhœis, dysenteriis & cholera cum calore febrili, & potius diluentibus, gelatinosis & mucilaginosis utendum.

His *Mollitis* plerumque congrua sunt supra prolata de Viribus Vegetabilium, quæ sub Articulis Sequentibus enumerabo.

1. Sitim Sedant & æstum temperant in morbis biliosis & Febribus putridis,

Acetosa.	Berberis fr.	Tamarindi.
Acetosella.	Cerasa.	Tartarum.
Acetum.	Citriæ mali fr.	Vaccinia palustria.
Aurant. succ.	Corni fr.	Sedum majus.

2. Appetitum excitant & nauseam curant, præcipue a cruditate nidorosa.

Acetosa.
Acetum.
Cerasa.
Citriæ mali succus.

3. Antiseptica sunt.

Acetosa.
Acetum.
Aurantiorum succus.
Berberis fr.
Cerasa.
Tamarindi.
Limonum succus.
Tartarum.

4. Subadstringentia sunt & in Vomitu ac Diarrhæa biliosa commendantur.

Acetum.
Berberis fr.
Citriæ mali succus.
Limonum succus.
Portulaca.
Sedum majus.
——— minus luteum.

5. Discutientia & Incidentia.

Acetum, præsertim Vapore.
Cerasa.
Citriæ mali succus.

6. Contra Obesitatem Commendantur.

Acetum.
Berberis succus.

7. Diuretica sunt.

Tamarindi.
Limonum succus.
Tartarum.

8. Sudorifera.

Acetum.

9. Acidis Affinia, quatenus Lac Coagulantia vel Inspissantia, sunt

Acetum.
Alumen.
Bistorta.
Gallæ.
Gallium luteum.
Lapis Hibern. ditior.
Mel.
Opobalsamum.
Oxylapathi sem.
Picis liq. infusum.
Pruni sylv. fr.
Saccharum brun.
Sedum majus.
Spiritus Vini.
Sinapi.
Therebinth. Argentor.
Verbascum.
Trifolium album.
——— Cæruleum.
Ulmariæ rad.

10. Albumen ovi vel Serum sanguinis coagulant.

Aerugo.	Calx viva.	Pruni sylv. fr. coagulat Sanguinem & Salivam.
Adianthum alb.	Caryophyllatæ rad.	Sambuci baccæ.
Agrimonia.	Cydonia immatura.	Spiritus Vini.
Alumen.	Geranium Robert.	Trichomanes.
Argentina.	Hypericum.	Vitriolum album.
Bistorta.	Mespili fr. immat.	——— Cæruleum.
Berberis fr.	Opium in aq. solutum.	

11. Cum Acidis, Succo, Infuso vel Decocto fluidiora vel Fluiditatem retinentia & proinde Acidis Affinia sunt Sequentia.

[N.B. Exhibeo hic tantum Criteria præsentis Acidi certiora, & omitto Experimenta cum Charta cærulea & solutione Heliotropii instituta, supra suo loco recensita, quæ, ut opinor, aliquantulum incerta vel ambigua sunt.]

Acetosa.	Eupator. cannab.	Pruni sylv. fr.
Adianthum album.	Filicis maris rad.	Rubi fol.
Agrimonia.	Geranium Robert.	Salvia agrestis.
Androsæmum.	Hypericum.	Sanicula.
Aparine.	Oxylapathi rad.	Scabiosa.
Argentina.	Parietaria.	Sedum majus.
Beccabunga.	Pentaphyllum.	Tormentillæ rad.
Bistorta.	Phyllitis.	Vitriolum viride.
Caryophyllatæ rad.	Plantag. latif. fol. & rad.	Ulmaria.
Erigerum.	Pæoniæ fl.	Umbilicus veneris.

12. His addere placet Criteria præsentis Salis Alcalini in aliquot Vegetabilibus, supra suo loco recensita, utpote quoque Certiora, quam color inde Viridescens, Chartæ cæruleæ, vel quæ solutione Heliotropii aut Violarum Syrupo instituuntur, itaque,

Cum Acidis spissiora fiunt, sed cum Alcalinis fluidiora, institutis Similibus Experimentis ac in præcedentibus.

Anonis.	Erysimum.	Ovi Albumen.
Artemisia.	Hypposelinum.	Pulegium
Borax.	Hyoscyamus.	Ruta.
Borago.	Linum catharticum.	Sambuci fol. & fl.
Centaurium minus.	Marrubium nigr.	Scrophulariæ nod. & fœt. rad.
Cynoglossum.	Melilotus.	Saccaris.
Dulcamaræ fol.	Origanum.	

Hinc:

Hinc obſervatio deducitur non inutilis in Praxi, nempe quod mox recenſita cum Alcalinis congruam Mixturam efficiant, necnon quod, vel per ſe, vel cum Alcalinis combinata, in prædominante Acido commode exhiberi poſſint.

S E C T I O II.

De AUSTERIS & ACERBIS.

Auſtera ab Acerbis differunt tantum intenſiore ſeu majore gradu.

Acida, Amara & Dulcia, juxta ſe invicem poſita & collata, Operationibus ſuis reſpectivis illuſtrandis egregie inſerviunt, quare primo loco Acidis ſubjungi debent; cum autem Auſtera & Acerba Acidis affinia ſint & *Wedelius* recte ſtatuat, quod Acerba fiunt ab Acido terreo intime coadunato, unde, eorum Solutioni additum Alcali Terram præcipitat, hæc præmittere lubet Amaris & Dulcibus.

1. *AUSTERA & ACERBA.*

Alchimilla.
Acacia.
Alumen.
Anchoſæ rad.
Aquilegiæ ſem.
Argentina.
Balauſtia.
Biſtortæ rad.
Cynosbati fr. immat. ſpongia & rad.
Corni fr. immat.
Cupreſſi fol. & fl.
Equiſetum.
Geranium Rob.
Granati cort.
Hypericum.
Hypociſtis.
Lap. Hibernicus.
Lignum Campech.
Lyſimachia.
Mala ſylv.
Mori fr. immat.
Myrobalani toſtæ.
Meſpili fr. immat.
Nymphææ albæ rad.
Pentaphylli rad.
Phyllitis.
Pini cort. & fol. juniora.
Pruni ſylv. fr.
Pyrus ſylv.
Quercus fol. & cort.
Roſa rubra.
Rubi fol. & fr. immat.
Salicis fol. & cort.
Sorbi baccæ immat.
Sumach.
Terra japonica.
Trichomanes.
Tamariſci cort.
Tormentillæ rad.
Ulmi cort.
Vitriolum album.
——— Cæruleum.
——— Viride.

2. *SUBADSTRINGENTIA.*

Bugula.
Caryophyllus ruber.
Coccinella.
Cydoniorum fr.
Dictamnus cret.
Elaterium.
Euphraſia.
Fragariæ fol.
Gallium lut.

Lap. Hæmatit.	Marum, Mastichen olens.	Tussilago.
Horminum.	Mentha.	Verbascum.
Jacobæa.	Rubiæ Tinct. rad.	Verbena.
Juniperi fol.	Salvia.	Vinca pervinca.
Kermes fr.	Santalum rubr.	Virga aurea.
Lamium alb.	Scabiosa.	Veronica.
Lavendula.	Serpillum.	Visci querc. cort. cum (ligno.
Lauri fol.	Tamarisci fol.	Umbilicus Veneris.
Lupulus.	Tanacetum.	Urticæ fol.

3. *ADSTRINGENTIA BALSAMICA.*

Abies.	Cupressus.	Juniperi fol.
Androsæmum.	Filipendula.	Myrtus.

4. *ADSTRINGENTIA AROMATICA.*

Agrimonia.	Caryophyllatæ rad.	Kermes fr.
Betonica.	Cydonia mala.	

5. *ADSTRINGENTIA DULCIA* vel *SUBDULCIA.*

Adianthum album.	Equisetum.	Phyllitis.
Aquilegiæ fol. & fl.	Filicis mar. rad.	Terra japonica.

Vis adstringens detegitur gustu, sed aliquando minus evidens fit admistione Vitrioli martis, unde color nigrescens inducitur vel in debilioribus viridescens aut viridis, quod, ut reor, ab acidi prædominio dependet. Hinc subjungo Catalogum fortiorum & debiliorum Adstringentium juxta supra recensita experimenta. Sic

1. Cum Vitriolo Martis nigrescunt, cærulescunt vel coloris fusci fiunt secundum vim adstringendi.

Acacia.	Balaustia.	Dictamnus creticus.
Adianthum album.	Bistorta.	Elaterium.
Agrimonia.	Caryophyllatæ rad.	Equisetum.
Aloë.	Caryophylli arom.	Euphrasia.
Anchusæ rad.	Caryophyllus ruber.	Fabæ cort.
Aparine.	Coccinella.	Filipendulæ fol. & rad.
Aquilegiæ sem.	Cinnamomum.	Fragariæ fol.
Argentina.	Cynosbati spongia rad. & fl.	Geranium moschatum.

Gra-

Granati cort.
Hypocistis.
Iridis vulg. rad.
—— albæ Florent. rad.
Juglandis putamen Viride.
Lapathorum sem.
Lignum Campech.
Lupulus.
Lysimachia Spicata purp.
Majorana.
Myrti folia.
Nymphææ alb. rad.
Oxylapathi rad.
Pentaphyllum.
Phyllitis.
Piper Jamaic.
Pæoniæ rad.
Polygonii rad.
Quercus cort. lign. & glans.
Rhabarbarum.
Rhapontici rad.
Rosa rubra.
Rubi fol. & fr. immat.
Salicis cort.
Sedum minus luteum.
Tamarisci cort.
Terra japonica.
Tormentillæ rad.
Virga aurea.
Ulmi Cortex.
Umbilici sem. & summit.
Urticæ fol.

2. Cum Vitriolo Martis Viridia fiunt sequentia, plerumque vim adstringendi debiliorem indicantia,

Abietis fol.
Abrotonum mas.
Absinthium.
Acetosæ rad. & sem.
Androsæmum.
Artemisia.
Bardanæ rad.
Betonica.
Bugula
Calamintha.
Caprifolii fol. & fl.
Chamæmelum.
Conyza.
Cort. peruv.
Cotula fœtida.
Cupressi fol. & fr.
Dulcamaræ fol.
Filicis mar. rad.
Fumaria.
Gallium luteum.
Hederæ baccæ.
Hedera terr.
Horminum.
Hypericum.
Hyssopus.
Jacobæa.
Ipecacoanha.
Juglandis fol.
Juniperi fol. & baccæ.
Lamium album.
Lavendula.
Lauri fol.
Ligustri fol. & fl.
Lysimachea lutea.
Malabathrum.
Marrubium alb.
Marum Syriacum.
Matricaria.
Melissa.
Mentha.
—— piperis sapore.
Menthastrum.
Millefolium.
Origanum.
Nepeta.
Petasitidis rad.
Plantag. angustif. fol. & rad.
Pimpinell. saxifr. rad.
Polium.
Polygonum.
Polypodii rad.
Populi nigræ fol.
Primulæ veris fl.
Prunella.
Ptarmicæ fol. & fl.
Rosmarinus.
Sambuci fol.
Salicis fol.
Salvia hort. & agr.
Sanicula
Santalum rubrum.
Satureia.
Scordium.
Scrophularia aquatica.
Serpyllum.
Stœchas arabica.
Succisæ fol.
Tanacetum.
Thymus.
Tormentilla.
Trichomanes.
Tussilago.
Verbena.
Veronica mas.
Vinca pervinca.
Virga aurea.
Visci querc. cort. cum ligno.

No-

Notandum, quod Adstringentia longe magis antiseptica sint, quam sal marinus, quoniam fibras corrugent, earumque vim cohærendi augeant, ac obinde motum intestinum & putrefactionem inhibeant.

De Austeris & Acerbis hæc præcipue ex *Wedelio* & *F. Hoffmanno* notanda.

1. Adstringunt, poros coarctant, humores coagulant, hinc repellunt in Hæmorrhagiis usu externo & interno, in sudore nimio & omnibus fluxibus cum calore, atque in Inflammationibus & Erysipelate refrigerant. Prudentia vero opus est in illorum exhibitione; fluxus enim moderari potius sæpe desideretur, quam sisti: &, ubi cum humorum evacuatione adest vel eorundem Copia aut vasorum Obstructio, minus prosint adstringentia, sed in priore casu sanguinis missio, vel Catharsis, in altero Aperientia præmittenda sunt.

2. In Laxitatibus tonum fibrarum roborant & principem inter Cicatrizantia locum possident. Audi de usu Herbarum Vulnerariarum quæ habet *F: Hoffmannus:*

Horum decocta non modo in Vulneribus, Erosionibus & continui Solutionibus quibuscumque valent, sed & in quibusdam morbis chronicis, Scorbuto, Cachexia & Calculosis passionibus insignem ferunt opem, quando nempe a tono viscerum & glandularum dejecto & humorum stagnatione oriuntur; speciatim eorum usus in Infuso prodest in calculosis Renum concrementis ex nimis laxis vel ulceratis renibus.

Pariter in involuntario Urinæ Stillicidio tam in pueris quam in senibus ejusmodi Infusa expertæ esse efficaciæ idem testatur mox laudatus *Hoffmannus*.

3. Antiseptica sunt & quidem magis quam sal marinus, speciatim in Ulceribus humidis & putridis; siccantia in febribus malignis, sanguinis Orgasmum reprimendo & diathesin putridam corrigendo, rarefactioni & resolutioni sanguinis opposita. In Horum usu verum maxime attendatur ad Orgasmum humorum, nam in Hæmorrhagiis ac dysenteria his solis neutiquam fidendum sine evacuationibus ut V. S., Emeticis &c præmissis.

Hinc

Hisce prælibatis, recitare pergam & uno conspectu exhibere vires Simplicium adstringentium ex Veteribus & Modernis, quas non absolutas esse, quarumque actionem & successum pendere a circumstantiarum præsentium perpensione, credendum est.

1. In Dysenteria commendantur,

Alchimilla.	Lignum Campechianum.	Phyllitis.
Bistorta.	Lysimachia.	Rubi fr. immat.
Cupressi coni.	Mori fr. immaturus.	Terra japonica.
Equisetum.	Nymphææ albæ rad.	Tormentillæ rad.
Gallæ.	Pentaphylla.	

2. In Diarrhæa,

Alumen.	Gallæ.	Rubi fr. immat.
Bistorta.	Mespili fr. immat.	Terra japonica.
Cupressi Coni.	Pentaphylli rad.	Tamarisci cort.
Equisetum.	Phyllitis.	Tormentillæ rad.

3. In Vomitu,

Alumen.	Sorbi fr. immat.	Terra japonica.
Mali sylv. fr.		

4. In Mensibus nimiis & Leucorrhæa;

Alchimilla.	Filipendulæ rad.	Sorbi fr. immat.
Acacia.	Lysimachia.	Terra japonica.
Argentina.	Nymphææ alb. rad.	Tormentillæ rad.
Bistorta.	Quercus cort.	Ulmi cort.
Equisetum.		

5. In Herniis infantum,

Alchimilla.	Cupressi Coni.	Filipendulæ rad.

6. In Diabete & Urinæ Incontinentia,

Alumen.	Terra japonica.	Tormentillæ rad.
Bistorta.		

7. In Hæmorrhagiis, Hæmoptoe, Mictu cruento,

Alumen.	Quercus cort.	Terra japonica.
Hypericum.	Rubi fr. immat.	Tamarisci cort.
Pentaphylli rad.	Salicis cort.	Ulmi cort.
Phyllitis.		

8. In Gonorrhæa simplici.

Balaustia.	Nymphææ albæ rad.	Quercus cort.

9. Antiseptica sunt

Alumen.	Gallæ.	Rosa rubra.
Bistorta in febr. malignis.		

10. Diuretica,

Equisetum.	Quercus nuclei.	Pruni sylv. fr.

SECTIO III.

DE AMARIS.

1. *AMARA, in genere* sunt,

Absinthium.	Euphrasia.	Leucoii lutei fol. & fl.
Amygd. amar.	Fel.	Lupinus.
Carduus Bened.	Fuligo.	Persicæ mali fol. & fl.
Centaurium min.	Fumaria.	Saponaria.
Cichoreum sylv.	Genista.	Scorzonera S ccl.
Dentis Leonis rad.	Gentiana.	Succisæ fol.
Dypsaci fol.	Glastum.	Trifolium pal.
Endivia.	Hieracii rad.	

2. *AMARA AROMATICA.*

Ageratum.	Chamæpitys.	Marrubium alb.
Calamus aromaticus.	Eupatorium cannab.	Myrrha.
Chamæmelum.	Lauri baccæ.	Nardus Celt. & Ind.
Chamædrys	Limonum cort.	Polium.
Citreæ mali cort.	Lupulus.	Tanacetum.

3.

3. *AMARA FOETIDA.*

Aristolochiæ rad.
Cardiaca.
Marrub. nigr.
Matricaria.
Salvia agrestis.
Scordium.
Scrophulariæ nod. foet. fol.

4. *AMARA ADSTRINGENTIA.*

Cortex peruvianus.
Ligustum.
Veronica mas.
Verbena.
Vinca pervinca.

5. *AMARA DULCIA* vel *SUBDULCIA, SUBAMARA.*

Anonidis rad.
Bugula.
Dulcamaræ fol. & stip.
Pareiræ bravæ rad.
Rubiæ Tinct. rad.
Rusci rad.
Sarcocolla.

De *AMARIS* summatim *Wedelius* hæc habet,

1. Pleraque fixa sunt & in destillatione non adscendunt.

2. Amara Acidis contraria sunt; hæc enim refrigerant, illa calefaciunt. Amara, cum Acidis mista, motum intestinum concitant, diathesin acidam corrigunt, ita ut ab hac combinatione fieri videtur aliquid, salibus neutris simile a sale acido & alcalino; cujus rei egregium exemplum præbet Infusum florum Chamæmeli in vino rhenano, unde liquor salsus emergit similis solutioni salis marini.

3. Amara appetitum augent, in defectu & inertia bilis valent; Acida contra bilem nimis acrem corrigunt.

4. Amara quoque Dulcibus contraria sunt; Dulcia enim nutriunt: Amara deterunt & resolvunt, unde gemina fiunt obstructionum panacea, quippe Aperientia modica crassitie gaudere debent & ex particulis terrestribus constare, quæ non facile dissipantur, qualia sunt Amara, secus quam Rarefacientia.

Hæc confirmantur Recensione sequenti Summaria Virium Medicamentorum Amarorum insigniorum, & Experimentorum supra enarratorum. Scil:

1. Acidum corrigunt.

Absinthium.
Centaurium minus.
Gentiana.
Trifolium paludosum.

2. Ulcera Putrida &c detergent,

Absinthium.
Amygdalæ amaræ.
Carduus Benedictus.
Dens Leonis.
Dipsacus.
Euphrasia.
Fel.
Gentiana.
Glastum.
Leucoii lutei fl.
Lupinus.
Saponaria.
Succisa.
Trifolium paludosum.

3. Resolventia & Discutienta.

Absinthium.
Amygdalæ amaræ.
Carduus bened.
Centaurium.
Cichoreum sylv.
Fel.
Glastum.
Leucoii lutei fl.
Lupinus.
Saponaria.
Succisa.
Trifolium paludosum.

4. Deobstruentia usu interno.

Absinthium.
Amygd. amar.
Centaurium min.
Cichoreum sylv.
Dens Leonis.
Endivia.
Euphrasia.
Fumaria.
Gentiana.
Glastum.
Leucoii lutei fl.

5. Anthelmintica.

Absinthium.
Aloe.
Carduus bened.
Centaurium min.
Fel.
Gentiana.
Lupinus.
Persicæ mali fol. & fl.

6. Antiseptica.

Absinthium.
Aloe.
Carduus bened.
Gentiana.

7. Eccopotrica seu Purgantia leniora.

Absinthii succus copiosus.
Aloe.
Amygdalæ amaræ.
Centaurium.
Cichoreum sylv.
Fumariæ magna dosis.
Persicæ mali fol. & fl.
Saponariæ magna dosis.

8. Diuretica.

Absinthium.
Amygdalæ amaræ.
Centaurium min.
Cichoreum sylv.
Dens Leonis.
Endivia.
Fumaria.
Hieracii rad.
Lupinus.

9.

9. Diaphoretica & Sudorifera, quæ pauca sunt, (a)

Carduus bened.	Fuligo.	Saponaria.

10. Emmenagoga.

Absinthium.	Fel.	Saponaria.
Centaurium minus.	Leucoii lutei fl.	

11. In Morbis cutaneis, Scabie, Tinea &c. externe & interne.

Dens Leonis.	Fuligo.	Lupinus.
Dipsacus.	Fumaria.	Trifolium palud.

SECTIO IV.

De DULCIBUS & SUBDULCIBUS.

1. *TALIA* sunt *in genere*,

Amygd. dulces.	Ficus.	Pini nuclei.
Asparagi rad.	Ginseng.	Pyra.
Avellanæ nuces.	Glycyrrhiza.	Rapum.
Bardanæ rad.	Graminis rad.	Satyrii fœm. rad.
Bellis major.	Juglandis nuces.	Sebesten.
Bulbocastani rad.	Jujubæ.	Siliqua edulis.
Betæ rad.	Lac.	Sisari rad.
Castanea.	Melonis fr. & sem.	Sorbi fr. maturus.
Cucumeris sem.	Mespili fr. putrid.	Scorzonera recens.
Cucurbitæ sem.	Nuces Pistachiæ.	Tragopogon.
Eryngii rad.	Pastinacæ rad.	Uvarum pass. pulpa.
Fagi Glans.	Petroselini rad.	

2. *DULCIA ADSTRINGENTIA.*

Corni fr. maturus.	Pyrus sativa.	Uvæ passæ majores cum Acinis.
Lignum Campech.		

De

(a) Amara longe pauciora Diaphoretica sunt, quam Aromatica, quoniam Amara particulis magis terreis, minus Volatilibus & Spirituosis constant, quam Aromatica.

De Dulcibus, quatenus *JUVANT*, hæc Summatim ex *Wedello* notanda,

1. Raro destillabilia sunt, quoniam Dulcedo hæret in succo nimis Crasso, quam quod per Alembicum transcendere posset.

2. Alimentosa sunt, nutrire apta, tabidis utilia.

3. Emolliunt, lævigant, laxant, lubricant & acrimoniam humorum obtundunt, sive acrem, acidam, vel amaram, ob lentorem quem possident; hinc

4. Pectoralia sunt, in tussi, catarrho, raucedine, nec non in Urinæ ardore valentia.

5. Antiseptica sunt, vi balsamica sibi concredita condientia, quod de Melle & Saccharo bene notum.

6. Facile fermentescunt tam extra corpus, quam in eodem: Mel enim & saccharum insigniter promovent fermentationem carnium cum Vegetabilibus in Ventriculo.

7. Nec iis deneganda leniter stimulandi, abstergendi, resolvendi & discutiendi vis, quoniam Salem, oleo junctum, possident. An & hinc

8 Alvum laxant & Diuresin promovent?

NOCENT vero Dulcia.

1. Utpote facile acescentia & proinde diarrhæas, ructus & vomitus producentia.

2. In cachexia, hydrope, affectu hypochondriaco, utpote ob lentorem obstructiones generantia.

His congruunt Observationes ex Veteribus & Modernis in hoc opere recensitæ, scil.

1. Dulcia Esculenta, Nutrientia & Analeptica sunt,

Amygdalæ dulces.	Lac.	Sisari rad.
Avellanæ nuces.	Nuces Pistachiæ.	Fagi glandes.
Bardanæ rad.	Pastinacæ rad.	Ficus.
Bellis major.	Petroselini rad.	Juglandis nuces.
Bulbocastani rad.	Pini nuclei.	Tragopogi rad.
Castaneæ nuces.	Satyrii rad.	Uvæ passæ maj.
Dauci sylv. rad.		

2.

2. Bechica, in Asthmate & Catarrhis Utilia, ac Expectorationem promoventia, sunt,

Bardanæ rad.	Mel coctum.	Siliqua edulis.
Bellis maj.	Nuces Pistachiæ.	Sisari rad.
Ficus.	Raporum.	Tragopogi rad.
Glycyrrhiza.	Saccharum.	Uvæ passæ maj.
Jujubæ.	Sebesten.	

3. In Tabe, Hectica, Hæmoptœ.

Amygdalæ dulces.	Lac.	Satyrii rad.
Bardanæ rad.	Nuces Pistachiæ.	Tragopogon.
Bellis maj.	Pini nuclei.	Uvæ passæ maj.
Eryngii rad.		

4. Antiseptica.

Mel.	Saccharum.

5. Leviter Detergentia, Discutientia & Resolventia.

Amygdalæ dulces.	Mel.	Saccharum.
Betæ rad.	Melonum sem.	Satyrii rad.
Ficus.	Petroselini rad.	

6. Alvum movent,

Beta.	Pyra dulcia.	Siliqua edulis.
Ficus.	Saccharum.	Sorbi fr. mat.
Mel.	Sebesten.	Uvæ passæ maj.
Poma dulcia.		

7. Diuretica sunt,

Amygdalæ dulces.	Fagi glandes.	Nuces Pistachiæ.
Asparagi rad.	Ficus recentes.	Pastinacæ rad.
Bardanæ rad.	Graminis rad.	Petroselini rad.
Cucumeris sem.	Mel.	Raporum.
Dauci sylv. rad.	Melonis fr. & sem.	Sisari rad.
Eryngii rad.		

8. In Stranguria, Urinæ ardore, Erosione Vesicæ, Mictu cruento:

Asparagi } radices.
Avellanæ } radices.
Bardanæ } radices.
Eryngii } radices.
Glycyrrhiza.
Graminis rad.
Jujubæ.
Lac.
Melonum sem.
Pini nuclei.
Raputn.
Sebesten.
Siliqua edulis.
Sisari rad.
Tragopogi rad.
Uvæ passæ maj.

9. In Dysenteria,

Amygdalæ dulces.
Lac.
Satyrii rad.
Siliquæ ed. fr. siccat.
Uvæ passæ maj. cum nucleis.

10. Emmenagoga.

Asparagi } rad.
Bardanæ } rad.
Eryngii rad.
Petroselini rad.

SECTIO V.

De FARINACEIS MUCILAGINOSIS, GELATINOSIS, GUMMOSIS & EMOLLIENTIBUS.

TALIA sunt,

Alica.
Alsine.
Althæa.
Avena.
Amylum.
Borrago.
Branca Ursina.
Cannabis sem.
Cera.
Cicer.
Citrulli sem.
Cucumeris sem. & caro.
Cucurbitæ sem.
Cochlearum caro.
Consolida.
Cornu Cervi.
Cydoniorum sem.
Faba.
Ficus.
Filicis fœm. rad.
Fœnugræcum.
Fungus sambucinus.
G. Arabicum.
— Cerasorum.
— Tragacanthæ.
Hordeum.
Hyacinthi rad.
Ichtyocolla.
Jujubæ.
Lens.
Lini sem.
Lilii albi fl. fol. & rad.
Lumbrici terr.
Linariæ } fol. & fl.
Malvæ } fol. & fl.
Milii sem.
Oryza.
Ovi Albumen.
— Vitellus.

Pa-

Papaveris albi sem.	Sambuci fl.	Sesami sem.
Pisum.	Sarsaparillæ rad.	Spinæ albæ fr.
Plantaginis sem.	Satyrii rad.	Triticum.
Portulaca.	Sebesten.	Viscum.
Psyllii sem.	Secale.	Urticæ fol. & sem.

De His summatim notat *Wedelius.*

1. Acrimoniam humorum temperant & obtundunt.
2. Emolliunt.
3. Nutriunt.
4. Suppurationem promovent & eorum aliquot discutiunt & abstergent.
5. In tussi, catarrhis salsis, hæmoptœ, hectica & phthisi valent: necnon
6. In Urinæ difficultate, ardore, Vesicæ erosionibus, mictu cruento, diabete, sudore nimio, & Dysenteria.

De His porro animadvertendum habeo.

1. Emolliunt,

Fœnugræci sem.	Lumbrici terr.	Sambuci fl.
Lini sem. & ol.	Linaria.	Secale.
Lilii albi fl.		

2. Praeter vim emolliendi, aliquam quoque Discutiendi, Resolvendi & Detergendi potestatem habent,

Althææ rad.	Ficus.	Oryza.
Alsine.	Fœnugræci sem.	Ovi vitellus.
Avena.	Hordeum.	Pisum.
Branca ursina.	Linaria.	Sambuci fl.
Cicer.	Lini sem.	Secale.
Citrulli sem.	Lilii albi fl. & rad.	Urtica.
Faba.	Lumbrici terr.	

3. Nutriunt & Analeptica sunt,

Avena.	Cicer.	Cornu Cervi.
Cannabis sem.	Cochlea.	Ficus.

Filicis fæm. rad.
Fœnugræci sem.
Malva.
Oryza.
Papav. albi sem.
Satyrii sem.
Sesami sem.
Triticum.

4. Suppurationem promovent

Alsine.
Althææ rad.
Avena.
Cera.
Ficus.
Fœnugræci sem.
Gum. Arabicum.
Lini Oleum.
Lilium album.
Malva.
Ovi vitellus.
Triticum.
Viscum.

5. Bechica, Pectoralia & in Catarrhis salsis Utilia.

Althææ rad.
Avena.
Borrago.
Cannabis sem.
Cochlea.
Consolida.
Cydonior. sem.
Ficus.
G. Arabicum.
— Cerasorum.
— Tragacantha.
Hordeum.
Ichthyocolla.
Jujubæ.
Lini sem.
Ovi vitellus.
Pisum.
Sarsaparilla.
Sebesten.
Urticæ sem.

6. In Atrophia, Hæmoptœ, Phthisi, & Hectica.

Amylum.
Branca Ursina.
Cochlea.
Consolida.
G. Arabicum.
G. Tragacantha.
Ichthyocolla.
Lini sem.
Lumbrici terr.
Oryza.
Portulaca.
Satyrii rad.
Triticum.
Urticæ fol. & sem.

7. In Urinæ difficultate, ardore, Vesicæ erosione, Mictu cruento.

Althææ rad.
Borrago.
Consolida.
Cydoniorum sem.
G. Arabicum.
— Cerasorum.
G. Tragacantha.
Ichthyocolla.
Jujubæ.
Lini Ol.
Malvæ fol. & fl.
Oryza.
Ovi albumen.
Papav. albi sem.
Portulaca.
Sebesten.
Triticum.

8. In Dysenteria & Diarrhœa ab Acrimonia.

Alcea.
Althææ rad.
Amylum.
Cera.
Consolida.
Cydoniorum sem.

Fæ-

Fœnugræci fem.
G. Arabicum.
— Tragacantha.
Icthyocolla.
Lens.
Malva in lacte costa.
Milii fem.
Oryza.
Plantag latif. fem.
Portulaca.
Psyllii fem.
Satyrii rad.
Triticum.
Urtica.

9. In Mensium Profluvio.

Oryza.
Portulaca.

10. In Fluore Albo.

G. Tragacantha.
Urtica.

11. Emmenagoga.

Cannabis fem.
Cicer.
Fænugræci fem.
Lumbrici terr.

12. Alvum Movent.

Borrago.
Cicer.
Ficus.
Fœnugræci fem.
Hordeum.
Sambuci fl.
Salsæparillæ rad.
Sebesten.
Secale.
Urtica.

SECTIO VI.

De PINGUIBUS & OLEOSIS.

TALIA sunt,

Axungia.
Adeps suillus.
——— Anserinus.
Amygdalæ.
Butyrum.
Cera.
Juglandis nuces.
Lithospermi fem.
Oleum Olivarum.
——— Balaninum.
Pistachiæ nuces.
Medulla cerv. & vitul.
Sperma ceti.
Sevum bovinum.
——— ovinum.

De *HIS* summatim hæc notanda.

1. Emolliunt, laxant; hinc in Inflammationibus, Contusionibus & Vulneribus cum tensione & dolore, in Aridura Faucium & Con-

tracturis Valent: & usu interno in doloribus pleuriticis, colicis, doloribus post partum & stranguria.

2. Lubricant, demulcent, acrimoniam mitigant usu externo & interno. hinc contra Venena ingesta valent, & in appetitu canino, in mordacibus ani dejectionibus, tenesmo & ad dysenterias in Clystere.

3. Aliquantisper discutiunt, præsertim vetusta, & eorum aliquot suppurationem promovent, quatenus poros obstruunt.

4. Ad Tussim, Catarrhum Acrem & Labidis utilia sunt.

5. Alvum solvunt copiose hausta & largiore dosi Emetica fiunt.

6. Athelmintica sunt.

Notandum vero, quod Pinguedines Animales majorem demulcendi vim possideant, quatenus aciditatis expertes sunt, secus quam Olea vegetabilia.

NOCENT contra Oleosa quatenus,

1. Poros obstruunt & ad Inflammata obinde non conducunt, nisi ubi dolor adsit & tensio: ubi vero siccandum est in hoc casu noxia evadunt. Hinc ulcera sordida reddunt, Ichorem & Putrilaginem augent, maxime in carie Ossium & carnis fungosæ generatione favent, unde Incarnatio & Cicatrizatio impeditur

2. Usu interno nimio Cruditates nidorosas excitant.

Supra dictis congruæ sunt Operationes, quæ de his in hoc Opere prostant: scil.

1. In Doloribus a partu, Pleuriticorum dolore & Colica, necnon in Urinæ ardore & stranguria commendantur,

Oleum Olivarum.	Sperma Ceti.

2. In Dysenteria, Tenesmo, & Alvi fluxu torminoso, tum usu interno, tum in Clystere Valent,

Amygdalæ dulces. (tum.	Oleum Olivarum.	Sevum bovinum.
Butyrum a caseo libera-	Sperma Ceti.	

3. Le-

3. Leviter Discutiunt.

Adeps Anserinus.	Butyrum Vetustum.	Medulla cerv. & vitul.
Balaninum Oleum.	Cera.	Sperma ceti.

4. Suppurationem promovent.

Butyrum.	Medulla cerv. & vitul.	Oleum Olivarum.
Cera.		

5. In Tussi; Catarrhis & Raucedine.

Butyrum.	Oleum Olivarum.	Nuces Pistachiæ.

6. In Hectica & Tabe.

Amygdalæ dulces.	Medulla cervina.	Nuces Pistachiæ.
Juglandis nuces.	——— vitulina.	

7. Nutrientia & Analeptica.

Eadem No. 6.

8. Alvum Movent.

Butyrum copiose sumptum.	Oleum Balaninum.	Oleum Olivarum.

9. Anthelminticum.

Oleum nucis juglandis.

10. Diuretica.

Amygdalæ dulces.	Nuces Pistachiæ.

SECTIO VII.

De GUMMI-RESINIS, BALSAMIS & RESINIS.

GUMMI-RESINÆ.

Bdellium.	Myrrha.	Sagapenum.
Galbanum.	Olibanum.	Styrax Calam.
Gambogia.	Opopanax.	Terra Japonica.
G. Ammoniacum.	Sarcocolla.	

BALSAMICA RESINOSA.

Bals. Capivi.	Gum Copal. } ita dictum.	Petroleum.
—— Peruvianum.	—— Animæ. }	Pix liquida.
—— Tolutanum.	—— Juniperi. }	— Arida.
Benzoinum.	Guajacum.	— Burgundica.
Camphora.	Hypericum.	Populi nigræ Germina.
Cera.	Juniperus.	Succinum.
Colophonia Recentiorum.	Labdanum.	Tacamahaca.
Gummi, Caranna dictum, potius Resina.	Liquidambra.	Terebinthina.
	Mastiche.	Thus fœmininum.
—— Guajaci.	Opobalsamum.	

Hæc magis stimulantia sunt, quam Farinacea; Gummosa &c. Sect. V. De his in genere notanda, quod,

1. Discutientia sint & Resolventia.
2. Suppurationem promoveant.
3. Vulnera & Ulcera ad Cicatricem ducere dicantur.
4. Non pauca valeant in Paralysi.
5. Dysenterias, aliosque fluxus usu interno sistant.
6. Inter Pectoralia locum habeant.
7. Inter Antiseptica numerentur.
8. Horum aliquot alvum moveant.
9. & Quod alia inter Discutientia locum teneant.

His congrua sunt, de eorum Viribus supra prolata, scil.

1. Discutientia & Resolventia sunt.

Balsam. Peruvianum.
—— Tolutanum.
Benzoinum.
Camphora.
Caranna G.
Gum. Copal.
—— Elemi.
Juniperi baccæ.
Hypericum.
Labdanum.
Liquidambra.
Olibanum.
Opopanax.
Petroleum.
Pix arida.
— liquida.
— Burgundica.
Sarcocolla.
Styrax Calamita.
Terebinthinæ omnes.

2. Suppurationem promovent.

Bdellium.
Ce a.
Galbanum.
G. Ammoniacum.
— Olibanum.
Pix arida.
— liquida.
— Burgundica.
Sarcocolla.
Styrax Calamita.
Tacamahaca.
Terebinthinæ.
Resinæ.
Thus fœmininum.

3. Inter Cicatrizantia Vulnerum & Ulcerum locum habent.

Balsamum Copaiva.
—— Peruvianum.
—— Tolutanum.
G. Elemi.
— Juniperi.
Hypericum.
Labdanum.
Liquidambra.
Olibanum.
Pix arida.
Sarcocolla.
Tiereb. ven.
Thus fœmininum.

4. In Paralysi Valent.

Balsamum Copaiva.
—— Peruvianum.
G. Anime. } in suffitu.
— Juniperi. }
Labdanum in suffitu.
Liquidambra, externe.
Petroleum, externe.
Styrax Calam. in suffitu.

5. Ad Dysenteriam, Fluorem album & Gonorrhæam sistendum.

Bals. Copaiva.
—— Peruvianum.
—— Tolutanum.
Cera.
Gum Juniperi.
Succinum.
Terebinthinæ omnes.

6. Pectoralia, in Tussi, Catarrhis & Asthmate Utilia, ac Pectus expurgantia.

Balsamum peruv.
Benzoinum.
Galbanum.
G. Ammoniacum.
G. Anime.
— Guajacum.

G.

G. Juniperi.
Juniperi baccæ.
Labdanum.
Mastiche.
Myrrha.
Opopanax.
Petroleum.
Pix liquida.
Sagapenum.
Styrax Calamita.
Terebinthinæ omnes.

7. Antiseptica.

Balsamum Copaiva.
Camphora.
Myrrha.
Terebinthina Veneta.

8. Alvum Movent.

Bdellium.
Bals. Copaiva.
Gum. Guajaci.
Galbanum.
Opopanax.
Pix liquida.
Sarcocolla.
Styrax Calamita.
Terebinthinæ omnes.

9. Diuretica.

Bals. Copaiva.
—— peruvianum.
Bdellium.
G. Ammoniacum.
Hypericum.
Juniperi baccæ & Gummi.
Opopanax.
Terebinthinæ omnes.
Thus fœmininum.

SECTIO VIII.

De ACRIBUS & SUBACRIBUS.

ACRIA sunt,

Allium.
Asa fœtida.
Anagallis.
Bellis minor.
Bryonia.
Calamintha.
Calendulæ fl. & fol.
Camphora.
Caprifolii fl.
Cardamine.
Cepa.
Chelidonium majus.
Conyza.
Cotula fœtida.
Crocus.
Enulæ camp. rad.
Eruca.
Erysimum.
Fœniculi sem.
Fuligo.
Fumaria.
Lign. Guajaci.
Gum. ——
—— Ammoniacum.
Hedera.
Iberis.
Cineres clavellati.
Lilii convall. fl.
Leucoium luteum.
Melilotus.
Nasturtium aquaticum.
—— —— hortense.
Pimpinella saxifr.
Piper.
Pix liq.
Porrum.
Ptarmica.
Pulegium.
Raph. hort. } rad.
—— rustic. }
Ruta.
Sabina.

Sa-

Sagapenum.
Sal Ammoniacus.
— Marinus.
Sinapi.
Soda.
Vitriolum album.
Vitriolum viride.
Zinziber.

SUBACRIA sunt,

Alsine.
Aparine.
Apii fol.
Bardanæ sem.
Beccabunga.
Beta.
Betonica.
Brassica.
Contrajerva.
Curcuma.
Caprifolii fol.
Coccionella.
Hedera terr.
Hepatica.
Hipposelinum.
Napi sem.
Petasitidis rad.
Petroselini fol.
Santalum rubrum.
——— flavum.
Sassafras.
Scabiosa.
Sambuci fl.
Sanicula.
Urina.
Urticæ fol.

De Viribus Acrium in Genere hæc habet *Wedelius.*

1. Incidunt, resolvunt, attenuant, aperiunt in obstructionibus ex materia viscida, lenta, pituitosa, sabulosa ortis.

2. Stimulo suo calefaciunt, motum citatum inferentia humoribus & solidis sensibilibus: acidos humores corrigunt: hinc prosunt in Morbis frigidis, Cachexia, Scorbuto frigido, Hydrope, Chlorosi, &c.

3. Pro gradu Acrimoniæ fiunt Rubefacientia vel Corrosiva.

4. Antiseptica sunt, quatenus humoribus quietis motum conciliant.

5. Antihelmintica sunt, virtute sua salina lympham viscidam focum vermium destruentia.

NOCENT contra, juxta eundem Auctorem,

1. In Vulneribus & Ulceribus, ubi nec caro luxuriat, nec materia viscida detergenda est, & in cancro occulto.

2. Cavendum ab his in infantibus tenellis.

3. In Hæmorrhagiis & Alvi fluxibus.

4. In statu bilioso, in Febribus, nisi Diluentibus probe temperata; in Hectica & Atrophia.

Quid Acria porro efficiant specialius, tam externe quam interne; ulterius patebit enumeratione sequente summaria virium, supra iis adscriptarum, nempe;

1. Discutiunt & Resolvunt,

Allium.	Chelidon. maj. succ. cro-	Pix liq.
Asa fœtida.	Cotula fœtida. (ceus.	Porrum.
Bellidis min. rad.	Crocus.	Pulegium.
Bryoniæ rad.	Enulæ camp. rad.	Sabina.
Calamintha.	Erysimi. } sem.	Sal Ammoniacum.
Calendulæ fl.	Fœniculi. }	— Marinum.
Camphora.	Nasturtium.	Zingiber.

2. Suppurantia pauca inter Acria,

Cepa.	Gum. Ammoniacum.	Pix liquida.
Crocus.		Vide *Farinacea* supra.

3. Ulcera mundant & sanant,

Bryoniæ alb. rad. cum sale.	Fuligo.	Pix liq. cum melle.
Caprifolii fl.	Lignum Guaj. usu interno.	Porrum cum melle.
Chelidonium maj.	Hederæ fol.	Sabina.
Enulæ camp. rad.	Leucoi lutei fl. cum cera.	

4. Catheretica sunt,

Aerugo.	Dracontii rad.	Pix liquida.
Alumen ustum.	Elleborus alb.	Pyrethrum.
Cineres clavellati.	Nasturtium.	Vitriolum viride.
Cochleariæ succus.		

5. Verrucas absumunt, ultimis Affinia,

Allii, } succus.	Sabina.	Ranunculus.
Calendulæ, } succus.	Sal Ammoniacus.	Scilla tosta.
Chelidon. maj. } succus.	— Marinus.	Tithymalus.

6. Caustica, Exulcerantia & Vesicantia sunt,

Allium.	Chelidon. maj. succus.	Laureola.
Anemone.	Digitalis fol. (missa.	Lepidium.
Ari rad.	Elleb. nigr. rad. auri in-	Mezereon.
Bryoniæ rad. succ. recens.	Erucæ sem. cum fermento.	Persicaria urens.
Calx viva.	Euphorbium.	Pimpin. saxif. rad. rec.
Cantharides.	Grana cnidia.	Piper Indicum.
Cepa.	Iberis rad.	Ranunculus.

Rapha-

Raphani rust. rad.	Sedum acre.	Staphysagriæ sem.
Scilla.	Sinapi.	Thymalus.

7. Alvum Movent.

Allium.	Lignum Guajacum.	Sagapenum.
Bryoniæ rad.	Gum. Ammoniacum.	Sal marinus.
Cepa.	Pix liquida.	Zinziber recens.
Fumaria.	Porrum.	

8. Antiseptica.

Camphora.	Sal Ammoniacus.	Sal Marinus.
Lignum Guaj.		

9. Anthelmintica.

Allium.	Calamintha.	Cepa.
Bryoniæ rad.	Camphora.	Ruta.

10. Diuretica.

Allium.	Cineres clavellati.	Nasturtium aquat.
Anagallis.	Coryza.	Pimpinellæ saxif. rad.
Asa fœtida.	Enulæ camp. rad.	Piper.
Bryoniæ rad.	Eruca.	Porrum.
Calamintha.	Erysimi sem.	Pulegium.
Caprifolii fl.	Fumaria.	Ruta.
Cantharides.	Lign. Guajacum.	Sabina.
Cardamine.	Gum. Ammoniacum.	Sal Ammon.
Cepa.	Hederæ fol.	Zinziber.
Chelidonium maj.	Meliloti fl.	

11. Diaphoretica & Sudorifera.

Allium.	Enulæ camp. rad.	Nastur. hort.
Asa fœtida.	Fumaria.	Pimpin. saxif. rad.
Calendulæ fl.	Lignum Guaj.	Piper.
Camphora.	Meliloti fl.	Sal Ammon.
Cepa.		Confer *Aromatica.*

12. Carminativa.

Allium.
Aſa fœtida.
Calamintha.
Cotula fœtida.
Enulæ camp rad.
Eryſimi } ſem.
Fœniculi } ſem.
Meliloti fl.
Pimpinellæ ſaxif. rad
Piper.
Pulegium.
Zingiber.

Vide *Aromatica*, *Fragrantia*, *Fœtida* infra.

13. Bechica, Pectoralia, in Tuſſi & Aſthmate, præcipue pituitoſo, proficua.

Allium.
Aſa fœtida.
Bryoniæ rad.
Cepa.
Crocus.
Enulæ camp. rad.
Eryſimum.
Fœniculi ſem.
Lignum Guaj.
Porrum.
Pulegium.
Ruta.
Sabina.
Sagapenum.

Confer *Aromatica*, *Fragrantia*, *Fœtida* infra.

14. Emmenagoga.

Allium.
Aſa fœtida.
Aſarum.
Bryoniæ rad.
Calamintha.
Calendulæ fl. & fol. rec.
Camphora.
Cepa.
Cineres clavellati.
Cotula fœtida.
Crocus.
Enulæ camp. rad.
Erucæ ſem.
Gum. Ammoniacum.
Leucoii lutei fl.
Naſturtium aquat.
Pimpinellæ ſaxif. rad.
Porrum.
Pulegium.
Ruta.
Sabina.
Sagapenum.

Vide *Aromatica* & *Fœtida*.

15. In Hyſterica Affectione Valent.

Aſa fœtida.
Bryoniæ rad.
Cepa.
Fuligo.
Fumaria.
Gum. Ammoniacum.
Ruta.
Vide *Fœtida* infra.

SEC-

SECTIO IX.

De AROMATICIS, FRAGRANTIBUS & FÆTIDIS.

AROMATICA sunt.

Anethum.
Angelica.
Anisum.
Betonica.
Canella alba.
Cardamomum min.
Galanga minor.
Hepatica.
Horminum.
Imperatoria.
Lavendula.
Levisticl fol. rad. & sem.
Ptarmica.
Salvia.
Sassafr. ligu. & cort.
Satureia.
Scænanthus.
Serpillum.
Cassumunar.
Carui sem.
Caryophyllatæ rad.
Caryophylli arom.
Cinnamomum.
Chærophyllum.
Coriandri sem. siccum.
Costus Arabicus.
Crithmum.
Cubebæ.
Cymini sem.
Cyperus rad. rotunda.
Dauci cretici } sem.
——— sylv. }
Dictamnus creticus.
Enulæ camp. rad.
Fæniculum.
Macis.
Majorana.
Mentha.
Malabathrum. (lens.
Marum Mastichen redo-
——— Syriacum.
Mei rad.
Millefolii fl.
Mentha piperis sapore.
Nigellæ sem.
Nux moschata.
Origanum.
Petroselini maced. } sem.
——— vulgar. }
Piper.
Ptarmica.
Salvia.
Sassafr. lign. & cort.
Satureia.
Schœnanthus.
Serpillum.
Seseleos sem.
Stœchas arabica.
Thymus.
Tiliæ fl.
Zedoaria.
Zinziber.

1. *AROMATICA AMARA* sunt.

Abrotonum mas.
Ageratum.
Aurantiorum cort.
Calamus aromaticus.
Chamæmelum.
Eupatorium cannab.
Limonum cort.
Lauri baccæ.
Marum Mastichen olens.
——— Syriacum.
Nardus Celtica.
Serpentar. virg. rad.
Santonicum sem.
Tanacetum.

2. *AROMATICA ADSTRINGENTIA.*

Caryophillus aromat.
——— ruber.
Cinnamomum.
Filipendulæ fol.
Juniperi fol.
Kermes grana.
Lauri fol.
Melissa.
Piper Jamaicense.
Myrti fol.
Salvia.

3. *AROMATICA BALSAMICA.*

Botrys Ambrosioides. Chamæpitys. Rosmarinus.
Juniperi fol. & baccæ.

De *AROMATICIS* in genere testantur *Wedelius* & *F: Hoffmannus*.

Vis eorum a sale volatili oleoso expanso dependet; hinc destillando aquas, longe nobilissimas, offerunt, capite mortuo, inodoro, inerti, in fundo relicto. Per destillationem quoque copiose exhibent olea essentialia.

[Ipse ego in pluribus Vegetabilibus Aromaticis, transversim sectis, notavi Cellulas, Balsamo, Odoris & Saporis receptaculo, repletas.]

1. Tenui suo Aethereo, Subtili, Volatili, Oleo partes sulphureas, calidas, aethereas, in sanguine deficientes, restituunt.

2. Sale acri, balsamico Cordis, Arteriarum & Fibrarum Muscularium vim elasticam intendendo, Sanguinis & Humorum, progressum & circulum egregie promovent, unde humores Crassi & Viscidi attenuantur, obstructiones reserantur, perspiratio integra servatur. Hinc in omnibus Morbis Capitis, Nervorum, Stomachi & Cordis, qui a causa frigida secundum Veteres foventur, nempe ab humorum spissitudine, & atonia nervosarum & muscularium partium, ut in Apoplexia, Paralysi, Stupore, & torpore Sensuum, Memoriæ debilitate, Auditus difficultate & Lypothymia, egregie prosunt. Porro & stomachi ac Intestinorum Vitiis, quæ ex atonia & copia cruditatum acido viscidarum originem trahunt, Diarrhæa, Colica flatuosa, Vomitione, mirifice conveniunt & conducunt senibus, imbecillis & iis, qui laxum & phlegmaticum habent corpus.

CAVENDUM vero ab *EORUM* usu liberaliori,

1. Quando corpora sanguine plena sunt, alvinæ fæces restagnant, Juvenibus & Cholericæ constitutionis sensibilioris indolis, necnon ubi metus est efferandi & turbandi Spiritus, quum non raro odore solo vertiginem excitent, capitis dolorem & gravitatem.

2.

2. In Febribus continuis & ubi particulæ biliosæ abundant & sanguinis rarefactio coercenda est.
3. In Fluxu seri Sanguinis aut Seminis & apprime in gonorrhæa.

Verum latius adhuc patebit Usus & Modus agendi Aromaticorum Recensione sequente summaria Virium magis specialium, iis supra adscriptarum.

1. Discutientia & Resolventia sunt in Tumoribus frigidis, Oedematibus, Strumis & Sugillationibus,

Anethum.	Dictamnus creticus.	Petrosel. vulg. sem.
Angelica.	Enula campana.	Piper.
Anisum.	Fœniculum.	Ptarmica.
Canella alba.	Imperatoria.	Sassafras.
Carui sem.	Levisticum.	Satureia.
Chærophyllum.	Macis.	Stœchas Arabica.
Coriandrum.	Majorana.	Salvia.
Cyminum.	Lavendula.	Thymus.
Daucus cret. & vulg.	Mentha.	

2. In Morbis Capitis, Paralysi, Tremore, Vertigine & lapsu Memoriæ Idiopathicis vel Sympathicis, valent,

Betonica.	Costus Arabicus.	Marum Syriacum.
Canella alba.	Cyperus.	Mentha.
Carui sem.	Galanga minor.	Nux moschata.
Cassumunar.	Imperatoria.	Stœchas Arabica.
Caryophylli arom.	Lavendula.	Salvia.
Chærophyllum.	Macis.	Tiliæ fl.
Cinnamomum.	Majorana.	Zingiber.

Ob summum Ventriculi cum Cerebro Consensum Medicamenta, Nervina vel Cephalica dicta, sæpe fiunt Stomachica & vice versa.
3. Carminativa, stomachica, & quæ in Colica flatuosa valent, sunt sequentia,

Anethum.	Cassumunar.	Cinnamomum.
Angelica.	Carui sem.	Coriandrum.
Anisum.	Caryophylli arom.	Costus Arab.
Canella alba.	Chærophyllum.	Cubebæ.

Cymini sem.
Cyperus.
Enula camp.
Galanga minor..
Imperatoria.
Lavendula.
Levisticum.
Macis.
Mejorana.
Mentha.
——— Piperis Sapore.
Mei rad.
Nigellæ sem.
Nux moschata.
Origanum.
Petros. mac. & vulg. sem.
Piper.
Satureia.
Scænanthus.
Seseleos sem.
Zedoaria.
Zinziber.

4. In affectibus Hystericis, Lipothymia & Cordis Palpitatione;

Cassumunar.
Cinnamomum.
Levisticum.
Macis.
Marum Syriacum.
Mei rad.
Millefolium.
Nux moschata.
Tiliæ fl.
Zedoaria.
Conf. *Fœtida* infra.

5. Anodyna, Soporifera vel Caput turbantia sive Odore sivè usu interno.

Anethum.
Anisum.
Betonica.
Coriandrum.
Macis large dos.
Millefolii fl.
Sassafr. in non assuetis.

6. Emmenagoga.

Anethum.
Angelica.
Anisum.
Betonica.
Canella alba.
Caryoph. arom.
Cinnamomum.
Chærophyllum.
Costus Arabicus.
Cymini sem.
Crythmum.
Cyperus.
Daucus creticus.
Enula camp.
Fœniculum.
Galanga minor.
Imperatoria.
Lavendula.
Levisticum.
Macis.
Marum syr.
Mentha.
Mei rad.
Nigellæ sem.
Origanum.
Petros.maced.&vulg.sem.
Satureia.
Schœnanthus.
Seseleos sem.
Stœchas arabica.
Salvia.
Thymus.
Zedoaria.

7. Bechica, & Pectoralia, præcipue in Asthmate humido & Tussi; cum Pituita lenta.

Angelica.
Anisum.
Dictamnus creticus.
Enula camp.
Fœniculum.
Hyssopus.
Imperatoria.
Origanum.
Petrosel. vulg. sem.
Piper.
Satureia.
Seseleos sem.
Stæchas Arabica.
Thymus.

Con-

Confer *Bechica* & *Pectoralia* infra in Classe *Fragrantium* & *Fœtidorum*.

8. Diaphoretica.

Angelica.
Canella alba.
Caryophyllatæ rad.
Cinnamomum.
Costus arabicus.
Cymini sem.
Dictamnus cret.
Enula campana.
Fœniculum.
Imperatoria.
Levisticum.
Origanum.
Petroselini maced. sem.
Piper.
Salvia.
Sassafras.
Satureia.
Schœnanthus.
Serpyllum.
Stœchas Arabica.
Zedoaria.
Zingiber.

9. Diuretica.

Anethum.
Angelica.
Betonica.
Canella alba.
Carui sem.
Caryophyllatæ rad.
Caryophilli arom.
Chærophyllum.
Coriandrum.
Costus arabicus.
Cymini sem.
Crithmum.
Cyperus.
Daucus creticus & vulg.
Dictamnus creticus.
Enula campana.
Fœniculum.
Imperatoria.
Lavendula.
Levisticum.
Macis.
Majorana.
Malabathrum.
Marum Syriacum.
Mentha.
Origanum sem.
Petrosel. maced. } sem.
——— vulg. } sem.
Piper.
Salvia.
Sassafras.
Satureia.
Schœnanthus.
Serpillum.
Seseleos sem.
Stœchas Arabica.
Thymus.
Zingiber.

NOTA. Idem simplex fit Diaphoreticum, Sudoriferum, vel Diureticum pro ratione Regiminis calidi vel frigidi adhibiti.

II. *FRAGRANTIA* sunt.

Ambra grysea.
Ammeos sem.
Angelica.
Bals. Peruvianum.
——— Tolutanum.
Benzoinum.
Botrys ambrosiodes.
Colophonia recentiorum.
Chærophyllum.
Cynosbati fl.
Elaterium.
Geranium moschatum.
Jasmini fl.
Iridis Florent. rad.
Labdanum.
Leucoii lutei flores.
Lignum Rhodium.
Lilii convallii } flor.
——— albi } flor.
Majorana.
Moschus.
Nardus celtica.
Nux moschata.
Olibanum.

Opo-

Opobalsamum.		Sassafras.	Terebinthina e Chio.	
Paralyseos	} flor.	Salix fol. laureo.	Thus fœmin.	
Persicæ mali		Sebæ [illegible]	Tiliæ	} flores.
Primulæ veris.		Spiræ albæ fl.	Violæ purpur.	
Rosa.		Sium.	Ulmariæ.	
Rubi Idæi fr.		Styrax calam.	Zibethum.	
Santalum flavum.		Succinum.		

HÆC ob Affinitatem Aromaticis adjungere visum est, naturæ forte magis amica. In diversas Classes secundum Vires, supra recensitas, distributa sic se habent.

1. Discutientia.

Angelica.	Majorana.	Styrax calamita.
Bals. peruv.	Nardus Celtica.	Succini Vapor.
Jasmini fl.	Opobalsamum.	Terebinthina e Chio.
Labdanum.	Sassafras.	Tiliæ flor.
Lilii albi fl.	Sium.	

2. In Paralysi & Tremore valent.

Bals. peruv.		Majorana.	Paralyseos fl.	
Elaterium.		Moschus.	Sassafras.	
Leucoii lutei	} flor.	Nux moschata.	Labdanum.	} in suffitu.
Lilii convallii		Opobalsamum.	Styrax calam.	

3. Cardiaca, Vires restaurantia & in Syncope valentia.

Ambra grysea.	Lilii albi fl.	Rubi Idæi fr.
Ammeos sem.	Moschus.	Schænanthus.
Basilicum.	Nux moschata.	Styrax calam.
Elaterium.	Paralyseos fl.	Zibethum.
Labdanum.	Rosa.	

4. Carminativa.

Ambra grysea.	Iridis Flor. rad.	Nux moschata.
Ammeos semen.	Labdanum.	Opobalsamum.
Angelica.	Lilii convall. fl.	Resina.
Bals. peruv.	Majorana.	Sassafras.
Chærophyllum.	Moschus.	Schænanthus.
Elaterium.		

5.

5. In Morbis Hystericis & Spasmodicis.

Basilicum.	Moschus.	Tiliæ } flor.
Botrys ambrof.	Primulæ veris fl.	Violæ }
Labdanum.	Succini Tinct.	Zibethum.

6. Emmenagoga.

Ambra grysea.	Botrys ambrof.	Opobalsamum.
Ammeos sem.	Chærophyllum.	Schœnanthus.
Angelicæ.	Iridis florent. rad.	Sium.
Basilicum.	Leucoii lutei fl.	Styrax calamita.
Bals. peruv.	Majorana.	

7. Bechica & Pectoralia, in Tussi & Asthmate præcipue a Viscidis humoribus & Catarrhis.

Angelicæ rad.	Elaterium.	Resina.
Basilicum.	Iridis flor. rad.	Styrax calam.
Bals peruvianum.	Labdanum.	Succini Tinct.
—— Tolutanum.	Majorana.	Terebinthina e Chio.
Botrys ambrof.	Opobalsamum.	Violæ fl.
Chærophyllum.		

8. Diuretica.

Ammeos sem.	Majorana.	Spina alba fl.
Angelica.	Nardus Celtica.	Sium.
Basilicum.	Opobalsamum.	Succinum.
Elaterium.	Resina.	Terebinthina e Chio.
Iridis flor. rad.	Sassafras.	Thus fœmin.
Labdanum.	Schœnanthus.	

9. Diaphoretica.

Angelica.	Moschus.	Ulmaria fl.
Elaterium.	Sassafras.	Zibethum.
Geranium moschatum.		

III. *FÆTIDA & GRAVEOLENTIA.*

Hæc mihi digna visa sunt, quæ subdivisionem odoriferorum constituant,

ant, utpote Viribus prædita forte inſignioribus quam Aromatica & Fragrantia.

Fœtida forte non aliter differunt ab Aromaticis & Fragrantibus quam Saturatione & imprægnatione eorundem principiorum, quemadmodum Moſchi & Zibethi odor nares diverſimode afficit propinqui vel e longinquo, in priori caſu fœtidus, in poſteriore gratiſſimus.

Proinde uſu externo deprehenduntur,

1. Diſcutientia & Reſolventia,

Allium.
Apium.
Artemiſia.
Aſa fœtida.
Aſclepiadis rad.
Bitumen.
Branca urſina.
Braſſica.
Cannabis fol.
Cepa.
Chelidonium.
Cicuta.
Cotula fœtida.
Cynogloſſum.
Ebuli fol.
Galbanum.
Galiopſis.
G. Ammoniacum.
Hedera terreſtris.
Horminum.
Jacobæa.
Linaria.
Lupulus.
Marrubium nigr.
Matricaria.
Nepeta.
Nicotiana.
Oeſypus.
Opopanax.
Peucedanum.
Pix liquida.
Porrum.
Pulegium.
Ruta.
Scrophularia.
Sulphur.
Sagapenum.
Sambuci fol.
Sabina.
Stercus.

2. Ulcera Abſtergunt & Sanant,

Allia.
Apium.
Aſclepiadis rad.
Braſſica.
Chelidonium maj.
Hedera terr.
Jacobæa.
Lupulus.
Nicotiana.
Petaſites.
Peucedanum.
Pix liquida.
Scordium.
Sagapenum.
Sambuci fol.
Scrophularia.
Stramonium.

3. Carminativa ſunt,

Allium.
Aſa fœtida.
Calamintha Pulegii odore.
Caſtoreum.
Cotula fœtida.
Cymini ſem.
Matricaria.
Opopanax.
Peucedanum.
Pulegium.
Ruta.

§.

4. Anthelmintica,

Allium.	Petasitidis rad.	Sabina.
Cepa.	Ruta.	Santonicum sem.
Matricaria.	Salvia agrestis.	Valeriana.
Nepeta.	Scordium.	

5. In Affectibus Hystericis Valent,

Asclepiadis rad.	Cepa.	Ruta.
Asa fœtida.	Galbanum.	Sagapenum.
Cardiaca.	Marrubium nigrum.	Santonicum sem.
Castoreum.	Matricaria.	Valeriana.

6. Emmenagoga,

Alliaria.	Cymini sem.	Pulegium.
Allium.	Galbanum.	Ruta.
Apium.	G. Ammoniacum.	Salvia agrestis.
Asa fœtida.	Hedera terr.	Scordium.
Asclepiadis rad.	Horminum.	Sulphur.
Atriplex fœtida.	Lupulus.	Sagapenum.
Bitumen.	Matricaria.	Sambuci fol.
Brassica.	Nepeta.	Sabina.
Cardiaca.	Opopanax.	Santonicum sem.
Castoreum.	Petasites.	Stercus.
Cepa.	Peucedanum.	Valeriana.
Cotula fœtida.	Porrum.	

7. Anodyna, Narcotica sunt, & quæ caput vel mentem turbant sive odore, sive usu interno,

Cannabis folia.	Linaria.	Papaver.
Cicuta.	Lupulus.	Sambuci fol.
Cynoglossum.	Nicotiana.	Stramonium.
Horminum.	Pæonia.	Valeriana.

8. Bechica & Pectoralia, in Tussi, Asthmate & Pituita Viscida proficua,

Allium.	Calamintha Pulegii odore.	Ebuli fol.
Asa fœtida.	Cardiaca.	Galbanum.
Bitumen.	Cepa.	G. Ammoniacum.

Hedera terr.
Nepeta.
Opopanax.
Papaver.
Petasitidis rad.
Peucedanum.
Pix liquida.
Porrum.
Pulegium.
Ruta.
Scordium.
Sabina.
Sagapenum.
Sulphur.

9. Diaphoretica,

Alliaria.
Allium.
Asa fœtida.
Asclepiadis rad.
Cepa.
Petasitidis rad.
Pulegium.
Scordium.
Sulphur.
Valeriana.

10. Diuretica.

Alliaria.
Allium.
Apium.
Asclepiadis rad.
Branca ursina.
Brassica.
Cardiaca.
Cepa.
Conyza.
Coriandrum.
G. Ammoniacum.
Hipposelinum.
Linaria.
Lupulus.
Matricaria.
Opopanax.
Peucedanum.
Porrum.
Pulegium.
Ruta.
Salvia agr.
Sabina.
Scordium.
Valeriana.

Horum plura per Regimen debitum quoque Diaphoretica sunt.

SECTIO X.

De TERREIS & ABSORBENTIBUS ACIDUM.

TALIA sunt,

Bolus Blesensis.
Calx viva.
Cancrorum Chelæ.
——— Oculi.
Corallina.
Corallium rubrum.
Cornu cervi ustum.
Creta.
Ferrum.
Lapis Calaminaris.
—— Judaicus.
Lithargyrus.
Margaritæ.
Minium.
Ostreorum testæ.
Ovorum ——
Plumbum.
Os Sepiæ.
Zincum.

De *HIS* ex *Wedelio* præcipue & ex *F. Hoffmanno* notanda.

1. Prosunt ubi liber admodum in corpore Acidi proventus est, maxime in his, quibus bilis deficit, ut senibus ac fæminis, necnon qui vitæ sedentariæ nimis indulgent & qui potum, multum Acidi recondentem, largius assumunt, in affectione Hypochondriaca, in omnibus cruditatibus primarum viarum acidis, & morbis, exinde pendentibus, ut spasmus in infantibus ab acido. Valent & in appetitu canino.

2. Porosa sunt, humiditatem prompte inbibunt, adeoque exsiccant sine morsu, & in Ulceribus Dysepuloticis sæpe prosunt. Vide *Cicatrizantia* infra.

3. Bene notandum, quod in primis viis magnam subeant mutationem, si acidum ibidem prædominetur: cum acidum in salsum convertatur & aliquando in amarum ab ejus cum terra calcaria combinatione, unde vim resolventem acquirunt, & diuretica vel diaphoretica fiunt: quin & aliquando ab hoc conjugio austerum emergit, ut in Creta & Corallio rubro, quando in tono Viscerum, fibrarum & vasorum laxiori prosunt, & in fluxibus alvi, seri, seminis & gingivarum laxitate.

Sic quoque Plumbi Præparata, præter dulcedinem, vim adstringentem ab acido acquirunt & in curatione Ulcerum Corrosivorum & Cancro celebria sunt.

4. An a Combinatione dicta aliquando Febrifuga fiunt, præcipue in febre intermittente? &

5. Antiseptica, quatenus humiditatem superfluam absumunt & exsiccant, ut in Ulceribus ichorosis & saniosis.

His congruæ sunt Vires, iis supra attributæ; Videlicet;

1. In Cardialgia ab Acido usurpantur;

Cancrorum Oculi. Corallium rubrum. Creta.

2. In Excoriationibus & Intertriginibus;

Lapis Calaminaris. Plumbum præp. Zinci flores.
Lithargyrus.

3. In Ulceribus manantibus, putrescentibus & Cancrosis,

Bolus Blesensis.
Aqua Calcis.
Calx lota.
Creta.
Lap. Calamin.
Lithargyrus.
Minium.
Ostreorum testæ lotæ.
Plumbum præp.
Sepiæ os.

4. Diaphoretica vel Sudorifera,

Cancrorum Chelæ.
Cancrorum Oculi.
Cornu Cervi ustum.

5. Diuretica,

Lapis Judaicus.
Ovorum testæ per Coalitionem cum acidis.

6. In Diarrhæa & Dysenteria,

Aq. Calcis.
Bolus Blesensis.
Cancrorum Oculi.
Corallina abluta.
Corallium rubrum.
Cornu Cervi ustum.
Ferrum candefactum, in lacte vel aqua extinctum.

7. In Fluore albo & Gonorrhea.

Aqua Calcis.
Cancrorum Oculi.
Sepiæ os.

8. In Haemoptoe & Hæmorrhagia.

Bolus Blesensis.
Corallium rubrum.
Cornu Cervi ustum.

7. Antiseptica.

Aqua Calcis.
Lithargyrus.
Minium.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

CLASSES MEDICAMENTORUM.

Secundum *ILLORUM* OPERATIONES SENSIBILES.

SECTIO I.

De DISCUTIENTIBUS & RESOLVENTIBUS.

TALIA ſunt,

Abrotonum mas.
Abſinthium.
Acetum.
Adeps anſerinus.
—— ſuillus vetus.
Agrimonia.
Allium.
Ambra gryſea.
Amygd. amaræ.
Anethum.
Angelicæ rad.
Aniſum.
Aparine.
Apii fol.
Argentum vivum.
Ariſtolochia.
Artemiſia.
Arum.
Aſa fœtida.
Aſclepiadis rad.
Avena.
Balaninum Oleum.
Balſ. peruv.
Bdellium.
Beccabunga.
Bellis minor.
Benzoini vapor.
Bunnen.
Branca urſina.
Braſſica.
Bryonia.
Calamintha.
Calendula.
Camphora.
Canella alba.
Cannabis fol.
Caranna Gum.
Carduus bened.
Caru ſem.
Centaurium min.
Cepa.
Ceraſa.
Chærophyllum.
Chamædrys.
Chamæmelum.
Chamæpitys.
Chelidon. maj.
Cicer.
Cichor. ſylv.
Cicuta.
Citri mali ſucc.
Cochleæ cum teſtis.
Cochlearia.
Coriandrum.
Cotula fœtida.
Crocus.
Cucum. ſylv. rad. & fr.
Cupreſſus.
Cyclamen.
Cynogloſſum.
Dauci cretici } ſem.
—— ſylv. }
Dictamnus creticus.
Digitalis.
Dracontii rad.
Dulcamaræ fol.
Ebuli rad. & fol.
Enulæ camp.
Erigerum.
Eryſimum.
Eupatorium cannab.
Faba.

Fel.
Ficus.
Fœniculi fol. & sem.
Fœnum græcum.
Galbanum.
Galiopsis.
Geranium Robert.
Glastum.
G. Ammoniacum.
— Copal.
— Elemi.
Hedera terr.
Hordeum.
Horminum.
Hyoscyami fol.
Hypericum.
Hyssopus.
Jacobæa.
Jasmini fl.
Imperatoriæ rad.
Iridis vulg. nostræ rad.
Juglandis nuces rancidæ.
Juniperi baccæ.
Labdanum.
Lavendula.
Lamium album.
Lauri baccæ.
Lens.
Leucoli lutei fl.
Levistici fol.
Lilii albi rad. & fl.
Linaria.
Liquidambra.
Lumbrici terr.
Lupinus.
Lupulus.
Macis.
Majorana.
Marrub. alb. & nigr.
Matricaria.
Melilotus.
Mentha.
Nardus celtica.
Nasturt. aquat.
Nepeta.
Necotiana.
Persicariæ fol.
Petroleum.
Petroselini fol sem. & rad.
Peucedani rad.
Piper.
Oesypus.
Olibanum.
Opobalsamum.
Opopanax
Pix arida, Burgund. & liq.
Polygonati rad.
Poma putrida.
Porrum.
Ptarmica.
Ranunculus cum aliis leni- (oribus.
Rapi rad.
Rosmarinus.
Ruta.
Sabina.
Sagapenum.
Sal Ammon. & Marinum.
Salvia.
Sambuci fol. & fl.
Sanicula.
Sapo.
Saponaria.
Sassafras.
Satureia.
Satyrii rad.
Scrophul. aq maj.
——— nod. fœtida.
Secale.
Sedum acre cum axungia.
Sinapi.
Spatulæ fœtidæ rad.
Sperma ceti.
Spirit. vin.
Stercus.
Stœchas arab.
Styrax calam.
Succini vapor.
Succisæ fol.
Sulphur.
Tanacetum.
Terebinthina.
Thlaspios sem.
Thymus.
Tiliæ fl.
Trifol. palud.
Vinum.
Vini fæx.

NOTA. Discutientia dupliciter agunt, 1. Dissolvendo materiam. 2. Stimulando Vasa, horum contractilitatem & elasticitatem augendo.

In eorum usu cavendum, ne, facta nimia dissipatione, spissescant humores reliqui, quare Emollientia commode junguntur Discutientibus. Sic Radix Dracontii, ad resolvendos tumores induratos usurpata, admisceri debet adipi: aliter per se nimium dissipat & humorem magis induratum relinquit.

In

In Emplastris Discutientibus cavendum quoque a nimio usu Gummi-Resinarum, Pinguedinis & Oleorum, quia, dum attrahunt humores, poros obstruunt, adeoque suppurationem efficiunt. Hinc quoque Radicum coctarum & succorum usus ad Discutiendum Ceræ & Oleo præferendus est.

SECTIO II.

DE DETERGENTIBUS.

Absinthium.
Alliaria.
Amygdalæ amaræ.
Anagallis.
Apii fol. succus.
Asclepiadis rad.
Bals. peruv.
Bellidis min. rad.
Beta.
Brassica.
Bryoniæ alb. rad.
Caprifolii fl.
Carduus bened.
Centaurium min.
Chamædrys.
Cicer.
Cochlearia.
Dens leonis lac.
Digitalis.
Dracontii rad.
Enulæ camp. rad.
Eruca.
Euphrasia.
Fabæ Farina.
Fel.
Ficus.
Fuligo.
Fumaria.
Gentiana.
Glastum.
Hedera terr.
Hordeum cum cort.
Jacobæa.
Iridis nostr. vulg. rad.
Lactuca vetusta.
Leucoii lutei fl. cum Cera.
Lignum Guaj. usu interno.
Ligustrum.
Lupinus.
Lupulus.
Marrub. album.
——— nigrum.
Mel.
Mezereon.
Myrrha.
Nasturtium hort.
Nicotiana.
Ostreorum testæ ustæ.
Petasitis.
Peucedanum.
Pisorum decoctum.
Pix liquida cum melle.
Polygonati rad.
Porrum.
Primulæ veris fl.
Raphani hort. rad.
Sabina.
Saccharum.
Sal Ammoniacum.
— Marinus.
Sagapenum.
Sambuci fol.
Saponaria.
Scordium.
Scrophularia.
Succisa.
Trifol. palud.
Tutia.
Valeriana.
Verbena.
Veronica mas.
Virga aurea.

SECTIO III.

De CATHERETICIS, EXULCERANTIBUS & VESICANTIBUS.

1. *CATHERETICA.*

Aerugo.
Alumen ustum.
Cineres clavellati.
Cochleariæ succus.
Dracontii rad.
Elleborus albus.
Nasturtium.
Pix liquida.
Pyrethrum.
Vitriolum viride.

2. *CAUSTICA, EXULCERANTIA & VESICANTIA.*

Allium.
Anemone.
Ari rad.
Bryoniæ rad. succ. rec.
Calx viva.
Cantharides.
Cepa.
Chelidonii maj. succ.
Digitalis fol.
Ellebor. nigr. rad. auri in- (missi.
Erucæ sem. cum fermento.
Euphorbium.
Iberidis rad.
Laureola.
Lepidium.
Mezereon.
Persicaria urens.
Pimpinellæ saxifr. rad.
Piper Indicum.
Ranunculus.
Raphani rust. rad.
Scilla.
Sedum acre.
Sinapi.
Staphys agriæ sem.
Thymelæa vel grana Cnidia.
Tithymalus.

3. *VERRUCAS ABSUMUNT.*

Allii
Calendulæ } succus.
Chelid. maj.
Sabina.
Sal Ammoniacus.
— Marinus.
Ranunculus.
Scillæ cocta.
Tithymalus.

SECTIO IV.

EMOLLIENTIA & SUPPURATIONEM PROMOVENTIA.

Adeps suillus.
Alsine.
Althææ rad.
Avena.
Bdellium.
Brassicæ fol.
Butyrum.
Cepa cocta.
Cera.
Crocus.
Dactyli.
Ficus.

Fa-

Fœnugræci sem.
Galbanum.
G. Ammoniacum.
— Arabicum.
Lilii albi rad. & fl.
Lini Oleum.
Malvæ fol.
Medulla.
Olibanum.
Olivarum Oleum.
Ovi vitellus.
Panis.
Pix arida.
— Burgundica.
— Liquida.
Resina alba.
Sarcocolla.
Stercus bovinum.
——— humanum.
Styrax calamita.
Tacamahaca.
Terebinthina veneta.
Thus fœmin.
Tritici farina.
Viscum.

NOTÆ 1. Suppurantia conveniunt Tumoribus Sanguineis, Furunculis, Abscessibus, & iis Tumoribus, qui in hos abeunt ex Sanguinis confluxu; in Erysipelate & Cancro noxia.

2. In Tumoribus conveniunt, ubi Inflammatio nimia adest, quando Medicamenta relaxantia & unctuosa usurpari debent, v. g. Olea insipida, Lac & Mucilagines, quæ in aliis casibus fungos generant, in his vero maxime prosunt.

3. Ubi Inflammatio justo minor est, ut sæpe fit in tumoribus Scrophulosis & Venereis, usurpanda sunt Stimulantia lenia, Balsama, Resinæ aliquantum calidæ, & Olea essentialia, mitigata admistione corporum unctuosorum & Ceræ.

SECTIO V.

CICATRIZANTIA.

Ærugo, Ceræ vel Oleo admista, nam per se liquat carnem.
Agrimonia.
Aloe (usu externo nihil deterget.)
Alumen.
Balaustia.
Bals. Capivi.
— Tolutanum.
Calx viva, cum aceto rosaceo, adipe vel oleo.
Cerussa.
Consolida.
Galla.
Granati cort.
Hypericum.
Ichthyocolla.
Lap. Calaminaris.
Lithargyrus.
Minium.
Ostreor. testæ, ustæ, lotæ.
Plantago angustifolia.
——— latifolia.
Plumbum elotum.
——— ustum.
Prunellæ fol.
Sarcocolla.
Tutia.

NOTÆ 1. Si Ulcera humiditate superflua luxuriant, siccantia

modige & firmantia apprime & præ Oleosis & Emplastris conveniunt: Talia observavit *Wedelius* curari sola inspersione pulveris Cerussæ vel Pompholygos; si vero laxiores sint partes & luxuriet Caro, Constringentia v. g. Alumen ustum convenit.

2. In praxi moderna usus Fasciarum & Ligaturæ supplet locum Agglutinantium, v. g. Consolidæ & Icthyocollæ, quoniam hæ, dum partes læsas coadunant, Puris debitum effluxum cohibent.

SECTIO VI.

ANTISEPTICA.

Absinthium.	Chamæmelum.	Ribesia.
Acetosæ fol.	Contrayerva.	Rosa rubra.
Acetum.	Cortex peruv.	Saccharum.
Alkekengi fr.	Gallæ.	Sal Ammoniacum.
Aloe.	Gentiana.	— Marinus.
Alliaria.	Lign. Guajacum.	Scordium.
Alumen.	Limonum succ.	Secale.
Aurantiorum succus.	Lithargyrus.	Serpent. virg.
Bals. Capivi.	Marrubium alb.	Spiritus vini.
Berberis fr.	Mel.	Sulphur
Bistorta.	Mistum.	Tamarindi.
Bitumen.	Myrrha.	Terracetum.
Calx viva.	Nicotia.	Tartarum.
Carduus bened.	Nitrum Recentiorum.	Terebint. ven.
Cerasa acida.	Opobalsamum.	Vinum.

SECTIO VII.

De ERRHINIS & MASTICATORIIS, APOPHLEGMATISMIS dictis.

Hæc, secundum *F. Hoffmannum*, in Capitis gravativis doloribus & Hemicrania, Affectibus soporosis, Memoriæ dibilitate, Gravedine, Coryza, Auditus difficultate, Oculorum mucosa defluxione & Vertigine prosunt.

Ho-

Horum usus forte nimis exolevit, proinde Sequentem Catalogum eorum subjungere volui.

1. ERRHINA.

Alliariæ succ. naribus inflatus.
Anagallis flore phœnic.
Asari fol.
Bellidis min. } succ.
Betæ albæ & rubræ } succ.
Betonicæ fol. in turundis convoluta.
Brassicæ succ.
Calendulæ fol.
Cardamomum min.
Cepæ succ.
Cyclaminis rad. cum melle.
Elaterium cum lacte.
Elleb. alb. cum mitioribus.
—— niger cum p. æq. sacchari.
Euphorbium cum vigecuplo Iridis florent. vel ultra.
Hederæ fol. succ. cum melle.
Hormini fol. pulv.
Iridis florent. rad.
—— vulg. rad. succ cum melle.
—— palustr. succus gutt. I vel II, lacti admist.
Lilii convallii fl.
Laureolæ flor.
Majoranæ, aqua destillata succ. & pulv.
Marum.
Nepetæ succ.
Nasturt. hort. sem.
Nicotiana.
Nigellæ sem. tost. vel fricum.
Primulæ veris fol. fl. & succ. cum p. æq lactis.
Ptarmicæ fl.
Pyrethri rad.
Ranunculi bulbosi rad. cort.
Saccharum.
Sal Ammoniacus.
Salviæ pulvis.
Saponariæ fol.
Sinapios sem. tritum.
Spatulæ foet. rad. pulv.
Thlaspios sem.
Virgæ aureæ fol. & fl.
Vitriol. album cum duplo sacchari pari.

2. MASTICATORIA.

Caryophylli aromat.
Cubebæ.
Iridis florent. } rad.
Imperatoriæ } rad.
Lavendulæ } fol.
Laureolæ } fol.
Majoranæ pulv.
Marum Syriacum.
Masticha.
Nasturt. hort. sem.
Nicotiana.
Nitrum.
Pimpinella saxifr.
Piper cum uva passa.
Ptarmicæ fol. & rad.
Pyrethri rad.
Sal marin.
Sinapi cum p. æq. mellis.
Staphysagriæ sem c. melle.
Terra japonica.
Thlaspios sem.
Zinziber.

SECTIO VIII.

DE ECCOPROTICIS, Seu ALVUM MOVENTIBUS.

TALIA funt in genere,

Abfinthii fucc. larga. dofi.
Alumen.
Amygd. amar.
Antimonii pulv.
Balf. Capivi.
Beccabunga.
Bellis min. cum flor.
Beta.
Bonus Henricus.
Borrago.
Brasfica non diu cocta.
Bryoniæ turiones.
Butyrum, ante pastum copiose fumptum.
Calendulæ fol. & fl.
Casfia fistula.
Centaurium min.
Cepa.
Cerafa dulcia.
Cicer. alb. decoctum.
Cichoreum fylv.
Cinnabaris nativa.
Cucurbitæ caro.
Dens Leonis.
Dulcamaræ ftipites.
Ebuli turiones.
Epithymum.
Ficus.
Filicis maris fol. tenera.
Fumaria majore dofi.
Galbanum.
Gum. Ammoniacum.
—— Guajacum.
Hieracii rad. maj. dofi.
Hordeum.
Juglandis nuces virides cum cort. externo.
Lactuca.
Lens.
Lignum Guajacum.
Lupuli turiones.
Mala dulcia.
Mel.
Mercurialis fœm.
Myrrha ultra ℈ ij.
Nitrum Recentior.
Oleum Balaninum.
—— Olivarum.
Opobalfamum.
Opopanax.
Ovum forbile.
Parietariæ fucc. in fontibus ab ℥ ß ad ℥ i.
Perficar. mali fol. & fr. maturi.
Piforum jusculum primum.
Pix liquida.
Polypodii rad.
Porrum.
Pruna gallica.
Saccharum brunneum.
Sagapenum.
Sal marinus.
Sambuci fr. fol. juniora gemmæ & baccæ.
Sapo.
Saponaria majore dofi.
Sarcocolla.
Salfaparilla.
Sebeften.
Secale.
Serum lactis.
Siliqua edulis.
Sinapi.
Sorbi fr. maturus.
Styrax calamita.
Sulphur.
Tamarindi.
Terebinthina veneta.
Valerianæ rad.
Urtica.
Uvæ pasfæ majores.
Zinziber recens.

1. *MITIORA* funt,

Agaricus.
Alnus nigra baccifera.
Carthami fem.
Convolvulus maj.
Corallina.
Cynosbati fl.
Genistæ fol. fuccus dofi minore.
Hermodactylus.
Lapathi rad. maj. dofi.
Manna.
Mechoacanna alba.

Mel

Mel larga dos.
Myrobalani.
Nicotiana cocta.
Nitrum veterum.
—— calcarium *Listeri.*
Oxylapathi rad.
Persicæ mali fl.
Rhabarbarum.
Rosa damascena.
Sal comm ad ℥ i.
Sambuci fl. rec. & fol.
Scilla.
Sena.
Spina cervina.
Tamarindi.
Tartarus.
Violæ fol. & fl.
Urina humana.
—— vaccina.

2. *DRASTICA.*

Bryoniæ rad.
Catapuc. mas seu Ricini grana.
—— minor.
Colocynthis.
Convolvulus marinus seu soldanella.
Digitalis.
Draconti rad.
Dulcamaræ fol. succ.
Ebulus.
Elaterium.
Elleborus niger.
Gambogia.
Grana cnidia.
Jalappa.
Iridis omnis rad.
Laureolæ fol. & fr.
Linum catharticum.
Mezereon.
Sambuci cort. interior.
Scammonium.
Spatulæ fœtidæ rad.
Tithymalus.

S E C T I O IX.

E M E T I C A.

Asari fol. & rad.
Digitalis.
Elleborus albus.
Erigeron.
Eruca.
Genista.
Hederæ arbor. baccæ.
Ipecacoanha.
Iridis nostr. vulg. rad. succ.
—— palustr. rad.
Mezerei cort.
Narcissi rad.
Nicotiana.
Oleum.
Primulæ veris rad.
Raphani hort. } rad.
—— rust. }
Scilla.
Sedum acre.
Sinapi.
Staphysagriæ sem.
Vitriolum album.

NOTÆ. In inflammatione Ventriculi exulent Emetica; nec unquam plethoricis, nisi præmissa Venæ Sectione, nec quibus Intestina fæcibus infarcta & alvus obserata, nisi his prius expurgatis, exhibentur, monente *F. Hoffmanno.*

SECTIO X.

DE SEDANTIBUS five PAREGORICIS, ANODINIS five NARCOTICIS.

1. *PAREGORICA* funt, quæ laxant blande & demulgent fibras rigidas, ac fimul acrimoniam obtundunt, proinde huic Claffi accenfentur.

Cremor Lactis.	Lac.	Vitellus Ovi.
Cornu Cervi.	Liliorum alb. fl.	Sambuci fl.
Chamæmeli fl.	Ol. amygd. dulc.	

2. *ANODYNA* Dolorem leniunt, fulphurea fua exhalatione impetuofum fluidi nervei motum compefcunt.

3. *NARCOTICA* fere extinguunt motus fluidi nervei & in imbecillis lethalem fomnum, in aliis infaniam excitant.

Hæc vero enumeratione fpeciali evidentius patebunt,

1. *CAPUT TURBANTIA & INEBRIANTIA.*

Allium.	Leucoii lutei fl. odore capitis gravitatem inducunt.
Abrotonum.	Lilii albi fl. rec. odore vertiginem & temulentiam creant.
Aurantiorum cort.	Limonum cortex } odore.
Ambra gryfea larga dofi.	Macis } odore.
Cannabis fol. & fem.	Mei rad. } odore.
Coriandri fem.	Salvia agreft. } odore.
Fagi glandes virentes & nondum exficcatæ.	Saffafras lignum ufu interno & in non affuetis } odore.
Horminum.	Stramonium delirium inducit.

2. *ANODYNA & HYPNOTICA*

Allium. } odore.	Caftoreum.	Macis odore.
Abfinthium. } odore.	Crocus odore.	Millefolii fl. Anodyni ufu externo.
Anethi fol. } odore.	Cynogloffi fol.	
Camphora parva dofis.		

Mil-

Misseloti fl. anodyni & spasmos sedant.
Moschus saepe somnum conciliat.
Nux moschata larga dosi soporifera.
Paeoniae rad. & fl.
Paralyseos fl. anodyni & somniferi.
Primulae veri fl. leniter somniferi.
Sambuci fol. & fl. odore somnum creant.
——— fl. anodyni usu externo.
Styrax calam. larga dosi somnifera.
Verbasci fl. anodyni.
Zibethum anodynum.

3. *NARCOTICA.*

Cicuta vertiginem & stuporem inducit.
Hyoscyami folia.
Lactuca odore opii.
Lupuli odor.
Nicotiana.
Opium.
Papaveris capita.

COROLLARIA.

In Recensione praecedente,

1. Simplicium Discutientium & Resolventium numerus maximus reperitur inter Foetida, Aromatica, Acria & Balsamica.

2. Detergentia Ulcerum sordidorum praecipue inveniuntur apud Foetida, Amara & Acria.

3. Suppurationem promoventia inter Farinacea, Balsamica, Pinguia & Oleosa.

4. Carminativorum & stomachicorum maxima pars apud Aromatica, Fragrantia, Acria & Foetida.

5. Emmenagogorum apud Foetida & Aromatica, dein inter Acria & Fragrantia (*a*).

6. Antihysterica inveniuntur praecipue inter Foetida, Aromatica, Fragrantia & Acria, unde patet Horum & Emmenagogorum Convenientia.

7. Bechica & Pectoralia apud Foetida, Farinacea, Balsamica, Fragrantia, Dulcia & Aromatica.

8.

(*a*) Purgantia quoque saepe Emmenagoga fiunt eodem die, quo ingeruntur.

8. Diaphoretica & sudorifera maximo numero inveniuntur sub titulo Aromaticorum, dein ad Acria, Fœtida & Fragrantia. Hinc plurima sunt Diaphoretica, quæ Carminativa. Vid. *Art.* IV.

9. Diuretica quoque maxima copia notantur inter Aromatica, dein inter Acria, Fœtida, Fragrantia & Balsamica, unde patet Convenientia Diaphoreticorum & Diureticorum, necnon Emmenagogorum.

De Diureticis notari meretur quod, præter recensita simplicia, Aquea & Liquida quoque Diuretica sunt, sed præsertim stimulo salino prædita, ut Vinum & Spiritus Vini, aquæ admista.

10. Acidum corrigentia præcipua sunt Absorbentia & Amara.

11. Anthelmintica celebrantur Fœtida, Amara & Acria.

12. Antisepticorum maximus numerus reperitur apud Acida Adstringentia, Amara, Acria & Balsamica.

13. Esculenta, Nutrientia & Analeptica apud Dulcia, Farinacea, Oleosa & Pinguia.

14. Anodyna & Narcotica præcipua sunt Fœtida & Aromatica.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

I. *BECHICA & PECTORALIA* locum habent inter Simplicia diversarum admodum Virium, Scil. inter Demulcentia & Acria seu Incidentia, inter Dulcia & Oleosa, atque inter Balsamica Acria. Bene quoque notanda sunt, quæ præstant Balsamica in Tussi chronica humida; pituitosa, utut stimulo suo tunicas Bronchiorum ad excretionem animantia. Dulcia Vero & Oleosa nocent & ad Cachexiam disponunt. Ubi Vero humores tenues, salsi & acres destillant, Farinacea & Dulcia indicantur, quæ vias emolliunt, acrimoniam hebetant & tenues humores inspissant.

In dispositione Phthisica vel Hæmoptoica, Tussi sicca, difficili Respiratione & Dolore pectoris Expectorantium usus cautissimus sit; quandoquidem sive emolliendo, sive stimulando agant, sanguinis & humorum effluxum augent.

No-

1. Notandum porro, Ventriculum cum Pulmonibus exquisitam fovere communicationem & hinc non raro Tussis & Asthma a cruditate, Ventriculum obsidente, lenioribus Laxativis melius expurgantur, quam Dulcibus, Pectoralibus dictis: sic nihil frequentius, eodem F. *Hoffmanno* teste, quam summa respirandi angustia in Infantibus, quorum Ventriculus, corrupto Lacte infarctus est, ubi leni Emetico, vel Medicina, quæ leniter alvum ducit, omne Curationis absolvitur punctum.

II. *CARDIACA* supra recensentur præsertim inter Fragrantia & Aromatica: notandum tamen, 1. Hæc non esse usurpanda ubi serum deficit, verum humida aquea (Acidis aut Nitrosis non omissis) Confortantium vel Cardiacorum vice fungi. 2. Ubi Debilitas adest, non statim ad Cardiaca dicta Confugiendum, sed causæ removendæ sive ex Plethora, sive ex Cacochymia. 3. In Febribus malignis, ubi sanguinis compages nimis laxa & sudoribus diffluunt ægri, peccant qui solis Volatilibus utuntur, namque interponi debent Tonica & modice Adstringentia.

III. De *SUDORIFERIS* & *DIAPHORETICIS* ex F. *Hoffmanno* hæc maxime notatu digna sunt, Sc. 1. *Priora* sudorem non certo eliciunt, nisi corpus calore lecti & potu liquorum calidorum dispositum sit, & Sudorifera activiora non nisi cum insigni prudentia adhibenda sint; speciatim vero in morbis acutis, febribus inflammatoriis, etiam exanthematicis eorum usus damnandus.

Dicuntur quidem Alexipharmaca & in morbis contagiosis mirifice commendantur, at revera plus valent ad horum morborum præservationem quam curam: sed & hæc tutius & certius cum aceto vini, aqua diluto propinantur, vel radices Alexipharmacæ, aceto infusæ exhibentur.

Sudor vero utiliter evocatur in Catarrhis, Rheumatismis, Alvi fluxibus, Gravedine, Tussi, Tumoribus Glandularum, necnon in Scabie, Herpete, Lepra, Pustulis & Ulceribus venereis, atque in morbis frigidis dictis, Anasarca, Scorbuto frigido, seu venerea, arthritide fixa, malo Ischiadico & Paralysi.

DIAPHORETICA vero, h. e. Perspirationem insensibilem pro-

promoventia, etsi potentià inferiora, salubri effectu longe superiora sunt, v. g.

1. *PRIVATIVE* Absorbentia Acidi & Anodyna, stricturas superficiales cutis laxando, Nitrosa & Emulsiones, Succus Limonum & Acetum motum intestinum sanguinis ferociorem compescendo ac sugendo. 2. *POSITIVE*, leniter stimulantia, quæ in omnibus Febribus acutis, inflammatoriis cum Vehiculis convenientibus exhibita omne sanationis punctum absolvunt.

Quum insuper Aestus excessivus tempore æstivo, & qui febribus biliosis jungi solet, exsiccando humidum alimentum, Perspirationem impedit, Acidula & Nitrosa, ac imprimis Lapides Cancrorum cum Nitro & syrupo acetositatis Citri contemperant æstum & Diaphoresin movent: ubi præterea cum dolore atroci arida & exsicca cutis est, ac ejus coarctantur tubuli, præstat semper leniora Anodyna & Antispasmodica, Diaphoreticis jungere.

IV. De *DIURETICIS* quoque audiri meretur Autor laudatus, eorum Classes utilissime sequenti modo distinguentis:

1. Quædam, ut multa in hoc opere recensita, potenti stimulo efficaciam edunt in tubulos renales, qualia sunt Cantharides, Millepedes, Porrum & Allium. Hæc magni sunt usus in corporibus humidioribus, minus sentientibus, plebeis & qui crasso utuntur victu, necnon in morbis, qui a seri impuri copia oriuntur, v. g. Fluore albo, Gonorrhœa, Dispositione ad Anasarcam & Leucophlegmatiam, atque ubi humores Viscidi in Vesica Urinaria hærent & cum primis Calculi rudimenta excludi debent: tunc vero his actionibus cum prudentia utendum.

Verum, si in Calculo, corpore plethorico, ante V. S. exhibeantur, hæc Acria vel Terebinthinata, inflammationem creant: & si urinæ fluxus suffaminetur ob dolores ex Calculo, vel spasticas constrictiones, magno detrimento sunt, ast longe tutiora & utiliora sunt, quæ stricturas relaxant & dolores leniunt, qualia sunt,

2. Quæ spasmos, in renali Emunctorio Urinæ sequestrationem impedientes, sedant v. g. Nitrum, Emulsiones ex Sem. IV. frigidis, Sem. Dauci, Liquor anod. mineralis, Decoctum Rad. Graminis, Asparagi, Oleum Amygd. dulcium.

3.

3. Tertiam Diureticorum Classem constituunt, quæ remissum Cribri renalis robur firmant oleoso, tenui, & balsamico principio, ut Mastiche; Bals. Capivi, Juniperus, Sassafras, Petroselinum, Pastinaca, Fæniculum & plurima, in hoc Opere recensita, quibus addi possunt Adstringentia, *quorum* Classem vide supra.

V. De usu *EMMENAGOGORUM* hæc notanda: Quum præcipua Simplicia, menses cientia, in hoc Opere recensita sunt Stimulantia, in Horum usu maxima circumspectione opus est. Saepe utilissime præmittuntur Aperientia, Purgantia & V. S. Audi *F. Hoffmannum:*

1. Quando nimia sanguinis copia, quæ elasticitati vasorum valde resistit, retardati vel imminuti fluxus causa est, neutiquam calidiora locum habent: Sanguis enim, hisce vehementius commotus, pessima sæpe profert mala, sed tum Venæ Sectio in pede requiritur.

2. Neque hæc danda, ubi sanguinis vel benignorum succorum defectus est, ut convalescentibus a morbo &c. tum potius Analepticis reficiendum.

3. Ubi sanguinis effluxum impedit Oppilatio Vasorum colli Uteri aut Vesicæ, Pellentia irrita sunt, nisi prius per Balnea, Fotus &c. relaxata & emollita fuerit obstipata tuberculorum compages.

FINIS.